

ILLVSTRATIONES,
&
COMMENTARIA
AD BVLLAM
S. D. N. D. VRBANI PAPAE VIII.
Pro sacri Iubilei Anno M DCXXV.


GEORGII POLACCHI
PRESBYTERI VENETI.

Quibus pleraque ad Christianam pietatem, & eruditionem, tam Theologorum, quam Iuristarum, seu etiam tum controuersiarum, tum historiarum sacrarum notitiam breuiter, & dilucide tractantur.

Præcipue vero Indulgentiarum materia discutitur, & quamplurimi CASVS CONSCIENTIAE resoluuntur.

IPSI S. D. N. VRBANO PONT. MAX.
Fulgentiorique eius filio
VLADISLAO SIGISMVNDO
Principi Poloniæ, & Sueciæ, &c.
Consecrata.





VENETIIS, Anno Iubilei. M DC XXV.

Apud Baretium Baretium.
Superiorum Permissu, & cum Priuilegio.


BEATISSIMO,

AC SANCTISS.MO PATRI,

ac Domino nostro

D. VRBANO VIII.

PONT. OPT. MAX.





D pedes Sanctitatis tuæ, Beatissime Pater, humillime prouolutus, & si nunc labijs nequeam, saltem corde eos deosculando, hosce exiles ingenij mei conatus, trepidus, pauensque submitto. Cuinam etenim in Bullam Sanctissimi Iubilei Commentaria iustius, quam ipsius Bullę auctori referantur? Magnorum stemmata aduersus iniuriam hostium appendimus,

nonne & melius nomina in calumnias? Ne, quæso, despiciat Sanctitas tua partum hunc à me magis abactum, quam emissum. Tu ei, obsecro, sis tutor, immo & Pater; tolle expositam hanc prolem, non illam quidem vagientem infantium more, sed tamen loquentem, licet hæsitantibus, & rudibus verbis. Et vt eam propius amplectare, ingentem illam, & humano fastigio celsiorem vultus tui Maiestatem tantisper demitte. Nomen enim istud PAPAE, non modo maximam sublimis honoris admirationem, verum etiam tenerrimum paterni amoris importat affectum. Id mihi summæ erit felicitati, quod ad Te, supremum dignitatis, & potestatis culmen aditum inuenerim, & illud Tibi gloriæ non vulgari, quod Maximus, & maximis semper assuetus, etiam in minimis lucubrationibus paternam exercueris benignitatem. Seruet B. T. Pater Sanctissime Deus quam diutissime nobis, quibus in dies cęlestes cibos suppeditas; vt post Petri nauem in tutum, & tranquillum portum feliciter inuectam, ex hac totius orbis Christiani Sede tuis digna virtutibus, ad altissimam cælorum tuis debitam meritis traducaris.

Venetijs ipso die S. Vrbano Papæ, & Marty-

ri,

ri, necnon & B. Gregorio Papæ VII. Sacro. Aeræ Christianę CIↃ.IↃC.XXV.

Tuæ Beatitudinis

Humillimus Seruus

Georgius Polaccus.

SERENISSIMO
VLADISLAO SIGISMVNDO
Principi Poloniæ, & Sueciæ,

Electo Magno Duci Moscouiæ, Administratori Ducatus Smolentensis, Seueriensis, &c.



DIT nunc post Sanctissimi D.N. pedes, Serenissime Princeps, manus tuas qualis qualis ista lucubratio. Iure quidem. Tu namque in ipso sacri Iubilei limine Sacrosancta Apostolorum limina, reuerentiæ, deuotionisque causa, veneratus, in vrbe cuncti orbis capite, ac Magistra præclara gloriæ tuę stemmata, Canonici Sancti Petri titulo, non nisi summis Monarchis, & de Romana Ecclesia benemeritis conferri solito, condecorare quæsiuisti. In quo munere obeundo, Sacrosanctum pretiosissimi Saluatoris nostri vultum lineo velamine, ceu acu, penicilloque effigiatum, sacris eiusdem cruoribus madefactum, madente adhuc tot myriadum christiani nominis hostium sanguine inuicto tuo brachio demõstrasti. Mens erat, dum esses Venetijs, suum veluti Persæ illi, Te quoque leuidensi hoc munusculo conuenire. At nimis propere gratissimum nobis, ac regium conspectum tuum subtraxisti. Abijsti enim, non ex hoc pectore, in quo æternum eris; sed ex his oculis, qui te te modo

enixe

mixe efflagitant. Sed vnde hi adfectus? aliqui mussitabunt. Polonus ego non minus ac Venetus. Parentes mei Venetijs, negotiationis gratia se se, sub Augustissimo Sigismundo Primo, Cracouiam, contulerunt; à quo quam plurimis beneficijs ornati, in Patriam tandem reuersi, memores, & grati, gentilitio, & veteri Sabbadinorum cognomine post habito, Polacchi dici maluerunt, nomine illustrissimę gentis, ac nationis sibi imposito. Militaris gloriæ tuæ laudes libens prosequerer; sed quisnam, nisi Tu victorias tuas, & triumphos satis digne conscribere posset, quemadmodum nec Cæsaris præclara facinora, nisi ipse Cæsar? Tam magna vero præstas, & à tua ipsa virtute instructus, & à glorioso Parente tuo, non solum verbis, sed etiam exemplis eruditus. De quo solum sat est cum Baronio dicere, quod terram densis vepribus impietatis horrentem, hæresum spinetis incultam, atque in truculentarum belluarum lustra pæne conuersam sua cultura, diuina adspirante gratia, frugiferam, & amęnam, tamquam alterum, manu Dei consitum effecerit Paradisum. Accipiat Celsitudo Tua Serenissima opusculum perexiguum, quo Tibi seruus, dicam & subditus, veluti obside propensissimam suam voluntatem dicat, consecrat, oppignerat. Deus Opt. Max. Te in annos plurimos saluum, sospitemque conseruet.

Tuæ Celsitudini Serenissimæ

Seruus Deditissimus.
Georgius Polaccus.

LECTOREM MEVM
SALVERE IVBEO.





Ætus hic prius editus, quam conceptus tibi; Lector, offertur. Ne mireris, quæso. Licet enim, naturam rerum si spectes, nil pariatur, nisi antea concipiatur; hac tamen lege non tenemur, vbi ingenium patris, matrisque partes exercet. En tibi exemplum. Nonne ego libellum hunc perfeci, antequam illius formam animo conciperem? Ad sacra sanctissimi Iubilei perquirenda addictus, dum modo vnius, modo alterius dubitationis nodos soluere conor, crescit opus in integrum; & sic prius formatum, quam delineatum animaduerti. Ausim pæne gazas tibi promittere, immanes enim Doctorum thesauros percurri. Nam quis nesciat sæpe sæpius aurea ramenta, quæ magna non gignunt flumina, interdum arenas inter parui aluеoli, per auri fodinas transeuntis, inueniri? Vtinam decorarentur hi aliquali mea minus inculta musa, sic namque appareret sublimitas, quam vena dedisset. Festinato ipsum opus ad exitum perducere laboraui, cum iam iam Iubilei Annus ad suum terminum propteranter festinaret. Sicque temporis etiam breuitas quam fortasse adhibere potuissem in eo expoliendo præpediuit industriam. Mihi, amabò, lector, ignoscas; & si mea cognoscendi voluntas fuerit, & amor, quod minus placuerit excusato; sic quò benignior condonatio, eò maiori me gratia tibi deuinctum esse fatebor. Viue diù, & Vale.

BVLLA S. D. N. D. VRBANI DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ VIII.

Qua Sancti Iubilei celebratio in Annum proximum M. DC. XXV. indicitur, & promulgatur.

RBANVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI.
Vniuersis Christi fidelibus præsentes Litteras inspecturis salutem, & Apostolicam Benedictionem.



Mnes gentes plaudite manibus, iubilate Deo in voce exultationis: non enim vt in veteri lege Sacerdotalis buccinæ clangore, sed Apostolicæ vocis oraculo Sacrosanctum Iubilei Annum iam Regis seculorum beneficio appropinquantem Vobis euangelizamus. Annum Diuino cultui dicatum, ac feruentioribus Christianæ pietatis studijs destinatum; Annum remissionis, ac veniæ, tempus acceptabile, dies salutis. Licet enim nulla excurrant tempora, quæ Diuinæ largitatis muneribus fecunda spiritualibus nos non cumulent bonis, ac nunquam ad ineffabilem Dei misericordiam eius aspirante gratia, nobis aditus præcludatur; nihilominus tot, tantaque eo anno ad hominum sanctificationem beneficia cælitus promanant, vt penè omnes sacros thesauros Diuina munificentia in Christi fideles diffundere videatur. Quapropter si quinquagesimus Annus, quem Deus Moysen sanctificare iussit, incredibili Hæbreorum plausu, atque

b inæsti-

inæstimabili gaudio excipiebatur; quantò magis decet Christianum orbem Sacro Iubilei Anno recurrente lætari? Laboriosa eo tempore agriculturæ opera intermittebantur: nunc proprio quisque parcens labori, fructus, quos Christi Domini, Deiparæ Virginis, ac Sanctorum merita protulerunt, vberrimos percipit. Distracta tunc prædia, allenique iuris effecta recuperabantur: nunc virtutes, dona, & merita, quibus peccando meritò exuimur, liberali Dei misericordia recipimus. Exules tunc patriam repetebant: nunc ad cælum, vnde exulantes in hac lacrymarum valle miserè pererramus, iter nobis præmonstratur, & aperitur. Vos igitur Catholici Principes, qui tot decorum prærogatiuis insigniti ad Christianam pietatem promouendam arctioribus, quàm ceteri, obligationis nexibus obstricti estis, vosque omnes Christi fideles, quos Romana Ecclesia materno gremio complectitur; ad iucundissimam Sacrosancti huius Iubilei celebrationem, paterna, quæ vrget Nos, Charitate, vocamus, & inuitamus, ac quasi tubam exaltantes vocem nostram, Prophetica in vos oracula conuertimus, & clamamus, Audite hæc omnes gentes, auribus percipite, qui habitatis Orbem. Aduenient dies pœnitentiæ ad redimenda peccata, ad saluandas animas. Appropinquat tempus, quò Dei misericordia eos tandem conuertat, quos sera eius vlciscendi voluntas diù tolerauit. Humanæ vitæ breuitatem vobis ipsi ob oculos proponite: cogitate, nos instar aquæ dilabi, ac vitam nostram, velut à texente præcidi. Et quamuis nonnulli ex Romanis Pont. prædecessoribus nostris eidem

Iubilei

Iubilei Anno concelebrando præscriptum olim temporis spatium prouidè arctantes, tam solennem culparum remissionem, Diuinæq. Iustitiæ debitarum pœnarum relaxationem, intra angustiores annorum limites contraxerint; nihilominus ob paucitatem dierum nostrorum paucis illam redituram putantes, quæramus Dominum, dum inueniri potest, inuocemus eum, dum propè est. Venite ergo ad locum, quem elegit Dominus, ascendite ad mysticam hanc Hierusalem, tot, tantisque a Deo beneficijs auctam, tot muneribus cumulatam, vt verè de ea dicatur, fluminis impetũ lætificare Ciuitatem Domini, Cœlestium nempe fluminis gratiarum, cuius opportuna irrigatione fidelium Animæ fœcundantur. Venite, & afferte Domino gloriam, & honorem, afferte Domino gloriam nomini eius, adorate Dominum in Atrio Sancto eius. Hic, filij dilectissimi, Verè confitebimini Deo in Ecclesia Magna, in populo graui laudabitis eum; quandoquidem hæc est ceterarum Ecclesiarum Magistra, prima Catholicæ Religionis Sedes, Mater credentium, Orbis caput, Vertex rerum; quapropter & Cœlestes benedictiones, quas sititis, hic non ex riuulis petetis, sed haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris, aquas videlicet saluberrimas, quibus haustis, efficietur in vobis fons aquæ salientis in vitam æternam. Hæc igitur Nos præ oculis, atque in votis habentes, Romanorumq. Pontificum Prædecessorum nostrorum vestigijs inhærentes, & eorum pium, ac saluberrimum institutum retinentes, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium assensu, Iubilei celebrationem in annum

 proxi-

proximum M. DC. XXV. à primis Vesperis vigiliæ Natiuitatis Domini Nostri IESV Christi proximè futuræ inchoandam, & per totum annum ipsum finiendam, auctoritate Dei omnipotentis, & Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac Nostra, quanto maximo possumus animi nostri gaudio, ad ipsius Dei gloriam, & Catholicæ Ecclesiæ exaltationem indicimus, & promulgamus. Quo ipso Iubilei Anno durante, omnibus vtriusque sexus Christi fidelibus verè pænitentibus, & confessis, qui Ecclesiam Lateraneñ. Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum, necnon Sanctæ Mariæ Maioris de Vrbe Basilicas, semel saltem in die, per triginta continuos, aut interpolatos dies, si Romani, vel Incolæ Vrbis; si verò Peregrini, aut aliàs externi fuerint, per quindecim saltem dies deuotè visitauerint, & pro ipsorum fidelium, ac totius Christiani populi salute pias ad Deum preces effuderint, plenissimam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, remissionem, ac veniam misericorditer in Domino concedimus, & impartimur: & quoniam euenire potest, vt ex ijs, qui hac de causa iter aggressi fuerint, vel ad Vrbem se contulerint, aliqui in via, aut etiam in ipsa Vrbe, morbo, vel alia legitima causa impediti, aut morte præuēti, præfinito dierum numero non completo, ac ne quidem fortasse inchoato, præmissa exequi, ac Ecclesiam, & Basilicas huiusmodi obire nequeant, Nos piæ, promptæquè illorum voluntati, quantum in Domino possumus, benignè fauere cupientes, eosdem verè pænitentes, & confessos, prædictæ Indulgentiæ, & remissionis participes perinde fieri

volumus,

volumus, ac si Ecclesiam, & Basilicas prædictas diebus à Nobis præscriptis re ipsa visitassent. Vos autem Venerabiles Fratres nostri Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, & Episcopi in partem sollicitudinis nostræ vocati, capite tubas argenteas, quarum vsus est in Iubileo, adhibite prædicationem Verbi Dei, & prænunciate populis gaudium magnum, vt sanctificentur, & Dei iuuante gratia, parati sint ad ea cœlestia dona capiẽda, quæ bonorum omnium largitor Deus, filijs dilectionis suæ per ministerium humilitatis nostræ præparauit. Ad cœlestia munera in hac Vrbe percipienda vocate cætum, congregate Populum, sanctificate Ecclesiam, docete oues fidei vestræ creditas, quia aduenæ, & Peregrini sumus in hac vita, & Ciuitatẽ hic permanentem non habemus, sed futurã inquirimus. Docete omnes, si vnquam aliàs, nunc potissimum, iras, rixas, contentiones, & inueterata odia extinguenda propter Christum; nunc præcipuè omnes carnis sordes esse detergendas, vt templum Dei mundum sit, & vnusquisque vas suum possideat in honore, & sanctificatione, & portet Deum in corpore suo. Docete eos nunc maximè scelera detestanda esse, dandamque operam, ne quis Christiano nomine abutatur. Docete sacros Indulgentiarum thesauros lucrandi spem omnem inanem esse, nisi quis contrito, & humiliato corde se ipsum præparare, & Christianis operibus exercere studeat. Qui autem diuitijs abundant, aperiant viscera sua, & fratrum suorum pauperum inopiam subleuẽt, præcipuè verò erga Peregrinos Romam venientes misericordes sint, & sanctam hospitalitatem Deo gratissi-

mam,

mam, quam vetustissimi illi Christiani, etiam inter persecutionum fluctus, diligentissimè coluerunt, ipsi quoque multa cum hilaritate spiritus renouent, atque obseruent, faciantque sibi amicos de mammona iniquitatis, vt recipiantur in æterna tabernacula. Admonete etiam omnes, vt orent pro Regibus, & Principibus Christianis, vt quietam, & tranquillam vitam agamus, & pax, ac concordia perpetuò conseruetur. Postremò docete eos cum sanctam peregrinationem susceperint, qua modestia, qua deuotione, qua fraternæ pacis obseruantia connecti eos oporteat, vt sint Christi bonus odor in omni loco. Præbete autem vos ipsos Fratres Venerabiles, & omnem Clerum exemplum in primis bonorum operum, & formam gregis, & vestræ virtutis, ac religionis veluti sale ceteri condiantur, & omnem peccati putredinem abhorreant, & denique omnes vnanimes in vno spiritu Christianæ charitatis, atque in omni sanctitate, & iustitia Deo seruiamus. Hortamur quoque & rogamus in Domino charissimos in Christo filios nostros Imperatorem electum, ac Reges, & Principes omnes Catholicos, vt quo plura, & magis illustria beneficia ab eo, per quem Reges regnant, acceperunt, tantò ardentius, vt par est, ad Dei gloriam procurandam, pro zelo excitentur, precipuè verò Fratrum nostrorum Episcoporum, & superiorum Antistitum Pastoralem sedulitatem, & vigilantiam adiuuent, & a suis Magistratibus, ac ministris adiuuari mandent, vt improborum licentia coerceatur, & bonorum studia eorum Regia ope, & gratia foueantur. Maxime autem erga peregrinos beneficentiam,

centiam, & liberalitatem exerceant, curentque ut tutis incedant itineribus, & nulla hominum perditorum vexatione perturbentur, sed Hospitalibus, Domibus, & publicis hospitijs amanter excepti, & commeatu, & rebus ad vitam necessarijs recreati sine vlla concussione, & iniuria institutum iter læti peragant, & cum gaudio in patriam reuertantur. His enim hostijs Reges potissimum, & Principes Deum sibi placabilem reddent, ut diu in terris felices viuant, & demum in æterna tabernacula recipiantur ab illis ipsis pauperibus, erga quos misericordiam exercuerint, in quibus Christus pascitur, & nutritur. Ut verò præsentes litteræ, ad omnium Fidelium quibuscunque locis existen. notitiam facilius perueniant, volumus, earum exemplis etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, ac personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ sigillo munitis, eandem prorsus fidem haberi, quæ haberetur ijsdem præsentibus, si exhibitæ forent, & ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ indictionis, promulgationis, concessionis, impartitionis, hortationis, rogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attẽtare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo sexcentesimo vigesimo quarto, Tertio Kal. Maij Pontificatus Nostri Anno Primo.

I. DAT.

Fantinus Rentius.

A. Gailot.

Registrata in Secretaria Breuium.

Anno à Natiuitate Domini 1624. Ind. 7. die verò 17. Maij Pont. Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Vrbani Papæ VIII. anno primo, suprascriptę litterę Apost. lectę, & public. fuerunt in atrio Basilicæ Principis Apost. de Vrbe, per me infrascriptum Abbreuiatorem de Curia.

Augustinus Hurandus Abbreuiator de Curia.

Anno Domini 1624. Ind. 7. die verò 17. Maij Pont. Sanctiss. D. N. Vrbani Papę VIII. Pont. sui Primo suprascriptę litterę Apost. public. & affixę fuerunt ad valuas Basilicarum S. Ioan. Laterañ. Principis Apost. de Vrbe, ac Cancell. Apost. & in acie Campi Florę dimissis ibidem earundem litterarum originalibus appensis per aliquod temporis spatium, & exinde amotis, deinde dimissis earumdem litterarum copijs affixis, vt moris est, per nos Camillum Fundatum, & Brandimartem Latinum prælibati S. D. N. Papæ Cursores.

Octauius Spada Mag. Curs.

IESVS, MARIA, D. HIERONYMVS.

COMMENTARIA
IN S. D. N. D. VRBANI
Diuina prouidentia Papę VIII.
Bullam Indictionis Sancti Anni Iubilei M. DC. XXV.
Auctore GEORGIO POLACCO Veneto.

SECTIO PRIMA.

SYNOPSIS.

1. Papa se anteponit quibus scribit. 2. nullus Pontificum Sancti Petri nomine insigniri voluit. 3. & 4. Reijcitur fabula de Sergio Papa, circa mutationem nominis in Pontificatu. 5. quis primus mutauit nomen in Pontificatu. 6. Respondetur Vermilio, qui irridet religiosos, qui sibi nomina mutant. 7. Narratur vita Vrbani Papæ I. & eius gesta. 8. Eius obitus. 9. Electio Vrbani II. & quid egerit statim electus. 10. Concilia celebrata sub hoc Pontifice, & quid in ipsis statutum. 11. & 12. quando sabbatum in honorem Deiparę consecratum. 13. Vrbanus in Concione sacram expeditionem ad recuperandam Ierosolimam suadet. 14. quando Hierusalem è manibus Turcarum recuperata. 15. Veneta Resp. classem armauit ad dictam expeditionem. 16. Defenditur Vrbanus circa hanc expeditionem a calumnijs Mornæi. 17. quid de priuilegio ab Vrbano Rugerio Siciliæ Comiti concesso. 18. Obitus Vrbani. 19. Eligitur Vrbanus III. & multa agit ad reconciliandos Christianorum animos in Syria bellis implicitos. Hac causa Venetias se confert; & Ferrariæ moritur, 20. ostenditur a Mornæo miuria appellari Vrbanum Turbanum. 21. Electio Vrbani IV. absentis. 22. Festum sanctissimi Corporis Christi instituit, & qua occasione. 23. Respondetur nouatoribus dictum festum damnantibus. 24. Nouato-

A res

res circa id infamiam Vrbano inferre nituntur. 25. Eucharistia adoratione latriæ adoranda. 26. Theophoria defenditur. 27. lumen etiam accensum in reuerentiam Sanctissimę Eucharistiæ. 28. Cur Ecclesia vtatur hac luminis cærimonia. 29. Consuetudo mittendi Eucharistiæ sacramentum obuiam Episcopis ex Asia Romam aduentantibus. 30. Clemens VIII. Euchar. Sacramentum præuium habuit, dum Ferrariam peteret; id etiam sui prædecessores in itineribus extra Romam fecisse multis exemplis probatur. 31. Episcopi olim idem faciebant. 32. Reges Francorum ad prælium accedentes reliquias præferebant. 33. Vrbano S. Ludouicus auxilio fuit. 34. Vrbanus V. eligitur. Inuenit capita Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli. 35. Mornæus huiusmodi inuentionem imposturam impie vocat. 36. De Rosæ consecratione, quæ fit 4. Dom. quadrag. a summo Pontifice. 37. Creatur Pontifex Vrbanus VI. quo tempore ad Vrbem e Gallijs Romana Curia reducta. 38. sub hoc Pontifice schisma omnium longissimum cæptum. 39. Iubileum abbreuiatum ad singulos triginta tres annos ab Vrbano. 40. schismate Pontifex ab Ecclesia non expellitur. 41. Ad Imperatorem non pertinet schismata tollere. 42. Electis pluribus Pontificibus cui adhęrendū. 43. An Papa possit fieri schismaticus. 44. Vrbanus obijt. 45. Electio, & obitus Urbani VII. 46. De Vrbano VIII. 47. Vtrū sit de fide hæc propositio, Maffæus Barberinus, dictus Vrbanus VIII. est Summus Pōtifex. 48. quibus modis aliquid ad fidem attinet. 49. quomodo hæc propositio nota sit. 50. Tres status, in quibus dicta propositio considerari potest. Sententia Gregorij de Valentia. 51. & 52. Examinatur eius sententia. 53. quid si ordinaretur in Pontificem huius auctoritatis incapax. Nugni sententia circa huiusmodi propositionem.

VRBANVS.



1 DE stylo Apostolicæ Sedis est, vt Papa anteponat se illis, quibus scribit, & ideo si nomen eius post poneretur, litteræ non valerent, vt bene docet Abbas. *a*

a, in Procm. Decr. in prima lect. in princ.

2 Propter singularem reuerentiam S. Petro Christi Domini Vicario ab vniuersa semper Ecclesia exhibitam

hibitam

hibitam nullus Pontificum augusto sancti Petri nomine insigniri voluit; immo etiam, si quis ante euectionem ad summum Pontificatum Petri nomen in baptismo sumpsisset, illud factus Pontifex nullo modo retinuit, sed illud in sua consecratione in aliud præ magna modestia, humilitateque mutauit, vt Sergius IV. qui ante, cum esset Episcopus Albanensis, Petrus appellabatur, vt patet ex eius sepulchrali inscriptione. Hic etiam, vt testatur Ditmarus Mersepurgensis Episcopus [b], qui eodem tempore floruit, & suæ ætatis historiam summa cum fide conscripsit, pietate, atque humilitate insignis, nuncupatus fuit Buccaporci, quod de cognomine intelligi necesse est, cum proprio nomine Petrus vocaretur. Et sic hæc non erat propria, sed gentilis denominatio, antiquæ nobilitatis argumentum, quale Porci nomen in antiqua Catonum familia fuit. Nuper Scaligeri Canes dicebantur; Cyrus propriè canem significat, neque tamen qualem Anubim Aegyptij fingunt, illi nobis canino ore fuisse credendi sunt. Sus vero, seu aper ante Marij 2. Consulatum, quo cæpit Aquilam Romanis castris inferre, inter signa militaria, vt Festus auctor est; quintum locum occupauit. Plura videat lector apud Rangolium. [c]

b, lib. 6. c, lib. 1. Reg. cap. 1. num. 20.

3 Idem Rangolius [d] loquens contra Vermilium hæreticum, qui multa, & ridicula, & impia de hac re loquitur ore blasphemo, probat, Sergium

Secundum primum omnium ob oris fęditatem os porci nominatum nomen mutasse, mendacium esse. Constat enim, inquit Platina, Sergium ex illustri familia ortum, nequaquam a maioribus suis degenerasse, adiuuantibus eius præclarum ingenium Leone III. Stephano IV. Eugenio II. & Gregorio IV. Pontificibus, quorum doctrina, moribus, atque institutis ita profecit, vt solus, mortuo Gregorio, dignus haberetur, qui Pontificium munus obiret. Multa affert ex Onuphrio, Anastasio, & alijs in commẽdationem huius Pontificis ipse Rangolius, ne, vt ipse ait, quis Vermilio adhibens fidem arbitretur hunc Pontificem, velut portentum aliquod, rostro suillo territis omnibus Sedem Apostolicam occupasse. His, quæ de hoc scripta sunt, etiam monumenti epitaphium consentit; quod ex antiquis olim erutum ruderibus Baronius[e] in suos Annales transcripsit.

d, loco cit. e, Ad an. 847.

4 An vero is primum Pontificum nomen mutarit, si consulas recentiores, pręter paucos, reliqui omnes accepisse ferunt. At vero Anastasius etiam ante adeptum Pontificatum constanter Sergium vocat Romanum, ex patre Sergio. S. Antoninus auctorem fabulæ Martinum Polonum facit, quadringentis annis Anastasio iuniorem.

5 Qui vero nomen mutarit in Pontificatu primus, Onuphrius f Ioannem XII. fuisse scribit. Nam cum antea Octauianus vocaretur, vt Grillo Biblio-

theca-

thecarius testatur, gentili nomine omisso, tãquam parum maiestati, & religioni Pontificiæ idoneo, se Ioannem appellauit. Huius exemplum sequentes Pontifices, vt scribit idem Onuphrius, qui deforme, & parum conueniens tanto magistratui nomen habuere, sensim, & paullatim secuti, leuem consuetudinem, tanquam in legem perpetuam transtulerunt.

f, annotatione in Platinam ad Ioan. XIII.

6 Irridet, & reprehendit Vermilius vitam religiosam profitentes, qui sibi nomina mutant, cum suum institutum profitentur; sed iniuria, cum nihil sit, cur hac de causa hi reprehendendi sint. Nam num licet cuiuis pro arbitrio nomẽ mutare? Ea libertas etiam lege g lata sancita est. Aegyptij quidam martyres, qui vna cũ Pamphilio martyre stadium ingressi pariter coronati sunt, cũ a Firmiliano Prǫside rogarentur, quę essent eorum nomina, cõtemptis idolorum nominibus, quę sibi olim fuerunt imposita, Prophetarum nomina asciuerunt; indignum rati, si cum essent Christi, & in extremo constituti, dæmonum nominibus censerentur. Narrat Eusebius. h Si dolus absit, nullum crimen est. At vero si quis pietatis studio incẽsus, & sanctæ bonitatis amore inflammatus, nec non, & solitudinis desiderio persuasus, quo liberius hominibus incognitus se totũ Deo impendat, nomen mutauerit, is, non modo criminis expers habendus est, verum etiam maxima laude celebrandus. At ea est præcipua quibusdam religiosis

mu-

mutandi nominis ratio, vt ex S. Antonij facto, cum Minorum ordinem susciperet, collegit Rangolius.

g, *Cod. de mutatione nominis, l. vnica*, h, *lib. 8. c. 20.*

7 Hactenus octo habimus Vrbanos summos Romanos Pontifices. Primus fuit Romanus, Patre Pontiano. Hic, cum post martyrium Callisti sedes sex diebus vacasset, 21. Octobr. anno Christi nati 226. qui est Alexandri Imper. 3. ei substituitur. Multos sanctitate vitæ, & doctrina singulari ad fidem traduxit. Inter hos autem Valerianum virum præstantissimum B. Cęciliæ sponsum, & Tiburtium eiusdem Valeriani fratrem, qui postea martyrium constanti animo tulere, quam conditionem virgo ipsa subijt in domo paterna, iam antea suo rogatu ab Vrbano Deo dicata. Hic Pontifex i refert, quod in exordio nascentis Ecclesiæ, cum fideles vniuersi venderent omnia, quę possidebant, & pretium eorum ponerent ad pedes Apostolorum, tunc videntes Sacerdotes summi, & alij plus vtilitatis posse afferre, si hęreditates, & agros, quos vendebant, Ecclesiis traderent, eo quod ex sumptibus eorum, tam præsentibus, quàm futuris temporibus plurima possent ministrare fidelibus, quam ex pretio eorum, cęperunt prędia, & agros, quos vendere solebant, matricibus tradere, ac de sumptibus eorum viuere. Ipsę vero res in ditione singularum Parochiarum Episcoporum erant, sunt vsque hodie, & futuris semper debent esse temporibus.

i, *In Epist. Decret. ad vniuersos Episc.*

Pon-

8 Pontifex autem Vrbanus vbi ex ordinationibus quinquies mense Decembri habitis Presbiteros nouem, Diaconos quinque, Episcopos nouem creasset, martyrio coronatus est, & sepultus in Cœmiterio Prætextati via Tiburtina. Sedit annos sex (alii quattuor) m. 10. d. 12. sedes autē dies 30. tum vacat.

9 Secundus Vrbanus, qui antea nominabatur Otto, Ostiensis Episcopus, quemque Victor III. exemplo Gregorii prędecessoris sui sibi successorem nominauerat, communi totius cleri, ac populi consensu electus est Pontifex anno 1088. 4. Idus Martii, dum sedes Apostolica quinque mensibus, & sexdecim diebus Pastore viduata fuisset. Hic statim in sequenti die missis ad omnes Principes Catholicos Epistolis, & suam ordinationem significauit, & se in omnibus vestigia sui prædecessoris piæ memoriæ Gregorii Papę obseruaturum denunciauit; eius scripta, & dicta contra schismaticos habita confirmans, & ipsum Gregorium beatę memorię Papam nominans.

10 Sub hoc Pontifice celebrata sunt plura Concilia, vt Romanum, centum, & quindecim Episcoporum, quo res Gregorii VII. & Victoris III. circa Guibertum Antipapam, & Henricum Pseudo Imperatorem, aliosq; schismaticos gestę confirmantur. Ostionense in Gallia, in quo, pręter alia, renouata est excommunicatio in Henricum Regem, & Guibertum Sedis Apostolicę inuasorem, & in omnes complices eorum. Palcētiæ item Synodum congrega-

grega-

gregauit, in qua tanta fuit Episcoporum Italiæ, Burgundiæ, Franciæ, Alemanniæ, Baioariæ, aliarumque Prouinciarum multitudo, vt nulla Ecclesia illos capiente, oportuerit illam in campestribus celebrare. Indixit etiam Synodum Clarum montem, in qua salutaribus decretis lapsam Gallicanę Ecclesię disciplinam erexit. Henricum IV. Imper. & Guibertum Antipapam eisdem de causis, quibus Greg. VII. & Victor III. diro anathemate obstrinxit. Teste S. Antonio in eo Concilio institutum est, vt septem horarię preces B. Virg. quotidie recitarentur, maxime ab Ecclesiasticis: Et sabbatis quibusque Missę sacrificium in honore, & cultu eiusdem Deiparę fieret.

11 Sed notandum, longe prius sabbatum Deiparæ consecratum; nam Sanctus Genebrardus Episcopus, & Christi martyr, de quo Surius, k singulis sabbatis ante aram Virginis recitabat officium Assumptionis; & in ordine Cluniacensi, qui cępit anno salutis nostræ 812. præcipitur (vt in eius Breuiario legitur) officium B. Virg. celebrari singulis sabbatis extra quadragesimam, & nisi occurrat aliqua festiuitas; quæ duo non obscure indicãt, Concilium Clarum montem id, quod de sabbato ad Deiparæ honorem in consuetudinem fuerat inductum, sua auctoritate sanxisse, vt obseruarunt Arnoldus, l & Canisius. m

k *tom. 5. die 24. Septembris*, l *lib. 5. ligni vitæ*, m *lib. 5. de B. Virg.*

12 Carthegena n ex Durando refert initiũ habuisse sabbati cultum in honorem Virg. ab eo miraculo veli,

veli, imaginem Virginis Constantinopoli velantis, quod à Vesperis feriæ sextæ recedebat, & post Vesperam sabbati redibat. Quare autem dies sabbati magis, quàm alia Virgini sacrata fuerit, nonnullas litterales, & mysticas rationes affert idem Carthegena, quas vide apud ipsum. n

n, *Tom.4. Homil. Deiparæ, & Ioseph lib. 18. Homil. 10.*

13 In eodem Concilio Claromonte Vrbanus concionem clarissimam ad omnes habuit, qua sacram Hierosolimæ recuperandæ expeditionē, incredibili sententiarum grauitate, verborum copia, & animi ardore suasit. Ex quo vniuersi, qui aderant, ad recuperandum Christi sanctum sepulchrum sunt inflammati. Vnde sacræ se militiæ vniuersi deuouerunt. Dicuntur 100000. Christianorum ex Gallia, Italia, Hispania, Anglia, Scotia, Hybernia, & Flandria, signo crucis suscepto, arma sumpsisse. Signum autem fuit crux è purpureo panno confecta, quam Pontifex Vrbanus in signū salutaris expiationis indulsit, vestibus super dexteram scapulā affigendam. Vnde qui profecti sunt in eam expeditionem, cruce signati, & ipsa expeditio, Cruciata vocata est.

14 Anno 1099. die 5. Iulij Hierusalem e manibus Turcarum per Gothefredum Buglionem magna vi recuperatur. Vnde omnium consensu regnum ipsi defertur; quamquam pius Rex, nec insigne, nec nomen Regium vsurpare voluit in ea Vrbe, vbi Dei filium purpura indutum, & Regem per ludibrium meminerat appellatum.

B Mea

15 Mea patria huiusce belli indicti famam secuta, ducētarum nauium classem armasse traditur, quę in Ioniæ oram inuecta, Smyrnam, & reliquam oram Turcis subiectam vastauit, cui Henricus Contarenus Oliuolensis Antistes, & Vitalis Michael Ducis filius cum imperio prȩfuerunt, vt in re tam pia, tanque sacra, merito, vt scribit Ignatius, o sacerdos prȩfuisse videri possit.

o, de exemp. illustr. virorum Venetæ Ciuit.

16 Mornæus loquendo de hac sacra expeditione Vrbani ait: verum zelo huius obtentu res ipse suas nihilo segnius promouet. Qui enim arduum hoc consilium promoturus intestina iurgia sedare debuerat, ad extremum vsque spiritum inimicitias in Henricum exercet. Rem quidem suam promouet, respondet Coquæus, p scilicet dignitatem Sedis Apostolicæ, seu sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cui præerat; sed Antipapam, & schismaticos, atque inprimis Henricum Imperatorem schismatis, in perniciem tot animarum, auctorem, & defensorem diris deuouere, & censuris Ecclesiæ persequi, quo resipiscerent a laqueis diaboli, a quo capitiui tenebantur, non certe actus erat odii, seu inimicitiæ, sed magis iustitiæ, vel etiam charitati tribui debebat.

p, In sua Apologia pro sum. Pont. Antidoto contra progressum 42.

17 De diplomate, & priuilegio ab Vrbano Rugerio Siciliæ Comiti, atque filijs eius hæredibus concesso, legantur historici, & præcipue sacri. Solum dicam, ipsum Rogerium in negotiis Ecclesiasti-

cis

cis exequendis zelo diuini ardoris feruuisse.

18 His rebus, & multis aliis feliciter peractis, pace Ecclesiæ restituta, ipsamque in tranquilliorem statum vindicata Vrbanus Pont. 4. Kal. Aug. anno Domini 1099. defunctus est, cum sedisset annos vndecim, menses quattuor, dies decem, & octo. Corpus per Transtiberinam regionem delatum, in Basilica Vaticana honorifice sepultum fuit.

19 Tertius Vrbanus natione, & Archiepiscopus Mediolanensis, dictus antea Lambertus è genere Criuellorum, anno Domini 1185. tempore Federici Imp. Pontifex factus, omne suum studium ad reconciliandos Christianorum animos, qui in Syria bellis impliciti erant, conuertit. Verum cum in eiusmodi procurationibus operam luderet, & Christiani Principes odiis, & dissensionibus intricarentur; Soldanus pluribus locis potitus, etiam Hierosolymam suo Imperio adiecit, anno postquam a Godefrido recuperata fuerat, octogesimo quarto. Ad hæc Aduersariorum copias versus Antiochiam directas esse intelligens, Venetias Christianis suppetias, & supplementa comparaturus se contulit; vbi dum cladem, quam Christiani acceperant, intellexisset, dolore percitus in morbum incidit, ex quo Ferrariæ mortuus est anno Domini 1187. cum sedisset annum vnum mens. 10. dies 25.

20 Mornæus, vt refert Coquæus q dicit ob turbas, quas Vrbanus vndique parabat, Turbani nomen consecutũ; sed immerito, vt probat idem Coquæus;

Nam quomodo Turbani nomen merebatur, vel turbas parabat, qui ius suum prosequebatur? & non magis, qui aliena iura vi occupabat. Achab obiiciebat Elię Prophetę Domini, quod turbaret Israel, sacram enim religionem restitui, & Idolatriam eliminari studebat e Regno Israel, quam fouebant iniqui Achab, & Iezabel; ita turbas parabat Vrbanus Pontifex, qui pro iuribus Ecclesiæ defendendis, & ditionibus retinendis inuasorem Imperatorem aggrediebatur. Legatur Arnaldus Lubecensis.[r]

q *Antidoto contra progressum* 49. r *lib.3. hist. Slauorum c.16.*

21 Quartus Vrbanus, cui Iacobi Pantaleonis nomen fuerat, Trecis in Gallia oriundus, Patriarcha Hierosolymitanus, Viterbij in Thuscia, absens electus est Pontifex anno Domini 1261. 4. Kalendas Septemb. qui statim e Gallia milites conuocauit, quos Manfredo, ditionem Ecclesiæ vexanti obijceret.

22 Edidit constitutionem, quę incipit *Transiturus*. qua sollemnissimam festiuitatem sanctissimi corporis Christi ad 5. fer. post oct. Pentecost. instituit; fuit autem instituta occasione miraculi corporalis, quod in oppido Bolsenæ Vrbeueteris Diœcesis accidit; dum enim sacerdos, postquam cõsecrasset hostiam, dubitasset, an in ea etiam sanguis esset, miraculose ex ea sanguis ebullire cępit, & corporale condecorauit. Ad quod factum recognoscendum, & probandum duo illa Ecclesiæ lumina S. Thom. ordinis Prę-

dica-

dicatorum, & S. Bonauentura ordinis Minorum, qui tunc florebant, a summo Pont. missi, omnia probarunt. Vnde in ipsa Vrbeueteri, ad quam corporale illud translatum fuit, festum hoc dicitur festum corporalis, & per ciuitatem ipsam loco, & vice sacratissimæ hostiæ consecratæ ipsum corporale sanguine præfato pluribus in locis tinctum magna cum celebritate circumfertur, & pia deuotione veneratur.

23 Scio huiusmodi festum, tanquam nouum, & humano ingenio inuentũ a nouatoribus damnari, quibus breuiter respondet Fr. Frãciscus Longi a Coriolano, [f] in primis confitendo, non esse morẽ nimis antiquum, vt constat, nam illud instituit Vrbanus IV. vt in constit. citata apparet; & eum prosequutus est Clem. V. cum generali Conc. Viennensi, vt habetur in Clem. vnic. [t] & statim vniuersali consensu totius Ecclesiæ, & mirabili acclamatione, & fructu susceptus est, & in dies confirmatus, & auctus. Quod si in veteri lege fuit potestas instituendi nouum aliquod festum, vt cõstat ex Machab. hist. Esther, & Iudith [u] multo magis est hæc potestas in Ecclesia, & ita consueuit a primordijs dies festos instituere ad Deum in sanctis suis laudandum, maiori ergo ratione potuit peculiarem diem instituere in honorem Sancti Sanctorum, & tanti beneficij commemorationem, vt Clem. V. [x] argumentatur.

f *in suo Breuiario Chronologico ad an. Christi 1262.* t *de reliq. & venerat. Sanctorum.* u *lib. 2. cap. 4. & cap. vltimo.* x *In Præfat. constit.*

Mornæus

24 Mornęus, & alij Nouatores infamiam inferre huic Vrbano nituntur circa institutionem huius sollemnissimæ festiuitatis sanctissimi Sacramenti; videat lector Coquęum, [y] & Serarium, [z] & Bzouium.[a]

y, *Antidoto contra progressum* 53. z *Opusculo de Processionibus*. a *In tom*.13. *Annal. Eccles. ad annum Christi* 1230.

25 Quod vero Eucharistia latriæ adoratione debeat venerari, concors est sanctorum antiquorum Patrum sententia. Quare merito Conc. Trid. [b] anathema dixit illis, qui sacramentum hoc non esse adorandum assererent, festiuaque celebratione peculiari venerandum, & in supplicationibus sollemniter circumgestandum pernegarent.

b, *Sess*.13.*c*.5.*& can*.6.

26 Non me latet Theophoriam, seu corporis Christi circumlationem ab hæreticis damnari, qui dicunt Eucharistiæ sacramentum institutum fuisse ad edendum, & non ad circumferendum; quibus respondeo, & dico, sicut manna Iudæorum typus vnicus sanctiss. Euch. Iudęis diuinitus datum fuit, vt eo in deserto pascerentur, & tamen reseruatum, ac 40. annis processionaliter est circumlatum, placuitque Deo deuotio illa Iudęorum, vt patet: Non secus ipsum figuratum, & sacramentum, quamuis a Christo ad manducandum sit institutum, licito tamen sollemnis Theophoriæ ritu a presbyteris circumfertur, quia non minori honore veritatem, quam typum prosequi debemus.

27 Damnāt etiam hi sacrilegi lumen accensum in reue-

reuerentiam sanctissimæ Eucharistiæ, dicentes Christus non est cæcus, non ergo illi opus est candelis, & tædis, quas in processionibus, vt videat, etiam in luce meridiana, præferimus. Sed respondeo, nos scire, Dominum non egere eiusmodi lumine, qui est ipse Τὸ φῶς, ipsum lumen, æternum lumen, lucifera lux; sed id facimus in testimonium fidei nostræ, qua credimus in hoc Sacramento esse præsentem, qui dixit, *Ego sum lux mundi*, quia credimus illum esse candorem lucis æternæ, & hanc rationem assignat Honorius Pont. *c* dum mandat, ne sacerdos hoc sacramentum ferat, nisi præuio lumine.

c, lib.3. Decretal.tit.41.cap.10.§.sane,&c.

28 Vtimur etiã hac cęrimonia in argumentum lętitiæ, & reuerentiæ erga Dominum. Sic olim maiores nostri etiam rutilante sole obuiam processerunt catholicis Episcopis de exilio in patriam reuertentibus. Vnde Hier. *d* tali exsibilabat responso Vigilantiũ. *Tu vigilans* (inquit) *dormis, & dormiens scribis*, &c. *Per totas Orientis Ecclesias, quando legẽdum est Euangelium, accendunt luminaria, iam sole rutilante, non vtique ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ*, quæ nobis post Euangelium accessit, *demonstrandum*. Et Deus *e* in veteri testamento non cœcutiuit, & tamen plurimas lucernas, quæ semper in tabernaculo Testimonij lucerent, fieri mandauit.

d, lib.cont.Vigilantium. e Exod.25.& 27. Item Leuit.6.

Eusebius Cæsariensis *f* narrat primos illos Pontifices Romanos, Anicetum, Pium, Hyginium, &c.

pro

pro more habuisse, vt Episcopis Catholicis, ex Asia Romam aduentantibus Sanctissimæ Euchar. sacramentum obuiam mitterent, in Symbolum pacis, & concordis amoris.

f, lib. 5. cap. 4.

30 Clemens VIII. dum Roma Ferrariam pergeret, augustissimum Eucharistiæ sacramentum præuium semper habuit, quod etiam sui prædecessores, quando extra Romam iter peragebant, fecisse multis exéplis probat P. Coriolanus; g vt Pauli III. Cle. VII. Leonis X. Iulij II. Alexandri VI. Pij II. Greg. XI. & Stephani III. Immo eundem ritum seruasse etiam Pseudo Pontificem Benedictum XIII. scribit idem Coriolanus; vt sic impetum hominum in itinere sibi instantem coercere, ac reprimere posset, & etiam vt maiestatem Pontificiam se vere habere ostenderet, sacratissimum, scilicet Christi corpus ante se asportandum curauit. Legatur Rocca Apostolici Palat. Sacrista de Sacrosancto Christi corpore Rom. Pontif. iter conficientibus præferendo.

g, loco cit. ad an. Christi 1592.

31 Episcopi olim secum in itinere, sed in pectore, sacramentum in bursa clausum portabant. Beneuentanus Archiepiscopus sacramentum habuit prçuium in visitatione Diçcesis, quç sane consuetudo circa Beneuentanum Archiepiscopum ad Pauli II. vsque tempora illic durauit.

32 Cui ritui aliqua ex parte simile est, quod a Francorum Regibus obseruatum olim legimus. Ad præ-

lium

lium enim accedentes reliquias ſanctorum, præcipue ſancti Martini Cappam præferri curabant. Vnde poſtea locus, in quo talis Cappa ſeruabatur, Cappella, Cuſtodes quoque, qui eam ſeruabant, Cappellani dicebantur.

33 S. Ludouicus huic Pōtifici contra Manfredum Federici II. ſpurium auxilio fuit, quo furioſiſſimi perduellis inſanos impetus cohibuit, vireſque confregit Blondus, & Ciacconius.

Sed ipſe Vrbanus Peruſij ad vitæ periodum perductus obijt, verus Paſtor Vrbis, & Orbis, ſexto Non. Octob. anno Domini 1264. cum Pontificatum tribus annis, & 34. diebus adminiſtraſſet.

34 Quintus Vrbanus, Patria Lemouicenſis Guillelmus Griſant antea vocatus, S. Victoris Maſſilienſis Abbas, abſens etiam omnium conſenſu Pontifex eſt creatus quinto Kal. Octob. an. Domini 1362. legatione enim tunc apud Vicecomites in Italia fungebātur. Auenionem itaque vocatus, Pontificatum iniens vir ſingularis virtutis, ingentis animi, innocentiſſimæque vitæ; ſtatim ad tuendam libertatem Eccleſiaſticam animum adijcit, eorumque opera vtitur, qui ad eam rem animati erant. Capita Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli quæſita tādem inuenit, & vbi nunc ſunt, collocauit, & alia multa digna fecit. Obijt in Ciuitate Auenioni die 19. Decembris 1370. Pontificatus ſui anno 8. m. 2. d. 23.

35 Inſipidus, & animalis homo prorſus Mornæus Inuentionem capitum ſanctorum Apoſtolorum vo-

cat imposturam dicens, de hac impostura iudicet lector, quo signo, aut argumento mille trecentis post annis ab aliis dignoscerentur. Sed respondet Coquæus [h] non constare primum, an a mille trecentis annis post ignota, & inter rudera iacentia laterent ipsa capita. Secundo potuisse manifestissimis argumentis cognosci hæc esse sanctorum Apostolorum capita. Addit, & per reuelationem diuinam haud dubie, si non alia ratione, innotuisse: neque enim sineret Deus loco harum reliquiarum alias a fidelibus venerari. Nonne multa corpora sanctorum, cum prius in obscuro loco iacerent, Deo reuelante, ita hominibus innotuisse, passim legimus?

h, *Antidoto contra progressum* 59.

36 Idem Mornæus scribere audet, Vrbanum V. Dominica, quæ dicitur Lætare, Rosam consecrasse, quæ primo Ioannæ Siciliæ Reginę Camigeratæ meretrici donatur. Sed hæc fabula, & calũnia vel hinc refellitur, quod longe sit antiquior ipso Vrbano ritus ille consecrãdi Rosam auream in Dominica Lętare, quæ est quarta Quadragesimæ; siquidem cęrimoniæ illius meminit, eamque explicat Innocentius III. [i] sanctitate, & doctrina insignis Pontifex, longe antiquior Vrbano; duplicem adferens rationem, vnam secundum litteram, alteram secundum spiritum, cur hac die Romanus Pontifex florem aureum fidelibus repręsentet, & quid significet triplex materia in hoc flore, aurum, muscus, & balsamũ. Verum cęrimonias Ecclesię, vt inquit Coquæus, [k] quæ nun-

nunquam myſterio vacant,& plurimum faciunt ad fouendam pietatem fidelium, væſani iſti homines ſubſanant;& conſecrationes,& benedictiones in nomine Patris, & Filij,& Spiritus Sancti,impius Mornæus Antichriſti ſacramenta appellat.

i, *Serm.*1.*in Dominicam Lætare,* k *loco cit.*

37 Sextus Vrbanus patria Neapolitanus Bartholomæus antea dictus ex familia Prignana, Archiepiſcopus Barenſis, extra Collegium Cardinalium, quamuis abſens ſexto Non. April. anno Domini 1378. Pontifex creatur poſt Gregorium XI. à quo Romana curia è Gallijs, vbi ad 74. annos remanſerat, ad Vrbem tandem, monente S. Catharina Senenſi, reducta fuerat an. Domini 1376.

38 Sub hoc Pontifice cęptum eſt ſchiſma omnium longiſſimum annorum circiter 40. Nam octo Cardinales Clem. VII. Antipapam eligunt Card. Gebennenſem : Huic ſucceſſit in ſchiſmate Benedictus XIII. Cui ſchiſmati volens Conc. Piſanum remediũ adhibere, illud potius auxit, creato Alex. V. Inde enim tres Pontifices ſimul ſedebãt. Greg. XII. Benedictus XIII. & Alexan. V.& paullo poſt Ioannes XXIII. Propter hoc ſchiſma tollendum inſtitutum fuit feſtum Viſitationis B. Virginis ab ipſo Vrbano VI. vt Dei Genitricis ope inuocata, tantum malum Deus ab Eccleſia ſua auerteret. Vrbanus aũt Põtifex quinque Cardinales ſaccis inuolutos in mare deijci iuſſit;& vno alio die 23. Cardinales creat, tres Romanos,reliquos ferè omnes Neapolitanos.

39 De abbreuiatione Iubilei per Vrbanum VI. anno primo sui Pontificatus, Christi 1378. ad singulos triginta tres annos facta, vt daret occasionem reuerendi tempus, quo filius Dei commoratus fuit inter homines in terra, cum prius quinquagesimo quoque anno celebrari constituisset Clem. VI. vti videbimus; & indictione eiusdem in annum 1388. ad diem festum Natalis Domini incohandi legendus Theodoricus a Nyem. *l*

l, *lib.1.de schism.cap.68.& 69.*

40 Schismate Pontifex ab Ecclesia non expellitur, sed tantum redditur incertus, ea tamen incertitudo diligenti inuestigatione facile expelli potest, quo fit, vt tempore schimatum Ecclesia absque Pontifice non sit, vel saltem non multo tempore de vero Pontifice incerta sit. Proinde male inferunt Caius, & Mortonius cum Ecclesia ex schismatibus, quæ olim passa est, sine Pontifice fuerit, consequenter sic ipsam semper esse posse.

41 Schismata tollere ad Imperatorem non pertinet. Nam quod attinet ad schisma inter Bonifacium, & Eulalium tempore Honorij Imperatoris, etsi Symmachus Vrbis Præfectus ita ad Imperatorem scribat: quoniam pietatis vestræ est de hac re ferre iudicium, &c. videmus tamen religiosissimum illum Principem eam causam voluisse referri ad Episcopos, vt nimirum iudicarent illi, qui legitime electus esset in Pontificem, vt non nisi ad Episcopo-

ſcoporum iudicium ipſius etiam Principis acceſſerit ſententia, ſic Coquæus contra Mornæum. m

m, *Antidoto contra oppoſitionem decimam.*

42 Electis pluribus Pontificibus cui adhærendum eſt? Reſpondet Coninck n hoc modo: quando plures Pontifices eliguntur, neminem teneri alicui determinato ex illis adhærere, donec ſufficienter ei conſtet, ita vt non habeat iuſtam rationem de eo dubitandi, quis ex ijs ſit canonice electus; immo ſi quamdiu eorum ius eſt dubium, alicui eorum particulatim, vt Pontifici adhæreret, peccaret, & eſſet ſchiſmaticus, quia ſua auctoritate ſibi caput Eccleſiæ conſtitueret, atque ita ſe diuideret ab ijs omnibus, qui illum non agnoſcerent Pontificem.

n, *de actibus ſupernaturalibus Diſput.30.dub.5.nu.431.*

43 Idem Coninck ex Valentia docet, etiam ſummum Potificem fieri poſſe ſchiſmaticum, nam fieri poteſt, abſolute loquendo, vt ipſe nolit cum reliquis omnibus Eccleſiæ membris communicare, ſed nouum aliquem cœtum ſibi congregare, quo caſu ſine dubio Eccleſiam ſcinderet; ſed ſicuti diuina prouidentia impedit, ne Pontifex fiat hæreticus, ita etiam impedit, ne fiat ſchiſmaticus. Quod ſi tamen aliquis Pontifex palam ſe ita a tota Eccleſia ſepararet, deſineret eſſe Pontifex, ſicut ſi palam fieret hereticus.

Sed

44 Sed Vrbanus VI. anno sui Pontificatus 6. edita constit. *Quia sicut*. prohibet laicis quibuscunque, quacunque dignitate fulgentib. & quibuscunque communitatibus,&c. sub pęna excommunicationis latæ sententiæ, & interdicti, respectiue bannire Ecclesiasticas personas, consilium fauorem &c. Anno autem Pontificatus 11. m. 6. secundum alios 4. Romę claudit diem, mense octobris ann. Domini 1399. & sepelitur in Vaticano.

45 Septimus Vrbanus, Ioannes Baptista Castaneus ante Pontificatum nominatus, Romæ Patre Cosmo Genuensi natus, olim Rossanensis Ecclesiæ Archiepiscopus, postea apud Philippum II. Nuncius, deinde Cardinalis, Sixto Pontifici successit 15. Septemb. anno Domini 1590. solum dies 12. vixit; & statim viam vniuersæ carnis ingressus est. Sepelitur in Vaticano. Vacauit sedes menses duos, dies nouem.

46 Octauus Vrbanus, antea Maffæus Barberinus Cardinalis, ad sacrorum incrementum, & sęculi decus natus, modo Pontificiam sedem implet, vere vndequaque Vrbanus. De quo nihil, quia non bene magna a pusillo, & in pusillo. Eius gesta integram requirunt historiam. Faxit Deus, vt regia illa animi sui vrbanitate Vrbi, & Orbi quandiutissime frui liceat. Portam sanctam aperuit hoc anno 1625. Desiderant omnes Catholici, vt eam iterum saltem aperiat, quemadmodum Vitellius desiderasse fertur, vt Claudius sępe faceret ludos sæculares.

Et

47 Et hic VRBANVS IIX. est summus Pontifex, Petri successor, ac Christi Vicarius. Vtrum vero sit per se primo de fide, Maffęum Barberinum, dictum Vrbanum Octauum esse summum Pōtificem, Petri successorem, ac Christi Vicarium, Iacobus de BROVVER Theologica demonstratione concludit, hanc propositionem esse de fide. Adfert prius pro vtraque parte argumenta, refert vtramque sententiam, & tandem tertiam sententiā statuit, quam communiorem esse affirmat Theologis ijs, qui difficultatem hanc ex professo tractarunt, nempe ad fidem pertinens esse, & quidem per se primo, atque immediate, hunc hominem, verbi gratia, Vrbanum Octauum summum esse, & maximum Ecclesiæ Pontificem.
48 Et vt melius proposita sententia intelligatur, primo explicat, qua ratione dicta propositio dicatur ad fidem immediate pertinens; in eo enim latet quædam æquiuocatio, vnde nec vno, eodemq; modo idem a diuersis accipitur. Et D.Thomas plures tradit modos, quibus aliquid diuersimode ad fidem attinet. Sed iis sepositis, immediate ad fidem pertinens hic accipitur, quod ipsa Dei reuelatione, siue scripta, siue tradita sufficienter innotescit, adeoque vt non sit per se necessaria alia quædam propositio, siue morali, siue naturali certitudine euidens, quo idem fidei esse manifestetur. Et sic patet illam propositionem esse ad fidem immendiate pertinentem, quæ per se non requirit aliam, qua mediante fiat ad

fidem pertinens, aut potius manifestatur esse ad fidem pertinens.

o, 2.2.q.1.a.6.& a.7.& 8.itemque q.2.a.5.& eiusdem quæst.a.7.

49 Illud tamen addendum est, quamuis, vt idem Iacobus asserit, dicta propositio constet diuina reuelatione, non tamen continuo omnibus fidelibus nota, atque certa esse debet, vt quia illa reuelatio non omnibus nota, aut certa est, &, vt inquit S. Thom. *p* nihil prohibet id, quod est certius secundum naturam, esse quo ad nos minus certum, propter debilitatem intellectus nostri, qui se habet ad manifestissima naturæ, sicut oculus noctuæ ad lumen solis, vt dicitur in Meta. *q* Immo sicut tam in speculatiuis, quã in practicis, vt idem Angelicus Doctor asserit, *r* quædam etiam per se nota, sunt tantum sapientioribus nota; ita eorum, quæ per diuinam reuelationem fiunt fidelibus nota, quædam sunt tantum sapientioribus fidelibus nota, quod etiam ex eodẽ S. Doct. patet *f*, atque hoc pacto intendit dictam propositionem per diuinam reuelationem Theologis notam esse, atque etiam ad fidem secundum se, & immediate pertinentem.

p, 1.p.q.1.a.5.ad prim. q, lib.2. r, 1.2.q.94.a.2.& 4. f, 2.2.q.2.a.6.

50 Insuper maioris claritatis causa ponit tres status, in quibus eadem propositio considerari potest, & secundum quos non vno, eodemque modo de eadem loquũtur Auctores. Primus status erit, prout omnium eligentium (quorum interest) facta congregatione, & eorum omnium, vel duarum partium

saltem

saltem consensione, electus nominatur, & assumitur hic homo Pontifex. Secundus erit, vt iam hæc electio rite, & legitime peracta intimatur toti populo, atque hic homo pręstatur, exhibeturque Pontifex. Tertius erit, quando idem hic electus, declaratusque Pontifex, ad id, quod Pontificij muneris est, obeundum accedit, exequiturque. Quo posito Gregor. de Valent. t asserit, quandiu Pontifex quidem nihil erga vniuersam ecclesiam statuit, nihil, vel parum admodum imminere periculi, si diu, aut etiam nunquam constaret ex fide, illum esse verum Pontificem, sed certitudine tantum morali. Plus enim quiddam est, Sedem Apostolicam omnino vacare, quam non prorsus ex fide constare, num is, qui in ea pręsidet, legitime, ac vere pręsideat. Et tamen vacat quandoque, sine magno ecclesiæ incommodo sedes Apostolica aliquandiu.

t, 2.2. *Disput.* 1. *q.* 1. *puncto* 7.

51 Sed Iacobus probare nititur, huius dicti primam partem aduersari tum veritati, tum decreto Nicolai Secundi, u vbi ipse Nicolaus *auctoritate Apostolica instructus*, vt ait, *prædecessorum suorum, aliorumque sanctorum Patrum auctoritate*, electionis modum statuit, & decernit. In quo statuto illud dignum notatu, quod inquit; *plane postquam electio fuerit facta, si bellica fuerit potestas, vel qualiscunque hominum conatus malignitatis restiterit, vt is, qui electus in Apostolica Sede, iuxta consuetudinem inthronizari non valeat, electus tamen, sicut verus Papa,*

D obtinet

obtinet auctoritatem regendi Romanam Ecclesiam, & disponendi omnes facultates illius; quod B: Gregorium ante suam consecrationem cognouimus fecisse. Idem clarissime ex Cathedra definiuit Pius Secundus.

u, *Distinct.23.cap.17. in nomine Domini.*

52 Quo ad alteram vero partem animaduertit, longe aliud esse, non constare ex fide, Ecclesiam aliquo tempore non habere vnum aliquem determinatum virum pro suo visibili pastore, & aliud, non constare ex fide, illum ipsum determinatum virum, quem pro suo vniuersali pastore habet, verum esse Ecclesię pastorem, dum iam illũ pro tali habet, & agnoscit ecclesia; & potissimum quando illum acceptat certe, atque indubitate, idque tum Procerum, tum omnium consensione; quamuis ergo primum illud nihil habeat incommodi, secundum vero habet plurimum, vt pluribus probat ipse Iacobus in sua supradicta Theologica demonstratione. Idem cum Iacobo affirmare videtur & Valentia hisce verbis. Ad hanc expediendam difficultatem libenter illud solum responderem, quod multi docti, ac pij viri crediderunt, atque ipse mihi persuadeo, nempe nunquam futurum, vt incapax eligatur, Deo ad auertendum ab ecclesia sua periculum, facile, vt potest, id prohibente.

53 Sed quia graues Doctores admittunt eiusmodi casum, tanquam possibilem, Valentia x ait, si quis forte in Pontificē, huius auctoritatis incapax (quod minime tamen veretur futurum) eligeretur, nunquā

tamen

tamen fore, vt is aliquid erga Ecclesiam vniuersam decerneret, sed vel discederet è vita, priusquam ad id ventu'um esset, vel illius certe vitium, & incapacitas Deo prouidente detegeretur. Neque vero hoc foret aliquod miraculum, sed quiddam omnino consequens ea ordinaria illa Christi lege, qua is voluit ecclesiam suam vniuersam non per ministerium alicuius alterius hominis singularis, præterquam legitimi pastoris, gubernari.

x, *loco citato*.

54 Nugnus y vocans hanc difficultatem nostris temporibus celebrem, vtrum scilicet sit de fide supradicta propositio ita, vt oppositum sit hæreticum, post multa hinc inde allata, tandem cōcludit, quod statim ac Pontifex eligitur pacifice, & cum omnibus requisitis, est vere de fide istum esse summum Pontificem, & oppositum est hæreticum; sed ego puto, id priuati non esse arbitrij statuere, sed Apostolicæ sedis dijudicare. At Iacobus asserit id definitum fuisse è cathedra vti vidimus, sed penes ipsam cathedram totum iudicium sit.

SECTIO II.

SYNOPSIS.

1. Quomodo Papa simul natura Episcopus sit Orbis, & Vrbis. 2. An Papa separare possit Bimatum a Romana Sede. 3. In cassum laborat Spalatensis a Romana Ecclesia auferre potestatem in vniuersalem Ecclesiam. 4. Frustra item laborat Romanum Episcopatum ab vniuersalis Ecclesiæ

D 2 Ponti-

Pontificatu disiungere. 5. Hanc inscriptionem Paparum Vrbanus Episcopus Spalatensis conuitijs insectatur. 6. His conuitijs respondet Bouerius.

EPISCOPVS.

1 PONtifex simul natura Episcopus est Orbis, & Vrbis. Cardinales eligunt Papam, in quantum est Pastor vniuersalis ecclesię, non autem in quantum est Pastor Romanæ Ecclesiæ; nam vel Papa ante electionem erat Episcopus, vel tantum sacerdos; si erat Episcopus, tunc ad Cardinales non spectat ipsum Romanum Episcopum eligere; ipse enim post electionem Cardinalium Romanam ecclesiam sibi in Episcopatum, Deo iubente, deligit, & alterum episcopatum, quo fruebatur, in Romanum episcopatum commutat; sin tantum sacerdos, non Episcopus erat, adhuc nec a Romana ecclesia in Romanum Episcopum eligitur; sed is post Cardinalium electionem, Romana ecclesia sibi in peculiarem sedem electa, ab electis a se Episcopis tantummodo Episcopus ordinatur. Hęc omnia ex facto Petri perspicua sunt, qui cum Antiochenus Episcopus esset, neque ab Apostolis, neque a Romano populo, Romanus Episcopus electus est, sed ipse sibi Romanam ecclesiam propria auctoritate, Deo tamen iubente, copulauit. Bouerius. [a]

a, *In censura Tract. de legit. Card. creatione à Spalatensi in lucem editi.*

2 An vero possit summus Pontifex separare primatum a Romana Sede, & illum, vel in alio Episco-

patu

patu collocare, vel ab omni particulari Episcopatu separatum relinquere; Suarez [b] certum esse existimat, dum aliquis summus Pontifex id non fecerit, non posse vniuersam ecclesiam, vacante Papatu, id efficere, quia non potest inferior potestas mutare, quod per superiorem constitutum est; & quia sicut soli Petro datus est Primatus pro ipso, & successoribus eius; ita ad solum illum, seu ad summum Pontificem spectat determinare sedem Pontificalem, & modum electionis, & successionis eius præscribere.

b, *In sua defensione fidei Catholicæ lib. 3. c. 13. num. 12.*

3 Spalatensis [c] stultum laborem insumit, vt a Romana ecclesia omnem iuris Pontificij potestatem in vniuersalem ecclesiam auferat. Ait enim Romanam ecclesiam, & esse, & cognosci, & dici vnam particularem ecclesiam cum suo proprio suæ particularis Diœcesis Episcopo; inde maxime habemus, sequitur ipse, quod Romani Pontifices prisci illi, qui nondum Papatum sibi effinxerant, nondum Monarchiã arripuerant, se nude, ac simpliciter Romæ Episcopos nominarint; & Patres similiter, atque Concilia Romanos Episcopos non nisi Romanæ ecclesiæ Episcopos agnouerint, & vocarint.

c, *in 4. lib. de Republica Ecclesiastica cap. 2.*

4 Sed frustra laborat, vt scribit hic Bouerius, vt Romanum episcopatum ab vniuersalis ecclesię Pontificatu disiungat, & Romani Episcopi appellatione supremum totius Ecclesię Papatũ expelli cotendat. Cum enim vniuersalis ecclesię Pontificatus ita

cum

cum Romanę Vrbis Episcopatu coniunctus sit, vt quisquis Romanũ Episcopum vocat, ea appellatione protinus summũ totius orbis Pontificem intelligat, trito enim canonistarum axiomate receptum est, Episcopum Vrbis esse Episcopum Orbis.

5 Subdit etiam Spalatensis, postquam Agapetum a Constantino Imperatore Archiepiscopũ Vrbis Romæ, & Patriarcham appellatum fuisse retulit, Nostri tamen, inquiens, iam Monarchico spiritu toti inflati Pontifices, Romam in suis inscriptionibus nominare amplius noluerunt; sed vel se Catholicæ ecclesiæ Episcopos inscripserunt; vel demum posteriores (adeoque semper deteriores) miro cum artificio, nec minoris superbiæ typho, sub simplicioris, & humilioris tituli specie se tantum Episcopos vocauerunt, vt iam ordinaria Paparum inscriptio sit, Paulus Episcopus, Seruus Seruorum Dei; Episcopus nimirum totius mundi.

6 Respondet his conuitiis Bouerius, dicens, cuinam similem te esse dixero Antoni? Pueris profecto illis sedentibus in foro, qui, vt olim dixit Saluator, d clamantes coæqualibus suis dicunt; *Cecinimus vobis, & non saltastis; lamentauimus, & non planxistis*. Si enim Vicarij Christi, & visibilis Ecclesiæ capitis nomen, quo Romanus Pontifex ex Dei pręscripto potitur, tibi occinerimus, non saltas, non eo delectaris, displicet summopere, si ad sedandas animi tui procellas, humillima Episcopi, & Serui Seruorum nomina proferamus, quibus saltem commoueri de-

ri deberes, & ſumma Pontificis humilitate compungi, iſs magis animo turbaris; quid eſt, quod te tandem placare queat, ſi quæ iuſta ſunt, nefanda exiſtimas; optima vero quæque, ac virtute plena, tibi nauſeam, ac ſcandala pariunt?

d, *Matth.* 11.

SECTIO III.

SYNOPSIS.

1. & 2. Papa curſe nominet Seruum Seruorum Dei. 3. Epiſcopi vniuerſalis nomen Gregorius deteſtatur. 4. Differentia inter nomen vniuerſalis Epiſcopi in Eccleſia, & Epiſcopi Eccleſiæ vniuerſalis. 5. Pelagij Papæ dictum declaratum contra Spalatenſem. 6. Cur Gregorius vocet Imperatorem Dominum ſuum. 7. Defenditur Gregorius Papa contra Nouatores. 8. Mauritij Imperatoris exitus. 9. Eccleſiaſtica poteſtas politicam perficit. 10. & 11. Cura Romanorum Pontificum in procuranda ſalute Principum, & in exaltanda eorum Principatuum gloria.

SERVVS SERVORVM DEI.



T ecce, Antoni, Pontifex ſe Seruum Seruorum Dei deprædicat, quod aliquanto modeſtius eſt, quam ſe olim Compresbyterum dixiſſe. Sed quod attinet ad locum Petri, a ſummus Apoſtolus ſe compresbyterum, hoc eſt, vt interpretatur Hieronymus, b Coepiſcopum vocat, vt Chriſtianæ modeſtiæ, atque Apoſtolicæ humilitatis exemplum præbeat, qui iure poteſt ſe Epiſcoporum Epiſcopum, & eccleſiæ Principem appellare; ei ſiquidem dictum eſt a Domino. c *Ego rogaui pro te, vt non deficiat*

ficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos, & alibi [d] agnos, & oues pascendos suscepit; Quocirca, tametsi Petri successores suum agnoscāt in vniuersam ecclesiam Principatum, merito tamen ceteros inferiores Episcopos fratres, & Coepiscopos nominant. Iustinianus. [e]

a, 1.*epist.c.*5. b, *epist.*85. c, *Luc.*22. d, *Ioan.cap.*21. e, *super locum Petri cit.*

2 Sed notandum, Papam nō appellare se Seruum, eo quod proprie sit seruus, nam Papa non potest esse seruus, immo si seruus promoueretur in Papam, statim efficeretur liber. [f] Sanctus Gregorius primus nomine Serui Seruorum Dei est vsus, vt notat Maucherus, [g] sed tamen in hac summa humilitate supremam non desinit retinere auctoritatem, vt patet ex eius gestis, exemplo Sancti Petri; qui se instar Christi Domini sui se in omnibus vehemēter humilians, nihil tamen de sua suprema auctoritate remittebat, cum illius officij ratio, & operatio postularet; vt cum de replendo Iudæ proditoris Apostolatu, in eiusque execrabilis filij perditionis locum sufficiendo, in concilio Apostolorum, cum ecclesia licet tota pulchra a sancto repleta spiritu adhuc vagiret in cunis, ageretur, *Quā est feruidus*, inquit S. Chrysostomus, *quam agnoscit à Christo creditum sibi gregem; quam in hoc choro princeps est; & vbique primus omnium incipit loqui.*

f, *cap.si seruus*, 54.*dist.Bal.in l.quisquis.C.de Episc.& cler.& Philip. Franc.in Proem.*6.*Decr.num.*8. g *In sua monarchia ecclesiastica, & sæculari christiana lib.*1, 2.*p.cap.*9.

Idem

Idem Gregorius, vt scribit Iustinianus, [h] non modeste solum, sed etiam verè Episcopi vniuersalis nomen tanquã prophanum, & sacrilegum detestatur; perinde enim Sanctiss. Pontifex hoc nomen accipit, quasi ceteri omnes Episcopi præter nudum nomen nulla sint auctoritate præditi; itaque ait. [i] *Triste valde est, vt patienter feratur, quatenus despectis omnibus prædictus frater, & Coepiscopus meus solus conetur appellari Episcopus*; & alibi. [l] *Si vnus Patriarcha vniuersalis dicitur, Patriarcharum nomen ceteris derogatur*. Bursus alio loco: [m] *Si vnus vniuersalis est, restat, vt vos Episcopi non sitis*.

h, *loco cit.* i, *lib.4. regest.34. ad Constantiam.* l, *epist. 36. ad Eulog.* m, *lib.7. epist.69. ad Euseb.*

4 Spalatensis hinc sumit obiectionem contra Primatum Pontificis. Sed notandum est cum Becano [n] hæc duo distingui, quæ M. Antonius confundit; primo dici vniuersalem Episcopum in ecclesia; secundo, dici Episcopum vniuersalis ecclesiæ. Prior titulus reprehenditur in Ioanne Patriarcha Constantinopolitano; posterior Romano Pontifici conceditur. Et Gregorius, & Pelagius etiam summus Pontifex priorem asserunt esse prophanum, blasphemum, & Antichristianũ, vt videre licet apud ipsum Becanum; [o] posteriorem non item. Est autem hoc discrimen inter vtrunque titulum, qui. n. dicit se esse vniuersalem Episcopum, vel sacerdotem, insinuat se solum esse Episcopum, & aliis omnibus derogat nomen, & honorem Episcopalem, & hoc fecisse Ioan-

nem, teſtatur Gregorius, vti vidimus. Qui autem dicit ſe eſſe Epiſcopum, vel Paſtorem vniuerſalis eccleſiæ, non ſignificat ſe eſſe ſolum Epiſcopum, vel Paſtorem, ſed ſe habere generalem curam, & gubernationem totius eccleſię, licet alij Epiſcopi habeant ſpecialem curam, & gubernationem eccleſiarum particularium. Et hoc ſenſu Pontifex ſolet vocari Epiſcopus, & Paſtor vniuerſalis eccleſiæ, quod etiã fatetur Gregorius. Nam p ait, *Petro omnium Apoſtolorum Principi, totius eccleſiæ cura commiſſa eſt.* Item: *cura ei totius eccleſiæ, & Principatus committitur, & tamen uniuerſalis Apoſtolus non uocatur.*

n, in Manuali controuerſ.lib.1.c.4.nu.76. o, locis cit. p, lib.6.epi.32.

5 Pelagium audiamus a Spalatenſi contra nos adductum, qui merito contra ipſum adduci poteſt; *Relatum eſt ad Apoſtolicam Sedem*, inquit ipſe Pelagius apud Gratianum, q *Joannem Conſtantinopolitanum Epiſcopum, uniuerſalem ſe ſcribere, voſque ex hac ſua præſumptione ad Synodum conuocari generalem. Cum generalem Synodum conuocandi auctoritas Apoſtolicæ Sedi B. Petri ſingulari priuilegio ſit tradita, & nulla unquam Synodus rata legatur, quæ Apoſtolica auctoritate non fuerit fulta:* & infra: *ſciat Ioannes, niſi errorem ſuum cito correxerit, a nobis excommunicandum fore;* quibus verbis fatetur hæc tria, vt notat Becanus: primo auctoritatem conuocandi generalem Synodum, ſingulari priuilegio, traditam eſſe Apoſtolicæ Sedi: Secundo nullam Synodum ratam eſſe, quæ Apoſtolica auctoritate non ſit firmata: Tertio

Ponti-

Pontificem posse excommunicare Episcopos Orientales; quæ omnia valent contra Spalatensem. Nec debet excipere, suspectum esse Pelagium in hac causa; primo quia ipse vtitur eius auctoritate; secundo quia vocat eum Pontificem sanctum; sicut & Gregorium, vt ipsorum testimonium plus ponderis habere videatur.

q, *dist.29.cap.Nullus.*

6 Quod autem Gregorius, [r] Imperatorem Serenissimum dominum suum, se vero indignum seruum eius appellet, non est mirum. Nam, vt scribit Ioannes eius Diaconus [s], omnes sacerdotes fratres, omnes clericos filios, omnes laicos Dominos suos vocabat, nec tamen inde colligere potest Caluinus, & alij Nouatores, ab omnibus laicis Gregorium iudicari potuisse. Addit Bellarminus [t] S. Gregorium ita humiliter cum Imperatore non sine causa locutum, quia eo tempore Imperator dominium temporale in Vrbem Romanam obtinebat, & Gregorius eius ope, & amicitia vehementer indigebat, vt tam ipse, quam bona temporalia ecclesiæ suæ, & populus Romanus a Longobardorum gladijs, & furore defenderetur.

r, *lib.3.epist.6.* s, *lib.4. vita ipsius cap.58.* t, *De Romano Pontifice lib.2.cap.28.*

7 Vociferatur hic Iunius, perfidiosæ responsionis genus; cur perfidiosæ? An si necessitas, vel violentia cogat, non potest is, qui alteri subiectus non est, vt ait Gretserus [u], eum appellare suum Dominum, &

E 2 se

se profiteri seruũ, idque maioris mali effugiendi intuitu, quod a S. Gregorio factum est; qui Romanam ecclesiam in summum discrimen coniecisset, si ius suum persequi, nec a Christiana humilitate rebus afflictis remedium postulare voluisset. Quandoquidem Mauritius Imperator admodum tyrannice Romanam ecclesiam diuexabat. Sed Iunius, si, quia eget, Imperatorem agnoscit Pontifex, quid faciat, vbi non egebit. Respondet Gretserus, iure suo vtetur, & se, suosque a molestia, & oppressione liberatos merito gaudebit, & Deo laudes, gratesque lætus canet hunc, vel similem in modum: Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est, equum, & ascensorem eius proiecit in mare.

u, *in defens. supradicti cap. Bellarmini.*

8 Vtinam Mauritius Imperator, vt fuit Catholicæ fidei tenacissimus, fuisset & in reliquis æque sincerus, sed dum libertatem ecclesiasticam conuellere voluit, ac contemptui habuit Pontificem Romanum, aliaque praua opera commisit, Dei vindictam meruit experiri. Nam ille horrendis exterritus visis, optauit delictorum suorum pænas luere in hac vita. Proinde annuente Deo, a Phoca Centurione Imperator, Coniuge, ac liberis ante oculos eius trucidatis, iugulatur. Non alius Augustus aut maiorem cladem, aut fortius tulit. In suorum, ac sua cæde, vna illa eius vox audita. Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.

9 Ecclesiastica potestas nullo modo politicæ nocet,

cet, sed valde prodest; nam sicut iuxta Theologorum axioma, gratia non destruit naturam, sed perficit; ita Christus Dominus potestatem in terris spiritualem instituendo, pro Reipublicæ Christianæ in astra directione, saluteque sui ouilis æterna, mundi respublicas, regnaque sæcularia destruere non intendit, sed perficere magis; nec eripere iustis possessoribus dominationes terrenas, qui, vt pia canit ecclesia, *regna dat cælestia*. x Nicolaus I. *Nolite*, inquit, *praiudicium Dei Ecclesiæ irrogare; illa quippe nullum imperio vestro praiudicium infert, sed omne potius aufert*. Et Innocentius III. y *Neque enim Romanus Pontifex*, aiebat grauissimus hic auctor, & Papa sapientissimus, *super sceptra Principum, iuraque, vt ea perturbet, aut imminuat, potestatem habet, sed super eorum conscientias, & animas, ut eas in æterna cælestis imperij tabernacula tuto, rectoque catholicæ ueritatis, charitatisque tramite deducat*.

x, *Epist. ad Michaelem Imperatorem*. y, *c.nouit.de iudicijs l.2.Decr.*

10 Multa exempla a Mauclero z afferuntur de pia, magnaque solicitudine, cura, labore, affectuque charitatis Romanorum Pontificum in procuranda salute Principum, & exaltanda eorum principatuum gloria, & prosperitate. Martini I. solius nobis sufficiat exemplũ, cuius generositatem in execrabiles imperij grassatores, oppressoresque Christianorum Sarracenos plusquam virilem, nec non paternam illius in Constantem Heraclij nepotem Imperatorem, magnis licet sordi datum vitiorum, scelerumque

se profiteri seruũ, idque maioris mali effugiendi intuitu, quod a S. Gregorio factum est; qui Romanam ecclesiam in summum discrimen coniecisset, si ius suum persequi, nec a Christiana humilitate rebus afflictis remedium postulare voluisset. Quandoquidem Mauritius Imperator admodum tyrannice Romanam ecclesiam diuexabat. Sed Iunius, si, quia eget, Imperatorem agnoscit Pontifex, quid faciat, vbi non egebit. Respondet Gretserus, iure suo vtetur, & se, suosque a molestia, & oppressione liberatos merito gaudebit, & Deo laudes, gratesque lætus canet hunc, vel similem in modum: Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est, equum, & ascensorem eius proiecit in mare.

u, *in defens. supradicti cap. Bellarmini.*

8. Vtinam Mauritius Imperator, vt fuit Catholicæ fidei tenacissimus, fuisset & in reliquis æque sincerus, sed dum libertatem ecclesiasticam conuellere voluit, ac contemptui habuit Pontificem Romanum, aliaque praua opera commisit, Dei vindictam meruit experiri. Nam ille horrendis exterritus visis, optauit delictorum suorum pœnas luere in hac vita. Proinde annuente Deo, a Phoca Centurione Imperator, Coniuge, ac liberis ante oculos eius trucidatis, iugulatur. Non alius Augustus aut maiorem cladem, aut fortius tulit. In suorum, ac sua cæde, vna illa eius vox audita. Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.

9 Ecclesiastica potestas nullo modo politicæ nocet,

cet, sed valde prodest; nam sicut iuxta Theologorum axioma, gratia non destruit naturam, sed perficit; ita Christus Dominus potestatem in terris spiritualem instituendo, pro Reipublicæ Christianæ in astra directione, saluteque sui ouilis æterna, mundi respublicas, regnaque sæcularia destruere non intendit, sed perficere magis; nec eripere iustis possessoribus dominationes terrenas, qui, vt pia canit ecclesia, *regna dat cælestia*. x Nicolaus I. *Nolite*, inquit, *praiudicium Dei Ecclesiæ irrogare; illa quippe nullum imperio vestro praiudicium infert, sed omne potius aufert*. Et Innocentius III. y *Neque enim Romanus Pontifex*, aiebat grauissimus hic auctor, & Papa sapientissimus, *super sceptra Principum, iuraque, vt ea perturbet, aut imminuat, potestatem habet, sed super eorum conscientias, & animas, ut eas in æterna cælestis imperij tabernacula tuto, rectoque catholicæ ueritatis, charitatisque tramite deducat*.

x, *Epist. ad Michaelem Imperatorem*. y, *c.nouit.de iudicijs l.2.Decr.*

10 Multa exempla a Mauclero z afferuntur de pia, magnaque solicitudine, cura, labore, affectuque charitatis Romanorum Pontificum in procuranda salute Principum, & exaltanda eorum principatuum gloria, & prosperitate. Martini I. solius nobis sufficiat exemplū, cuius generositatem in execrabiles imperij grassatores, oppressoresque Christianorum Sarracenos plusquam virilem, nec non paternam illius in Constantem Heraclij nepotem Imperatorem, magnis licet sordidatum vitiorum, sce-

leruinque

lerumque contagijs, charitatem, huius vitæ scriptores admirantur. Qui sua solerti sagacitate, magnanimo labore, paternaq; prouidentia Siciliã a Sarracenorum incursionibus crudelibus immunem, liberamque seruauit, atque ne subacta immanibus illorum armis Orientis Imperatori deperiret, summa vigilantia, generositateq; prouidit. Licet postea pro tantæ pietatis in imperium, charitatisque mercede, illius Imperatoris ingratissimi, nefandissimi fidei catholicæ persecutoris, ferali, tyrannicoque decreto ipse S. Pontifex in exilio consumptus ærumnis vitam glorioso martyrio consummauerit.

z, loco citato. 4. p. lib. 6. cap. 15.

11 Sed si hæc antiquiora prætermittamus, & in recentiora paullo sæcula descendamus, nonne ex historijs grauissimisque scriptoribus apparebit Imperium in occidente valde debilitatum, propeque collapsum, Romani Pontificis auctoritate, studio, sapientia, pietate restauratum fuisse, posteaque solido robore firmatum. Videat Lector hæc omnia apud Mauclerum. [a]

a, eodem cap. 15.

SECTIO IV.

SYNOPSIS.

1. Declaratur locus Apostoli: Quid enim mihi de ijs, qui foris sunt, iudicare? 2. Quid possit Papa in infideles. 3. Ecclesia punire potest hæreticos. 4. Leges Imperatorum contra hæreticos. 5. Ecclesia iure exercet potestatem

tem coactiuam contra hæreticos. 6. Hæretici admittunt omnium religionum portenta, præter nostram Religionem. 7. Vna sola est fides vera, ceteræ omnes falsæ. 8. Qui apostatice defecerunt ab Ecclesia catholica, per ipsam traduntur Principibus sæcularibus puniendi. 9. Infideles in fideles possunt habere dominium. 10. Quomodo Alex. III. Regibus Castellæ subiecit Indos Occidentales. 11. Reprehenduntur Lusitani ab Auctoribus Lusitanis. 12. Quando serui infidelium licite fugere possunt. 13. Licite Principes Christiani prohibent infidelibus habere mancipium Christianum. 14. An Princeps iure a proprio territorio expellat Iudæos. 15. Ecclesia potest cogere infidelem, qui fidem semel susceptam reliquit, ad eam denuo recipiendam. 16. An Cathecumeni sint sub potestate Papæ. 17. An Cathecumeni sint in Ecclesia. 18. An Cathecumenus Indulgentiarum sit capax. 19. An Indulgentiæ per modum suffragij his applicentur. 20. An Cathecumenus sepeliatur in Ecclesia. 21. An Cathecumenus saluari possit, si ante baptismum decedat. 22. Hæretici, & Apostatæ Indulgentiarum omnino incapaces. 23. An Papa concedens alicui Indulgentiam approbet statum illius.

VNIVERSI CHRISTI FIDELIBVS PRÆSENTES LITERAS INSPECTVRIS.



Vid enim mihi de ijs, qui foris sunt iudicare? a His enim verbis Apostolus ecclesiasticam potestatem ecclesiæ finibus circumscribit, & quasi inter cancellos includit; ait enim ecclesiasticam iudicandi auctoritatem ecclesiæ fines nequaquam egredi; atque adeo infideles ecclesiastico iudicio non subesse. Obseruat hic Chrysostomus, non hæc eo spectare, vt indicet Apostolus se curam infidelium penitus neglexisse; Cum re vera tantum doceat eos auctoritati, & potestati Apostolicæ non subesse: nam alioqui strenue laborabat, vt eos ad Christi castra perduceret, vt postquam fidei præbuisset

buiſſet aſſenſum, Chriſtianis præceptis imbueret, & ad omnem pietatem informaret; quandiù autem fidei reluctabantur, nullam in eos ſibi arrogabat auctoritatem. Sic Iuſtinianus in hoc loco.

a, 1. *Corinth.* 5.

2 Qui etiam refert ſententiam nonnullorum, qui Pontifici Romano, & in infideles auctoritatem tribuunt, quaſi eos poſſit rerum ſuarum dominio, imperioque priuare; idque aliquando factum fuiſſe contendunt. Sed ipſe nihil dubitat eccleſiaſticam Pontificis poteſtatem Eccleſiæ finibus circumſcribi, nec quidquam poſſe iure ſuo in infideles ſtatuere. Quod ſi gentiles Chriſtianam fidem oppugnent, probris, & contumeliis afficiant; tunc iure defenſionis ad propulſandas iniurias, contra illos agere poteſt.

3 Dices, ſi eos, qui foris ſunt, non poſſumus iudicare; ergo eccleſia non poteſt iudicare, & punire hęreticos, & ſchiſmaticos, hi enim ſunt foris, ideſt extra eccleſiam. Reſpondet Cornelius a lapide *b* eos eſſe extra eccleſiam, quia bonis eccleſiæ ſunt priuati; intus tamen ſunt, quia eius iuriſdictioni ſubſunt; hoc ipſo enim quo characterem baptiſmi retinent, manent ſua prima profeſſione eccleſiæ deuincti, obligati, ſubiecti. Vnde tenentur ieiunijs, feſtis, aliiſque legibus eccleſiæ, ſuntque in eccleſia, ſicut mancipia in familia, & rei incarcerati in Vrbe.

b, *ſuper locum citatum Apoſtoli.*

Ergo

4 Ergo leges Imperatorum, quibus vel ipso Augustini tempore Hæretici multabantur, erant iustę, vt scilicet locus hæreticorum seruiens conuenticulis redigeretur in fiscum; vt eis testamenta condendi, vel per donationes quidpiam offerendi, vel ex donationibus, aut testamentis aliquid capiendi, adimeretur facultas. Legendus S. Augustinus. c

c, *lib. 1. contra Epist. Parmen. cap. 7.*

5 Iure etiam ecclesia potestatem coactiuam contra hæreticos, & Apostatas exercet, qui ei fidem per baptismum aliquando dederunt; vt cogat datam protestari fidem, vel simpliciter puniat ob desertam. Nec sunt audiendi ipsi hæretici, dum dicunt fidem debere esse liberam; quia fides libera est, antequam eam quis profiteatur: ceterũ post eius professionem non amplius libera relinquitur, sed eam, quantum in se est, quisque retinere, ac tutari debet. Quod patet in simili de matrimonio, militia, sacerdotio, &c. quæ libera sunt ante acceptationem, non post.

Et ipsi Caluinistæ, Mahumeto similes, specioso Euangelicę libertatis pallio amicti, intrauerunt Germaniam, Galliam, Angliam, Belgium, vt vulpes; at postmodum durioribus exilij, proscriptionis bonorum, excommunicationis, carceris, equulei, ferri, & flammæ stimulis, ad nouam Religionem Catholicos adegerunt. Eadem sane cum horum, & Turcica erat Arianorum iudicum sententia; *Aut subscribite, aut ab Ecclesijs recedite*. Eadem factio, ea-

F dem

catur, vnam duntaxat, vt veram amplectatur, & præ vna illa, consequenter ceteras falsas necesse sit, vt habeat, necesse vt damnet.

8 Ecclesia Dei habet iustam, adeoque script. Decretis, & rationi consonam potestatem Hæreticos, qui ante chatolicæ ecclesiæ dederant nomen, sed apostatice, & sacrilege defecerunt, per Principes sæculares puniendi. Falsi Prophetæ in veteri Testaméto iubentur occidi. [f] In nouo testamento non alio loco habentur heretici, quam lupi rapaces, fures, & latrones, [g] quia videlicet oues Christi auellunt ab ouili, & sua perfidia occidunt, atqui tales licite occiduntur, ne noceant. In Concilio Constantiensi [h] damnatus fuit cótrarius error Ioannis Hus, quem, vti Hieronym. de Praga, tradidit brachio sæculari, a quo vterque in cinerem est conuersus. [i] Sic laudatissimi Christianorum Principes Valentinianus, & Marcianus, [k] item Michael Imperator apud Paulum Diaconum, [l] pœnam mortis decernunt in Hæreticos. Idem suadet ratio, tum quia heresis Reipub. est perniciosissima, tum quia Hæretici omnes ordinarie sunt seditiosi, omniaque tumultibus, ac bellis implent, vt patet; ergo Principes obligantur omni iure eos extirpare, si absque maiori incomodo possint. Lancelottus: [m] qui etiam testatur Caluinum ipsum Seruetum Hereticum extremo supplicio affici curasse, & libellum edidisse de Hereticis gladio licite eliminandis.

f, *Deut.* 1.3.17. & 18. g, *Matth.* 7. *Io.* 10. *Act.* 20. h, *Sess.* 15. 1, *cap.*

Ad abolendum. extra de Haret. k, *l.quicumque, C. de haret.* l, *cap.24.* m, *loco citato, quare 98.*

9 Infideles in fideles poſſunt habere dominium, tam deſpoticum, quale habet Dominus in ſua mancipia; quam politicum, quale habet Rex in omnes ſuos ſubditos; nec Eccleſia poteſt tales his dominijs priuare, quamdiu nec ſeruis ob fidem moleſti ſunt, nec in Chriſtianos iniurij. Sic Coninck ex multis DD. n quia Eccleſia nec iure naturæ habet hanc poteſtatem, nec a Deo vllibi ei legitur conceſſa; quare nunquam tali poteſtate vſa eſt, immo ſemper definiuit ſubiectos dominis infidelibus teneri ijs obedire, nec poſſe ab his fugere, ſi mancipia ſint.

n, *De Actibus ſupernaturalib. Diſput.* 18. *dub.* 10. *num.* 160.

10 Nec his obſtat Bulla Alexandri VI. qua Regibus Caſtellæ ſubiecit Indos occidentales, quia, per eam non tranſtulit horum regna, aut dominia in Caſtellanos, ſed his ſolum dedit ius prædicatores fidei in ea regna mittendi, aut etiam aliqua ex iis ſibi acquirendi, modo id alias licite fieret, vt cum alijs docet Bellarm. o Vnde, vt refert Bannes p, Paulus III. in quadam Bulla definiuit Indos infideles eſſe vere dominos ſuarum rerum, nec poſſe ijs ſpoliari, ſcilicet niſi per iniuriam darēt iuſtam cauſam, ob quam ſpoliarentur.

o, *lib. de Pont. cap.* 2. p, 2.2. *quaſt.* 10. *art.* 10. *dub.* 4. *concluſ.* 5.

11 Barboſa q arguit Luſitanos, & ipſe Luſitanus, qui in Guinea Aethiopes in ſeruitutem iniuſtā redigunt

digunt, illos ſcilicet, quos vident ad propria eorummet Luſitanorum nauigia per vim, & fraudem trahi, vel abſque culpa pro delicto patrifamilias perpetuæ ſeruituti barbare damnari; vnde optima ratione hos liberorum hominum iniuſtos venatores arguit Rebellus, Luſitanus etiam. [r]

q, *De officio, & poteſtate Epiſcopi* 1.*p.tit.*3.*c.*2.*nu.*37. r, *de oblig. iuſtitiæ p.*2.*lib.*18.*q.*23.*ſect.*5.*nu.*30.*cum ſequentibus.*

12 Sed notandum, ſupradictum fuiſſe, quamdiu nec ſerui ſunt moleſti ob fidem, &c. quia hi alias poſſent fugere; nam in hoc iniuriam paterentur, & ſic etiam licite fugerent a dominis Chriſtianis, ſi vellent eos ad peccatum pertrahere. Item ſi infideles eſſent iniurii in chriſtianos, tunc per modum compenſationis poſſent Chriſtiani ab iјs fugere; & ſic Turcarum mancipia licite fugiunt, & poſſet Eccleſia iis fugam, ſi commode fieri poſſet, præcipere.

13 Eccleſia, ac Principes Chriſtiani licite ſtatuerunt, ne vllus infidelis Chriſtianis ſubiectus habeat ſeruum, ſeu mãcipium chriſtianum. Eſt communis. Patet etiam iure [ſ], vbi Iudæi priuantur iuriſdictione in Chriſtanos, & prohibentur vlla ratione ad ſimilem iuriſdictionem admitti. Et alibi [t] ſtatuitur, vt ſi quis Iudæus, Paganus, vel hæreticus habeat ſeruum Chriſtianũ, hic fiat ſtatim liber, & alio loco [u] ſtatuitur, vt ſi quis Iudæus, vel Sarracenus ſeruum emerit infidelem mercaturæ cauſa, qui poſtea vult bapti-

baptizari, nisi intra tres menses venalem exponat, hic fiat sine pretio liber, & similiter is, qui seruitij causa emptus, aut vernacula est.

ſ, ex l. Hæc valitura. C. de Iudæis, & cælicolis, t, *l. Deo nobis, C. de Episcopis, & cler.* u, *cap. Nulli Iudæo, de Iudæis, & Sarracenis.*

14 Potest Princeps ex proprio territorio expellere Iudæos, vel alios infideles ibi commorantes, iustis de causis, vt in Regno nouiter ad fidem conuerso, quo facilius ibi christiana religio propagaretur, posset indici Iudæorum, & ceterorum infidelium expulsio, vt Constantinum fecisse in Ecclesia primitiua refert ex Host. & alijs Ricciullus; x qui etiam affert alias causas, vt si in Christianam Religionem euadant contumeliosi; ob hanc causam exularunt ab Anglia, propterea quod Vuoruici puerum Christianum, cui nomen erat Vuilmenes, in die parasceues, in nostrę Religionis contemptum, Cruci affixerunt; idemque fecerunt Iudęi Nordonici degentes, vt refert D. Ant. y si seditiones excitent, aut aliter in nos detegantur iniuriosi; si in tam magnum numerum excreuerint, vt inde timeri posset proditio; qua de causa abire coacti sunt ex Regnis Hispaniarum; si leges non seruent; & denique si ita diuites euaserint, vt ex facultatum augumento aliquid inconueniens suspicari possit, quia in hoc casu possent, vel in facultatibus ex aliqua parte multari, vel in parte eijci, pro vt casus qualitas exquirit, quia potest Princeps ex causa publicæ vtilitatis

tatis tollere dominium rerum a subditis, vt probat ex multis DD. idem Ricciullus.

x, in suo tractatu de iure personarum extra ecclesiæ gremium existentium lib. 2. cap. 51. y. 2. par. hist. tit. 17. cap. 1. §. 6. Polidor. Virg. lib. 16. Anglic. histor.

15 Ecclesia potest cogere quemcumque infidelem, qui fidem semel susceptam reliquit, ad eam denuo recipiendam, vt dictum est supra; Princeps tamen id non potest, nisi sint sibi subiecti, aut forte ad hoc ab Ecclesiæ, aut ipsorum Principe fuerit requisitus; coactio enim præsuponit legitimam potestatem. Malderus. z Vbi etiam subdit, non licere Principi cogere infideles, qui nunquam susceperunt fidem, sibi alioquin subditos, vt fiant Christiani, & baptizentur, sed bene, vt desinant blasphemare, & publice Idololatriam in templis suis exercere.

z, *De virtutibus Theologicis quæst. 10. art. 8.*

16 An vero Cathecumeni sint sub potestate Papæ; respondendum cum Benzorio, a non esse subiectos directe, sed indirecte. Quod est contra Nauar. citatum ab ipso. Vnde nec excommunicari cathecumenus potest, nec interdici, cum iurisdictioni spirituali ecclesiæ per se non subsit, quamquam indirecte, in ordine scilicet ad sacramentum baptismi, aliqua circa illos ecclesia constituerit. Cathecumenus matrimonium cum fideli non potest contrahere, quia ad hoc vt impediatur matrimonium, suffi-

sufficit, quod deficiat sacramentum Baptismi Ricciullus. *b*

a, *De anno Iubilei lib.5.dub.18.* b.*loco cit.cap.2.nu.9.*

17 An vero Cathecumeni sint in Ecclesia, alij aiunt, alij negant; cum his sentit Ricciullus, & probat auctoritate Patrum, vt D. Chrysost. *c* dum ait: *Cathecumenum alienum esse a fide, & nihil habere commune cum eo, non ciuitatem, non mensam.* D. Gregorius Nazianz. *d* scribit, *Cathecumenum esse in vestibulo pietatis, nec adhuc posse vocari fidelem;* & tandem contrariæ opinionis argumenta tollit.

c. *in Ioan. Hom.24.* d, *orat. in S. Laurentium.*

18 Cathecumenus ante baptismum in re susceptũ non est capax Indulgentiarum; idem Benzorius, *e* quod est item contra Nauar. Vbi inter alias affert hanc rationem, quoniam expresse in Bulla Iubilei Pontifex solet loqui de his, qui post regenerationem Baptismi, subsidio secundæ Tabulæ indigent, propter quod Christus Ecclesiæ potestatem dimittendi peccata plenissime reliquit, & thesauro immenso meritorum suæ, & sanctorum passionum Ecclesiam suam ditauit. Adde, quod confessio iniungitur his, qui mortale peccatum habent; non igitur Iubilei erit capax, qui confessionem facere non poterit. Hoc argumento Nauar. conuictus, videtur contraria docuisse. *f*

e, *loco citato.* f, *in notab.32.num.10.*

19 Cathecumenis tamen, non solum dum viuunt,

sed

ſed etiam dum ſunt in Purgatorio Indulgentiæ, & ſatisfactiones ex theſauro ab Eccleſia per modum ſolutionis, & ſuffragij poſſunt applicari, ſunt enim membra viua Chriſti, & pertinent ad cõmunionem ſanctorum, vnde a communicatione iuſtorum priuata, aut communi excludendi non ſunt; & aliquo modo publicarum orationum, & ſuffragiorum Eccleſiæ participes ſunt. Vnde pro eis ſpecialiter orat eccleſia in die Paraſceues; & quis ſuam eis ſatisfactionem, vt priuatus, applicare poteſt; & forte ſacerdos illam, quę in miſſa ſibi cõtingit ex opere operantis. Sic Benzonius contra Auguſtinum de Ancona, g vbi citat multos Patres pro hac ſua ſententia.

g, *loco citato.*

20 At vero Cathecumenus, etiam ſi in gratia, & cum voto baptiſmi diſcedat, in Eccleſia, vel cæmeterio Chriſtianorum non ſepelitur, locus tamen ei conceditur prope Eccleſiam, vel cæmeterium. Nec enim decet, vt qui viuens adoptionis Chriſti filijs numero aggregatus non erat, mortuus cum illis admiſceatur, quamuis in cœlo ſimul diuina viſione fruatur.

21 An vero, ſi Cathecumenus intra tempus probationis decedat, ſaluari poſſit, reſpõdet Ricciullus, h diſſonas eſſe hinc inde, & Patrum, & Doctorum ſententias; ſed ipſe mediam viam elegit, vt ſi quidem per cathecumenum non ſteterit, quominus baptizaretur, ſed baptiſma defuit eo, quia vel tempo-

ris angustia, vel alio impedimento celebrari non potuit, in tali casu credit saluari posse, quia flagrans desiderium supplet baptismi vicem; si vero steterit per ipsum, quo minus baptizaretur, tunc quamuis deliberatum animum habuisset baptizandi, credit non posse saluari, nisi de negligentia conteratur.

h, *lib.3.cap.8.*

22 Hæretici, seu Apostatæ, etiamsi baptizati sint, non possunt Indulgentiarum fructum participare, nec directe, & per modum remissionis, quod certissimum est, nec per modum suffragij. Nec refert, quod quis habeat externam fidei professionem, & vnionem cum Ecclesia, si interna fide careat. Sic & excommunicatus priuatur omni fructu, & participatione Indulgentiarum directa, & per modum absolutionis. Suarez; *i* vbi etiam subdit circa excommunicationem, se loqui de excommunicatione formaliter, & ratione sui, & non tantum ratione status peccati mortalis, quem solet supponere. Nam licet contingat excommunicatum per cõtritionem redire ad statum gratiæ, non poterit Indulgentias lucrari, donec ab excõmunicatione absoluatur; quia per excommunicationem priuatur efficaciter omni communione ecclesiastica, præsertim interna, & ex communibus ecclesiæ bonis.

i, *Tom.4. Disput.52.sect.2.num.2.& 3.*

23 An vero Pontifex concedens alicui Indulgentiam videatur approbare statum illius, cui fit concessio;

cessio; Suarez negatiue respondet contra Ludou. Bonon. quia Indulgentia supponit statum, seu capacitatem recipientis, non vero confert illam, nisi exprimatur; & ideo quo ad hoc non est absoluta, & efficax concessio, sed quasi conditionata, si per alium non steterit. Et propterea in concessione Indulgentiæ sæpe conceditur potestas absoluendi ab excommunicatione, vel ipsa etiam absolutio datur ad talem effectum.

SECTIO V.

SYNOPSIS.

1. Quis primus Pontificum vsurpauit hæc verba; Salutem, &c. 2. Iudæorum salutandi modus. 3. Salutandi modus infidelium. 4. Salutationes sanctorum sunt etiam causæ benedictionis. 5. Sanctissimus appellatur summus Pontifex. 6. Quomodo Papa Angelis maior. 7. Pontifex summus cuique etiam sanctissimo præest. 8. Gregorius XIII. ad præsentiam corporis S. Gregorij Nazianzeni non genuflexit. 9. Ritus celebrandæ Missæ sollemniter a Pontifice. 10. Quando Papa sua benedictione Indulgentiam concedat plenariam. 11. Episcopus benedictionem dare potest. 12. Quando Episcopo in aliena Diœcesi vti benedictione liceat. 13. Quando Abbas benedictionem possit impertiri. 14. Quomodo huiusmodi benedictio remittat peccata venialia. 15. Quo iure Episcopus concedat Indulgentiam. 16. Inferiores Episcopis non habent potestatem iure communi concedendi Indulgentias. 17. Nec Capitulus Sede Vacante. 18. 19. & 20. Prælati Religionum quomodo efficiant seculares participes bonorum suarum Religionum.

SALVTEM, ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

1 CLetus Papa Primus in litteris Apostolicis hæc verba vsurpauit; Salutem, & Apostolicā benedictionem. Apostolus; [a] *Gratia vobis, & pax a Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo;* Est autem salutationis ratio Apostolica, gratiam precari, & pacem; nam pacem quidem salutantes olim optabant, vt in veteri, ac nouo testamento frequenter legimus, vt Iustinianus hic probat. Et Christus hanc salutationis formam præscribit, sed ingenti addito corollario; veteres enim Hebręi externam, ciuilemq; pacem tantummodo precabantur. At Christus eam pacem attulit, quam mundus non potest dare. [b]

a, *Rom.* 1. b, *Ioan.* 14.

2 Notat Tertullianus, [c] quod Iudæorum, quos Christus secutus est, hæc erat salutatio, Pax vobis, idest omnia prospera, & fausta sint vobis. Apostolorum vero hæc erat salutatio, Graria, & pax vobis, eo quod gratię per Christum allatę precones essent. Idem secuti Pontifices Romani, & Concionatores, virique religiosi in suis concionibus, & epistolis præmittunt gratiam, & pacem, Pontifices etiam Apostolicam benedictionem.

c, *lib.* 5. *contra Marcion.c.* 5.

Olim

3 Olim veteres, qui a fide alieni essent, nihil præter salutem, & quæ ad huius vitæ commoda spectarent, in epistolis precabantur, quod videlicet nihil optabilius, aut agnoscerent, aut quærerent. Itaque initio epistolæ si quidem adesset valetudo, gratulabantur, in fine consueta clausula eam itidem optabant: latini, vt scribit Seneca, [d] vsque ad ipsius ætatem hoc fere modo epistolas inchoabant; si vales, bene est. Ipse, vt erat Philosophiæ amator egregius; & nos, inquit, dicimus, si philosopharis, bene est; Valere enim hoc demum est, sine hoc æger est animus.

d, *Epist.* 15.

4 Cornelius a Lapide hic ex D. Chrysostomo ait; Pauli salutationes non tantum esse signum beneuolentiæ, sed & causas benedictionis, & gratiæ. *Sufficit*, inquit Chrysost. *sola Pauli salutatio gratia implere eum, qui ita salutatur, sanctorum enim salutationes sunt tacitæ preces, & benedictiones, potentes, & efficaces, quæ a Deo impetrant ea bona, quæ sancti ijs, quos salutant apprecantur:* vnde Christus [e] iussit Apostolis, vt hospitibus sua sulutatione bene precarentur, & benedicerent; *Intrantes*, inquit, *domum salutate eam dicentes, Pax huic domui;* & ne verbalem tantum, ac cærimonialem hanc salutationem putes, subdit eius fructum, & efficaciam, dicens, *& si quidem fuerit domus illa digna, ueniet pax uestra super eam.* Tanti est a sanctis salutari. Ita B. Virgo sua salutatione Elisabetham, & Ioannem Baptistam

repleuit

repleuit Spiritu sancto: f Vide hic quam potens, quamque optanda, & ambienda sit Sanctorum salutatio.

e, *Matth.* 10. f, *Luca* 1.

f Et si sanctorum salutatio ambienda est, multo magis sanctissimi. Encomium, & superlatiuum elogium sanctissimi competit summo Romano Pontifici. Ipsum enim singulari hoc epitetho non modo simplices, & plebei catholici, sed magni, & Ecclesiarum præsules, conciliorum Patres, ipsi etiam magni, sublimesque in orbe Christiani Imperatores appellare religiosissime censuerunt, vt probat Mauclerus. g Papa itē Angelis sublimior est, & dignior, si dignitatis ratio in dominationis, iurisdictionisque latitudine consideretur; Nam illius principis, atque Hierarchæ spiritualis, non oceano, non astris imperium, principatusque terminatur; sed extra terræ, marisque vias in purgatorios vsque sinus, & antra damnatorum, extraque omnes astrorum limites, super omnes cælos extensus diuino Christi Domini munere propagatur; cuius immensæ iurisdictionis, potestatisque nulli Angelorum creditæ fidam sponsionem pro se, suisque posteris, in solio Apostolico, Romanoque sessuris S. Petrus a Domino talibus sigillatam, signitamque sermonibus accepit; *Dabo tibi claues regni cælorum, & quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis.* h Idem

Mau-

Mauclerus [i] probat Deum intimius, & perfectius Monarchiæ Ecclesiæ quam Angelicæ vniri.

g, *loco citato lib. 3. 2. p. cap. 2.* h, *Matth. 16.* i, *loco citato p. 1. lib. 5. cap. 8. & c. 9.*

6 Videndus est Augustinus de Ancona, [k] vbi ostendit, quomodo in iurisdictione maior sit Papa ipsis Angelis. Non tamen excommunicare potest ipsos Angelos, vt Mornæus falso asserit nos asserere; nam neque Theologi, neque Canonistæ id vnquam docuerunt; immo quod solus homo, isque singularis, & in indiuiduo excommunicari possit, Doctores [l] tradunt, & communis omnium sententia idipsum confirmat.

k, *quæst. 18. de potestate Ecclesiæ.* l, *in cap. Romana, §. vniuersitatem. de sent. excommunic. lib. 6.*

7 In dignitatis apice quilibet summus Pontifex præest cuicumque fidelium, etiam sanctissimo, ac Deo coniunctissimo, non secus atque Pastor suis præstat ouibus, quantuncunque præstantibus. Perez. [m] Hinc fit Papā non flectere genua sua ante aliquem sanctum, sed solum ante sanctissimum Eucharistiæ sacramentum, & Crucem Domini, quæ adoranda sunt adoratione latriæ, vt notat Zerola. [n]

m, *De Romano Pontifice dub. 3. cap. 4.* n, *in suo Com. in Bull. indict. S. Anni Iubilei Clem. VIII.*

8 Qui etiam dicit obseruatum fuisse a viris doctis, & pijs, & rituum, ac cærimoniarum obseruantissimis, Gregorium XIII. in translatione corporis D. Gregorij Nazianzeni non genuflexisse ad præ-

sentiam

ſentiam corporis prefati ſancti Doctoris, ſed amplexatum fuiſſe loculum, vbi ſacra pignora aſſeruabantur, in quo amplexu oſtendit quandam maieſtatem, & grauitatem cum charitate coniunctam, quæ præſeferebat Romanus Pontifex reſpectu illius ſancti Epiſcopi.

9 Non eſt tamen verum, ſed vera calumnia Mornęi, Innocentium II. vnquã conſtituiſſe, vt Pontifex ſedens miſſam celebraret. Nam, vt ait Coquæus o cum Pontifex Miſſam priuatam celebrat, eundem obſeruat ritum, tum in celebrando, tum in communicando, quem reliqui Epiſcopi, vel Sacerdotes. Cum vero ſacroſanctam miſſam ſollemniter celebrat, nec certe id facit ſedens, immo profundiſſima in Deum humilitate, ac reuerentia ad ipſum altare, licet alio ritu tum communicet, quam reliqui Sacerdotes, vel Epiſcopi, vt conſtat ex Innocentio III. p & ex Domino Angelo Rocca Auguſtiniano, Apoſtolici Sacrarij Prȩfecto q; ſiquidem ad altare Pontifex conſecrat, & ad ſolium, quod eſt è regione altaris, Euchariſtiæ percipit ſacramentum; nam conſecratione iam peracta, ceteriſq; ad miſſȩ ſacrificium pertinentibus completis, fractione tandem hoſtiæ, facta, paceque Epiſcopo Cardinali aſſiſtenti, nec nõ duobus Cardinalibus Diaconis aſſiſtentibus data, ſummus Pontifex aſſociatus ab ijſdem Cardinalibus, quibus pacem dedit, nec non ab alijs aſſiſtentibus non Cardinalibus, ſed Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis detecto capite ad ſolium aſcendit

dit ibique consistit, & stans erectus, complicatis manibus, Eucharistiæ sacramentum expectat; Interim Cardinalis Diaconus, cærimoniis expletis, hostiam ad sinistram solij latus deferendam, in patena positam, & stella quadam aurea comprehensam, ne ipsa a vẽto circumferatur, Subdiacono dat Apostolico; Diaconus deinde Cardinalis cęrimonijs item expletis, sanguinẽ in Calice asseruatum, & linteolo aureo coopertum ad dextrum solij latus defert; quia dum Eucharistia sub vtraque specie olim etiam a laicis sumebatur, sanguinem Diaconus dispensabat. His peractis, Romanus Pontifex ad sinistrũ solij latus se se conuertens, & incuruus (Subdiacono Patenã tenente) integram hostiæ medietatem, magna quidem (vti decet) veneratione sumit, alteram vero medietatem in duas diuisam partes pro Subdiacono, & Diacono super patenam relinquit. Deinde summus Pontifex ad dextrum solij latus se se conuertens, & incuruus magna item veneratione sanguinis partem cum calamo aureo (Diacono Calicem tenente) sugit; residuum vero sanguinis cum hostiæ particula in Calicem iam demissa, a Diacono, & Subdiacono sumendam in calice ipso relinquit.

o, *Antidoto 46.* p, *lib. 6. mysteriorum Missæ cap. 9.* *ex cerimoniali Romano lib. 2. cap. 14.* q, *in Commentario de sacra Romani Pontificis communione sacrosanctam missam sollemniter celebrantis.*

10 Summus Pontifex in aliquibus festiuitatibus sollẽnioribus, & pręsertim feria v. in Cęna Dñi, solet sua

benedictione præsentibus concedere plenariam Indulgentiam. Suarez. r

r, De Indulg. disput. 52. sect. 4. nu. 4.

11 Episcopus etiam benedictionem sollemnem dare potest, dummodo faciat in sua diœcesi; in aliena enim pontificalia exercere non potest. Hæc benedictio ab Episcopo dari potest in fine diuinorum officiorum his verbis; sit nomen Domini benedictum, vt habetur in Pontificali, & etiam simplex benedictio dari ab eo potest suis populis in itineribus, eundo per suam Diœcesem. Barbosa. s

s, loco citato. Allegat. 27. num. 63.

12 Poterit etiam Episcopus celebrans priuate in diœcesi aliena vti benedictione Episcopali, cum verbis, sit nomen Domini benedictum, cum illa sit potius ordinis, quam iurisdictionis; tum quia si conceditur Episcopo celebrare in ecclesia aliena a iure absque licentia ordinarij, ita concedi etiam debet benedictio Episcopalis, tanquam accessorium, & consequens ad illam celebrationem; Barbosa, t qui etiam u censet, nullam pęnam incurrere Episcopum, qui transiens per alienam diœcesem, rogatus a personis deuotis, illas benedicit sine solemnitate, absque animo exercendi iurisdictionem.

t, num. 64. u, num. 65.

13 Presbiter autem, nec quidem simplicem benedictionem, Episcopo præsente, sine ipsius consensu dare potest. Abbas habens iurisdictionem quasi Episcopalem potest sollemnem benedictionem populo

pulo impertiri in ecclesijs ad ipsum pleno iure pertinentibus post missarum sacrificia perfecta, & absoluta, post Vespertinas preces, aut matutinas decantatas; non autem alibi publice, aut per vias, aut Ciuitates, aut villas, nisi ex priuilegio speciali hanc potestatem sit consequutus. Hæc benedictio Episcopalis remittit peccatum veniale; & id sumitur ex August. x vbi eam vocat interpellationem quandam, de qua videri possunt plura apud Ioan. Steph. Durant. y

x, *Epist. 59. q. 5.* y, *lib. 2. de Ritibus Ecclesiasticis c. penult.*

14 Hæ benedictiones, sicut & alia sacramentalia, non remittunt peccata ex opere operato, sed ex opere operantis. Ratio est, quia vel remittunt producendo gratiam habitualem, & hoc non, alioquin essent sacramenta, & non sacramentalia; consequenter sacraméta plura essent, quam septem, quod non est admittendum; vel remittunt excitando hominem ad eliciendum actum contritionis, vel amoris, per quem deleantur, & hoc non est remittere peccata ex opere operato, sed ex opere operantis; cum remittantur immediate ob dispositioné subiecti, idest ob actū contritionis, seu amoris, qui disponit ad gratiam, simulque remittit venialia. Quare sacramentalia non remittunt peccata ex opere operato, sed ex opere operantis, excitando ad actum contritionis, seu amoris per quem peccata venialia immediate delentur, per sacramentalia vero delentur mediate. Bonacina ex multis DD. z contra Sotum, & alios

arbitrantes, peccata venialia remitti ex opere operato per sacramentalia.

z, in suo Tract. de sacram. Disput. 5. q. 6. sect. 2. puncto 2. nu. 4.

15 In Episcopo est ordinaria potestas iure humano cõcedendi Indulgentias, sed limitata, iuxta restrictionem iuris; quia tantum possunt cõcedere vnum annum Indulgentiæ in Dedicatione Ecclesiæ, siue vnus Episcopus, siue plures concurrant. In Anniuersario autẽ talis diei solum Indulgentiam 40. dierum, quam etiam concedere possunt in quocunque casu, quo eis occurrat sufficiens causa ad eam concedendam. Ita habetur in iure.[a] Summus Papæ Penitentiarius dare solet Indulgentiam centum dierum. Paludanus[b]: est limitata & in illis ex parte personarum, quia tantum suis subditis; sequitur enim iurisdictionem, quæ tantum est circa suos subditos. Hinc est, vt tantum possint viuentibus indulgentiam concedere, non defunctis, vt ex communi docet cum Suarez Filliucius.[c]

a, *c. cum ex eo. de pœn. & remiss.* b, *lib. 4. dist. 20. q. 4. art. 2. concl. 1. Glossa itidem.* c, *Tom. 1. Mor. quæst. Tract. 8. c. 4. nu. 89.*

16 Inferiores Episcopis, cuiusmodi sunt Abbates, etiam sæculares exempti, aut Priores non habent potestatem concedendi Indulgentias iure communi, nisi speciali priuilegio, consuetudine, vel præscriptione, quia id potestatis nusquam ius commune concessit.[d] Nec propterea, vt ait Filliucius,[e] subditi horum incommodum aliquod patiuntur, quia quo ad hoc subijciuntur Episcopis, sicut Religiosi

giosi quo ad gratias, & fauores possunt vti hac iurisdictione voluntaria Episcoporum.

d, *cap. Accedentibus, de excess. Prælat.* e, *num.* 92.

17 Vnde sequitur, nec Vicarium, nec Capitulum sede vacante posse quidquam circa Indulgentias, quia nullo iure habetur. Et licet Capitulum succedat in iurisdictione, non tamẽ in dignitate, cui hæc potestas adiuncta est ex iure Pontificio. Filliucius f ex Suarez, & alijs. Azorius g tamen cum multis alijs contrariam sententiam amplectitur, sed in hoc omnes conueniunt, tutius esse, vt Capitulum committat alicui Episcopo, vt eas concedat nomine ipsius Capituli.

f, *eodem numero* g, *Instit. mor. p.* 2. *lib.* 3. *c.* 37. *q.* 9.

18 Nec Prælati Religionum habent facultatem concedendi Indulgentias; & licet hi efficiant participes seculares bonorum suarum Religionum, & applicent eis merita, & satisfactiones suarum Congregationum, id non est applicare satisfactiones Christi, & sanctorum, quæ scilicet factæ iam sunt, sed tunc non habuerunt effectum, ad redimenda peccata postea commissa; quod est proprium Indulgentiæ, sed tantum admittere ad participationem suffragiorum, quæ per modum impetrationis, aut meriti de congruo offeruntur, quo pacto hoc ipso quod quis est peculiari modo membrum alicuius religionis, merita eiusdẽ religionis valent apud Deum, vt ratione illorum conferat aliqua bona peculiari auxilio personis eis coniunctis, etiam si non referantur

ferantur talia merita ad hunc finem, & præsertim habeat efficaciã, si talis persona petat aliquid a Deo propter merita talis religionis.

19 Posset etiam Religio aliquos admittere ad participationẽ suffragij satisfactorij, sed oportet particulares religiosos tunc applicare suas satisfactiones, quando eas faciunt pro ijs; alioquin sola applicatio superioris non est satis; sic ex Suarez Filliucius. [b]

b, *num.* 95.


20 Ad lucrandas Indulgentias concessas religioni a Sede Apostolica necessaria est extensio ab eadem ad huiusmodi personas, quod constabit ex priuilegijs cuiusque Religionis.

SECTIO VI.

SYNOPSIS.

1. *Quid agatur in Psal. 46.* 2. *Quid significet plaudere manibus.* 3. *Quid Iubilare Deo.* 4. *Iubilus quid sit.*

OMNES GENTES PLAVDITE MANIBVS, IVBILATE DEO IN VOCE EXVLTATIONIS.



HOc desumptum est ex principio Psalmi 46. in quo, vt nostri omnes tradunt, agitur de victoria, & triumpho Christi ascendentis in cœlum; ac de potestate, quam tunc maxime declarauit, & exercuit tum in cœlo, tum in terra, eccle-

siam

ſiam ſuam latiſſime propagando per ſuos Principes Apoſtolos, ac deinde per ſucceſſores illorum, atque eandem ſacramentis, indulgentijs, atque alijs innumeris gratijs fouendo, & protegendo.

2 Omnes gentes plaudite manibus, id eſt edite ſignum lætitię complosione manuum. Sic Corinus. Noti ſunt plauſus theatri, & fori, illudque valete, & plaudite. Cauſas omnes, propter quas plauſus, & acclamationes excitabantur, ſeu Poetæ, ſeu Oratori, ſeu Principi, ſeu Triumphanti, non eſt difficile omnes in Chriſto inuenire, qui tragicum quodāmodo in morte peregit, perſuaſit doctrina, vita, miraculis, Princeps eſt, atque Triumphator.

3 Iubilate Deo, ex intimo cordis affectu, in voce exultationis, concordet manus cum lingua, illæ operentur, hæc confiteatur. Iubilate, nam cauſa iubili appropinquat, Iubileus ſcilicet, latini enim hoc nomen Iubilei, a Iubilo, & Iubilatione, & lætitia deducunt; quia quod Hebræis temporalia, nobis chriſtianis ſpiritualia debita dimittuntur, gratulandum ſit, & iubilandum. Benzonius [a] Quocirca cum omnes cantent in Anno ſancto Iubilate, recte Iubileus dicitur.

a, *de anno Iubilei lib. 1. cap. 4.*

4 Eſt autem iubilus, vt tradit ex DD. Aug. & Th. Idem Benzonius gaudium immenſum, quod lingua exprimi nequit, vultu tamen, geſtu, ac voce, & clamore oſtenditur. Id quod Eccleſia fidelibus annuit, dum in eadem dictione multiplicat notas muſica-

les;

les; neque enim frustra, vel temere factum est, vt plerisque recentioribus, qui nec summis labijs spiritum Domini degustarunt visum fuit; verum Spiritus Sancti consilio, & sapientia Ecclesiam suam mouente,& regente.

SECTIO VII.

SYNOPSIS.

1. De tubis veteris legis. 2. De forma harum Tubarum. 3. Quibus tubis in annis sabbaticis,& Iubilcis vtebantur Hebræi.

NON ENIM VOS IN VETERI LEGE SACERDOTALIS BVCINÆ CLANGORE.

IVsserat Dominus Moysi geminum turbarum vsum dicens. a *Fac tibi duas tubas argenteas ductiles, quibus conuocare possis multitudinem, quando mouenda sunt castra*: Tibicines erant sacerdotes, subdit enim: b *Filij autem Aaron Sacerdotes clangant tubis, eritque hoc legitimum sempiternum in generationibus vestris*. Ergo & in deserto, & deinceps in bellis, vt in Iericuntino sacerdotes hoc officio functi sunt. Cum enim tubę sacræ essent, non poterant a profanis hominibus tractari, vt scribit Salianus. c

a, Num.7. b, Num.10. c, *in suis Annal. Eccles. Vet. Test. a. m.* 2545. *n.*108.

Tuba-

2 Tubarum formam,& modum explicat Iosephus in hęc verba. [d] *Inuenit autē Moses, & buccinæ speciē, ex argento factæ talem. Canna erat tibia paullo crassior, longitudine paullominus cubitali, cuius os tantum patebat, quantum ad inflandum sufficeret, desinebatque in extremitatem campanulæ similem, quemadmodum tuba. Asosra vocatur hoc genus apud Hebręos; Duas tales fecit, quarum vna plebs ad concionem vocabatur; Altera principes ad consultandum de Republica exciebantur.* Sic ipse, quem de forma quidem tubæ audire possumus, vt ait Salianus [e], quoniam credi non immerito potest ad eius vsque tempora eandem figuram conseruatam. De sonis autem non possumus, cum videamus eum nihil concisam, & variam modulationem à simplici, & monotonica distinguere; & de suo addere vnius tubę sonitum, ad euocandam ad concionem plebem. Sed nec in eo, quod mox addit, his buccinis vsos etiam in sacrificijs, tam sabbatis, quam ceteris diebus, nimirum pro festis; cum scriptura neutrorum dierum meminerit, sed Calendarum, & dierum festorum.

d, *lib. 3. Antiq. c. vlt.* e, *nu.* 110.

3 Sed notandum istis duabus tubis, quæ vere argenteæ fuerunt, in annis Sabbaticis, & Iubileis non fuisse vsos Hebręos. Nā Iosue [f] fit mentio de septem buccinis, vel tubis, quæ tempore Iubileorum in vsu erant. Dicendum igitur est, istas tubas fuisse septem, & corneas, & ex arietino cornu, vt late probat Serarius [g], vbi multa affert è Thalmudicis,

quæ pietatem roborant, & augent christianam; Nam primo cum per arietem è præsentissima morte liberatus sit Isaac [h], recte beneficij huius memoriam non quotannis modo, sed eo etiam maximè anno repeti aiunt ijdem Thalmudici, quo seruitute vinctis, nexisque hominibus, agris, & tectis libertas redditur, anno inquam Iubileo. Secundo per arietis cornua libertatem Israelitis olim dandam, eandemque Iubileis significari docent. Quæ vero sunt hæc arietina cornua, nisi arietis eius, qui coram tondente se obmutuit, [i] qui peccatum mundi substulit, [k] qui duobus crucis cornibus Satanam arietauit, & prostrauit? Nec est dicẽdum, quod viliora essent ea cornua, quam quæ in tanta Iubilei sollemnitate adhibenda essent. Sed in sacris non materiæ, sed vsus præstantia res commendat; vti etiam notauit Tullius. [l] Nec in illo argumento virium nihil est, Arietina scilicet cornua solida tota esse, buccinam vero cauam esse oportere, vti inflari possit; quia vera hęc ambo sunt. Sed quæ solida sunt, fieri caua non possunt? Immo fiunt quotidie, & facta Gedeonis tempore nobis narrat Iosephus, & confirmat festus tubarum dies. Maneat ergo tubas istas fuisse corneas ex arietinis cornibus.

f, cap.6. g, Ios.6.quæst.4. h, Gen.22. i, Isai.53. k, Ioan.1. l, lib.2. de legibus.

SE-

SECTIO IIX.

SYNOPSIS.

1. & 2. Unde dicatur Iubileus. 3. De quadam consuetudine Iubilaria. 4. Edouardus Rex Angliæ celebrat Iubileum. 5. Veteri Iubileo succedit nouus Euangelicus. 6. Bonifacius VIII. Iubileum ad centesimum annum instituit. 7. Miracula in Iubileo Bonifaciano perpetrata. 8. Bonifacius non inuentor huius Anni Iubilei, sed renouator fuit. 9. Causa motiua huius renouationis. 10. Beata Virgo confortat S. Brigittam ad visitanda sanctuaria Romana. 11. Nicolai Primi Papę quid de confluentibus Romam pro acquirendis Indulgentijs. 12. & 13. Causæ, quibus moti Pontifices ad ornandum Annum Iubilei Indulgentijs. 14. Petrus fuit Romæ. 15. Cur Petrus pro Roma Babylonem scripserit. 16. Testimonia de aduentu Petri ad vrbem. 17. Quid Baronius de hac veritate. 18. Petrus Romæ mortuus. 19. Quo tempore Cathedra Romæ a Petro erecta. 20. Oratio recitari solita in festo Cathedræ Romanæ. 21. Cathedra lignea Sancti Petri Romæ asseruatur. 22. D. Petrus cedit Ecclesiæ Antiochenæ. 23. Contra Spalatensem probatur Romanæ Ecclesiæ fundationem Petro deberi. 24. Nouatores Euangelizant & ipsi suum Iubileum. 25. Nouatores accusant etiam sanctos. 26. & 27. Defenditur Clemens VI. a calumnijs Mornæi. 28. Visio a Clemente habita nocte præcedenti publicationem Iubilei Anni sancti. 29. Mornæus vitiat Bullam huius Iubilei. 30. In Germania vanum Iubileum celebrant Lutherani.

SED APOSTOLICÆ VOCIS ORACVLO SACROSANCTVM IVBILEI ANNVM IAM REGIS SECVLORVM BENEFICIO APPROPINQVANTEM EVANGELIZAMVS.

1 VNde dicatur Iubileus, opinionum diuortia multa affert Serarius. [a] Aliqui aiunt Iobel valere buccinam, seu tubam; quia ergo die propitiationis clãgebatur buccina, [b] vt celebraretur annus hic, ideo vocatum Iubileum. Ioseph [c] Io-

bilei nomen significat ἐλευθέριον, ideſt libertatem, quia eo anno datur libertas ſeruis,& diuẽditis agris, & poſſeſſionibus. Ab Muſices Inuentore Iubal [d] Mutius [e] Euſebius, [f] Iobel apud Hebræos, inquit, quinquagenarius annus vocatur. Hugo Cardinalis, & V. Beda putat Iobel eſſe initium;& Iubileum annum vocari, quod eius initio inciperet variorum libertas, ac remiſsio. V. Beda, *Iubileus*, inquit, *mutatus appellari iuſsus eſt, quod ſerui a captiuitate in libertatem mutarentur, quod poſseſsiones mutatione facta ad priſtinos Dominos redirent*. Iobel a terræ germine vocatus videtur Caietano. Concentus Brughtonianus, vox inquit, Iubal ſignificat eiectionẽ, ſiue riui fluxum. Iubileus autem non poteſt ab hebræo deriuari, quod eſt cornu arietinum, ſed percommode a Iubal, fluxu, ſiue eiectione, & deductione, eoquod nos quaſi ſecum vehat, & deducat ad Chriſti mortem.

a, *Ioſ.*13.*quaſt.*14. b, *Leuit.*25. c, *lib.*3. *cap.*10. d, *Gen.*4. e, *in Ioſ. cap.*6. f, *in.Chronicis.*

2 Sed dicendum cum Benzonio [g] hoc verbum Iubileum à Iubilo, ſeu Iubilare deriuari, & lætitiam aliquo modo ſignificare. Ideo Pontifices ſummi hac deriuatione vſi sũt, vti nouiſsime facere S. D. N. Vrbanum vidimus. Sed quid ſit de ſignificatione, quæ ex vi vocabuli emanat, demus enim ex vi nominis, nec lætum, nec lætificatiuum ſignificare, tamen ab effectu, & conſequentibus lætum, & maxima iubilatione perfuſum annum illum eſſe, negari

non

non poteſt; cum tam apud Hæbreos, ea quæ in anno Iubilei gerebantur, quam quæ apud nos geruntur, cauſam maximam lętitiæ afferant.

g, *lib. 1. cap. 4.*

3 Ex hac Ethymologia emanaſſe, inquit Benzonius, quamdam conſuetudinem Iubilariam apud quoſdam populos, vt ſi ſeruus, vel ancilla per ſpatiũ annorum quinquaginta vni Domino continuo inſeruierit, anno quinquageſimo finito emancipetur, gaudeatq; priuilegijs filiorum, vel filiarum Domini ſui. Coniugati etiã quinquagennarij ſumma lętitia celebrant annum quinquageſimum ſui coniugij: Sacerdotes quoque laici, ſiue Præbendarij ab anno ſui ſacerdotij quinquageſimo ab omnibus chori obligationibus immunes reputantur. Hoc etiam obſeruatur in monachis, & alijs Religioſis anno ſuæ profeſsionis quinquageſimo. Idẽ vero in omnibus ferme vniuerſitatibus Doctoribus pręlegentibus artes cõceditur, vt pari modo cũ clericis ſupradictis, poſt certum quoddã annorum ſpatium iubilari dicãtur.

4 Edouardus Rex Angliæ celebrauit Iubileum, nam cum cœpiſſet agere annum ætatis quinquageſimũ, memor veteris Iubilei inſtituti, quod quinquageſimo quoque anno celebre erat, decreuit, liberalitate aduerſus populum vti. Nam exules reuocauit, per duellib. pepercit, cuſtodias oẽs dimiſit, condonatis maleficiorum pęnis, Concilio ad Veſtmonſteriũ inſtituto leges aliquot ſalutares tulit; priuilegia olim a maiorib. populo irrogata, quę vulgus magnę

cha-

chartæ immunitates vocitat de integro concesſit. Bzouius [b] qui putat hinc ortum, vt Reges etiam nunc Iubileum ætatis celebrent. Verbi gratia. Rex, ſeu Regina in annos ſingulos tot inopes homines in Cœna Domini veſtit, eiſque largitiones facit, quot illo ipſo die annos ætatis habuerit.

b, *Ann.Tom.*14.*an.*1361.*num.*8.

5 Quemadmodum ſucceſſit Eccleſia Synagogæ, Prophetis Apoſtoli, Patriarchis Confeſſores, ſacrificijs ſacramenta, Euangelium legi, Moyſi Chriſtus, Circumciſioni Baptiſmus, diei Sabbato dies Dominicus; ita fuit neceſſarium, & maxime conueniens, vt veteri Iubileo ſuccederet nouus Euangelicus, & Chriſtianus Iubileus; cum Dominus noſter non venerit legem ſoluere, ſed adimplere. [i] Præſertim cum ille fuerit aliquo modo huius figura, prout plerique aſſeruerunt, & ipſemet ſummus Pontifex Vrbanus innuit in Bulla.

i, *Matth.*5.

6 Bonifacius Papa VIII. data conſtitutione, quæ incipit, *Antiquorum*, Iubileum ad centeſimum annum inſtituit, & ſollemniter celebrandū curauit, ad quē conſequendum tanta multitudo populorum ex vniuerſo terrarum orbe Romam confluxit, vt aliquando ad ducenta millia hominum in dies ſingulos numerarentur, præter indigenas. Miraculi loco prædicabat Iacobus Cardinalis, qui de Bonfaciano Iubileo opuſculum ſcripſit, quod tanta copia

anno-

annonæ in Vrbe fuerit, vt quo magis populus multiplicaretur, eo amplius alimentorum prouentus redundaret, & vilissimo pretio omnia ad victum necessaria haberentur.

7 Porrò istud inter miracula certissima reponebat Cardinalis, qui aspexit; quod anno præsenti in Diuorum Apostolorum Basilicis a languoribus diuersis quamplures curati fuerint. Exibant pariter dæmonia a multis, clamantia, & dicentia, quod non solum Petrus, & Paulus Apostoli, eos de corporibus, quæ inuaserant, eijciebant; sed multitudinem animarum populi Christiani, qui eorum facientibus peccatis, laqueis diabolicæ fraudis sese tradiderant, impetrauerint a Iesu Christo, ab eorum faucibus liberari. Insuper publice clamabant, quia dictorum Apostolorum meritis omnes animæ in Purgatorio non solum a pęnis fuissent liberatæ, sed ęternam quoque gloriam consecutæ.

8 Sed notandum est, omnibus etiam retro seculis, sollemne Pontificibus Romanis fuisse, Natalitios Saluatoris dies, anno seculi recurrente, sollemnius celebrare, vt notat Bzouius; [k] certum est enim, vt scribit Benzonius, [l] quod hæc centenaria remissio, quæ conceditur Romæ venientibus, & visitantibus honorabiles Basilicas Principum Apostolorum, erat concessa, & vsu recepta, ac frequentata ante tempora Bonifacij VIII. Nec ipse fuit institutor, aut Auctor huius anni Iubilei, sed renouator, & confirmator. Quocirca asserendum quoque est, erras-

erraſſe Polidorum Virgilium, [m] & Nauegerium, nonnulloſque alios aſſerentes, ante Bonifacium Iubileum non fuiſſe. Id multis probat Benzonius, verbis etiam ipſius Bonifacij [n]; ſcribit enim, *Antiquorum fida habet relatio, quod accedentes ad venerabilem Baſilicam Principis Apoſtolorum de Vrbe*, magnę ſunt conceſſæ remiſſiones, & indulgentiæ peccatorum. Legatur ipſe Benzonius.

k, loco citato an. 1300. num. 1. l, lib. 3. cap. 5. m, lib. 8. de Inuentorib. Rerum cap. 1. n, in d. conſtitutione.

9 Cauſa motiua publicationis primę conſtitutionis Anni ſancti Bonifacij VIII. hæc fuit, vt ex Iacobo Cardinali colligit Matthæus, [o] quod circa finem milleſſimi trecenteſimi centenarij a redemptione mundi, hoc eſt in Vigilia Natiuitatis Chriſti anno MCCXCIX. tempore Veſperarum Eccleſia Petri tota repleta fuit peregrinantibus extraneis in multitudine maxima, inter quos communis fama erat, olim eodem tempore, & anno eodem magnas indulgẽtias conceſſas fuiſſe illis, qui eam eccleſiam viſitarent, & præſentes eſſent in apertione vnius portæ; quorum numerus in tantum accreuit diebus inſequentibus, vt vix quiſquam per vias præ turba incedere potuerit. Quod vbi ad Papam Bonifacium fuit relatum, initio is obſtupuit, deinde mandauit, vt inquirerentur vetuſta regiſtra actorum eccleſiæ, & reuiderentur diligenter Bullæ Paparum ſuorum prædeceſſorum; ſed nihil reperiri potuit, vnde origo huius deuotionis probari poſſet. Nec

magis

magis de ea cognitum erat, quam olim in Græcia ante Theseum, in octogesima Olympiade, aut sub regno Darij. In tanta perplexitate requirebantur quam studiosissime homines ætate prouectissimi, vt haberetur vel per traditionem, & cabalam, quod non posset verificari per historiam. Repertus fuit quidam bonus, & deuotus peregrinus, qui iam annum ætatis agebat centesimum, & septimum, qui deductus ad Papam affirmauit, recordare se, quod ante annos centum pater suus eandem peregrinationem ad limina S. Petri pro consequenda indulgentia Iubilei susceperit, sibique in reditu iniunxisse, ne pigretur, aut obliuiscatur centesimo elapso anno Romam redire in Vigilia Natiuitatis pro eadem Indulgentia nanciscenda. Hoc testimonium cõfirmatum fuit per duos vetulos Gallos, & quamplurimos Italos, qui dicebant se intellexisse ex parentibus eorum, semper Indulgẽtias fuisse cõcessas in hac annornm reuolutione ijs, qui visitassent ecclesias Romanas. Quapropter Papa nolens extinguere tam ardentem deuotionem, nec relinquere memoriam tyrannidi temporis, quod rapit, & aufert omnia, fecit quandam constitutionem, quæ seruit Christianis tanquam clauis fixus in templo Mineruæ, ne porrò obliteraretur annus Iubilæus.

o, *In sua Historia ad an. 1599. Plutarchus dicit, vltra Theseum esse tantum regiones salebrosas, & vada inaccessibilia, fluuios glaciosos, & terras combustas sole.*

10 Mater Dei confortat S. Brigittam ad visitan-

dum ſanctuaria Romæ, & dicit ei, quod maiores ſunt Indulgentiæ, quam homines credunt, quas ſancti impetrauerunt ſuis precibus, & proprio ſanguine. *p*

p, *lib.6.Reuelat.c.*103.*num.*11.

11 Nicolaus I. Pontifex Rom. *q* narrat, quanto animi feruore, & deuotione fideles ex omnibus orbis partibus ſuperioribus ſeculis Romam confluerent, ad lucrandas huius almæ Vrbis Indulgentias; addens, illum, qui non viſitaſſet aliquando ſanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli ſepulchra, parum fidelem, & Chriſtianum habitum fuiſſe.

q, *Epiſt.ad Mich.Imp.& ad Deſid.Reg.Longob.*

12 Sex cauſas affert Benzonius *r*, quibus ſummi Pontifices moti ſunt a Spiritu Sancto ad ornandum, & amplificandum ſacrum annum Iubilei indulgentijs, & remiſſionibus pleniſſimis: Inter quas hæc eſt præcipua, vt ea vrbs viſitetur, quæ magiſtra eſt, & fundamentum Religionis Chriſtianæ. Hæc ratio redditur ab ipſo Bonifacio VIII. *ſ* vbi innuit, *hanc animi conceptionem de viſitandis liminibus Apoſtolorum ob remiſſiones obtinendas certo quoque anno fuiſſe apud omnes orbis gentes maxime communem, & vniuerſalem, & tanquam Axioma certiſſimum fuiſſe apud omnes receptam.* Hanc quoque cauſam aſſignat Gregorius XIII. *q* illis verbis, *qui ea cauſa inuiſerint Vrbem, quam Petrus, & Paulus, totque deinceps martyres ſuo ſanguine conſecrarunt.*

r, *c.4.p.in d.extrauag.Antiquorum* ſ, *in ſua conſtit.Indictionis Iubilei.*

Inter

13 Inter ſex cauſas, quas Benzonius recenſet, Indulgētię Anni ſancti ſexta, & vltima hæc eſt, vt fides ſcilicet huius articuli penitus detegatur in memoria hominum, & etiam, atque etiam conſtantius retineatur, magiſque per orbem diffundatur, Petrum videlicet, & Paulum Romæ fuiſſe, Romæ prædicaſſe, Romæ mortuos eſſe, Romæ ſepulchra, & monumenta illorum haberi.

14 Petrum fuiſſe Romæ probat Bellarminus [t], pręcipue ex illo B. Petri [u], ſalutat vos eccleſia in Babylone collecta, oſtendens plurimis veterum teſtimonijs Petrum hanc epiſtolam ex Vrbe Romana dediſſe, & per Babylonem Romam intellexiſſe. Ait Bellarminus a Ioanne in Apocalypſi Romam paſſim vocari Babylonem. Iunius, Sutliuius, & alii Nouatores id facile concedunt, dummodo nomine Babylonis non intelligatur Roma in epiſt. S. Petri. Hoc ferre nolunt, inquit Gretſerius [x]; qua de cauſa? quia Petrum fuiſſe Romæ nec ad Lutheranū, nec ad Caluinianum ſtomachum facit. Hæc ſcilicet vnica eſt cauſa. Aliam non reperio. Vbi Babylon hæreticis ſeruit, vt inſectentur Romam, & Romanam eccleſiam, tametſi iniuſtiſſime; ibi Babylon eſt Roma: at in epiſt. D. Petri nihil minus conducit ſectarijs, quam vt Babylonem fateantur eſſe Romam. Itaque vbiuis terrarum potius Babylonem condunt, quam vt Romam Babylonem eſſe concedant.

t, *De Pontif. Rom. lib. 2. cap. 2.* u, *epiſt. 1. cap. 5.* x, *Tom. 2. Defenſ. controuer. Bellarm. lib. 2. cap. 2. de Pontif. Rom.*

15 Sed cur mutato Vrbis nomine Babilonem pro Roma scripsit Petrus? Iustinianus hic concludit, se credere Petrum Christianorum, qui Romę erant, saluti, atque incolumitati sic voluisse consulere, ne si forte hęc epistola ad Gentilium manus perueniret, intelligerent illi Romę non paucos Christo nomina dedisse, quod erat tum senatui, tum Romano Principi non solum molestum, sed plane exosum, vt ea, quę deinceps consequuntur, luce clarius probāt. Simile quoddam fecit ét Paulus, qui y nomine plane metaphorico se ex ore leonis erutum fuisse scribit.

y, 2.Tim.4.

16 Qui plura videre cupit, legat Bellarminium, Gretserum, & Coccium z vbi multa, vt solet, gręcorum Patrum, & Latinorum testimonia affert, quib. hęc veritas sic confirmatur, vt de illa dubitare nemo, nisi rationis expers, deinceps posit. Id prędixisse & Sibyllam probat ex prophetia sua, quę ex chaldęo sermone in gręcum, & ex gręco in latinum translata extat; Elegit sibi, inquit ipsa, ex piscatoribus, & delectis numerum duodenarium, vnumque diabolum (Iudam scilicet.) Non in gladio, belloue Æneadem Vrbem (Romam) Regesque subijciet; sed in hamo piscantis (scilicet Petri.) Citatur hęc Prophetia à Francisco Petrarcha [a] & subiungit, quę Erythrææ proculdubio sibyllæ sunt, vt quæ ex illius libro ad contextum elicui. Citantur eadem a Bernardino Senensi [b], & ab Antonino. [c]

z, In suo Thesauro Catholico libr.7.articul.5.a, De otio Religiosorum lib.1.

lib.1. b,*parte 6.serm.1.de festiuit.Mariæ* c,*in Cronicis p.1.tit.3.cap.9.* §.14.

17 Baronius [d] asserit tantam de hac re toto cœlo perspicua, de Petri videlicet Romam aduentu, memoriam, omni scriptorum genere meruisse consecrari, vt nec cuiusuis perpictæ frontis hæreticus, vel schismaticus, eorum, qui ante nostrum seculum vixerunt, ausus fuerit de eo vel leuiter quidem dubitationem mouere.

d, *Annal.Tom.1.an. Christi 44.n.25.*

18 Quod autem Petrus Episcopalem cathedram Romæ ad mortem vsque tenuerit, Bellarminus [e] latissime probat; & Gretserus eum à Sectariorum calumnijs defendit; & Coccius [f] Petrum Romanam Ecclesiam fundasse, gubernasse, & suo sanguine consecrasse Patrum auctoritate, more suo, demonstrat. Legat lector Becanum, Bouerium Nicolaum Cœffeteau, & alios de hac materia differentes cōtra Spalatensem.

e, *Loco citato* f, *vbi supra*

19 Anno Christi 45. decimoquinto Kal. Februarij, a Petro Apostolorum Principe Romana Ecclesia instituitur, ac sedes in ea Pontificia erigitur. Ea quippe dies in tantæ rei perennem memoriam anniuersaria celebritate consueuit antiquitus celebrari; qui quidem pristinus vsus, non in Vrbe tantum, sed & in vniuerso Christiano orbe in annos singulos repetitus, licet interdum alicubi prætermissus, sed restitutus in hodiernum vsque diem sāctissime perseuerat.

uerat. In antiquis [n] Sanctę Romanæ Ecclesię ritualibus libris hę preces e a die recitari solitę erant.

20 *Omnipotens sempiterne Deus, qui ineffabili sacramento, Apostolo tuo Petro principatum Romæ Vrbis tribuisti, unde se euangelica veritas per tota mundi regna diffunderet; præsta quæsumus, vt quod in orbem terrarum eius prædicatione manauit, uniuersitas Christiana deuotione sequatur.*

21 Ipsa etiam Pontificia sedes Petri, cathedra, inquam, lignea, dignum plane est huius veritatis, eximiumque monumentum, quæ plurimis semper miraculis illustrata, a maioribus asseruata in eiusdem Sancti Petri Basilica Vaticana recondita, hactenus custoditur, & certis diebus populo visenda exponitur.

22 In hunc modum sede Romana stabilita, cessit Petrus Ecclesiæ Antiochenæ, & Euodium martyrem in locum suum Episcopum subrogauit, vt scribit ex S. Ignatio Stengelius. g

g, *in suo com. Rerum gestarum S. Petri cap.* 40.

23 Guillielmus quidam Ioannis Vuicleui præceptor dixit, vt scribit Thomas Vualdensis, *b* Petrum Apostolum, neque Episcopum Romæ fuisse, neque ibi prædicasse, sed Paulum potius ibi fuisse Episcopum. Hunc errorem nouissime secutus est Spalatensis, dum Romanæ Ecclesiæ fundationem potius ipsi Paulo, quam Petro ascribit. Nam sic scribit: [i] si itaque fundatio Romanæ Ecclesiæ specte-

tur,

tur, eam, aut magis, aut non minus Paulo deberi, quam Petro affirmamus. Par enim fuit, vt Ciuitas, quæ erat caput gentium, a Doctore gentium primum institueretur. Huic respondet Becanus, & alij supracitati DD. Theodoretus in illud Apostoli, k *Desidero videre vos, ut aliquid impertiar uobis gratiæ spiritualis, ad confirmandum vos*; sic scribit; quia Petrus primus Euangelij doctrinam illis tradiderat, subiungit *ad confirmandos vos*; quod proinde est, ac si diceret. Non aliam doctrinam vobis trado, sed traditam confirmare volo. Igitur Petrus ex sententia Theodoreti primus fuit, qui Romanos ad fidem conuertit; Paulus vero conuersos confirmauit.

h, *Doctrinalis fidei lib.2. artic.1. cap.7.* i, *lib.4. de Repub. Eccle. cap.1. num.9.* k, *Rom.1.*

24 Euangelizant & Nouatores, si fas est dicere, suum Iubileum, sed quotidianum, quem vocant Iubilum Euangelicum, dum in suis concionibus iubilarijs, & scriptis, non solum catholicos, sed etiam totam martyrum Ecclesiam, cum Sanctis Patribus contumelia afficiunt; Antichristi carnem dicentes esse clerum, ossa Reges, Principesque seculares; nomen bestiæ esse filium Romanæ Ecclesiæ, seu Catholicum, seu Romanæ Ecclesiæ mem brum. Legatur Contzen. l

l, *loco citato.*

25 Sed parum eſt, quod diximus, non Apoſtolis, non Ioanni Baptiſtæ parcunt. Horrendum auditu eſt, quod inter exultantes Iubilorum inſanias in Academia VVittenbergenſi defendere auſus eſt Vuolffangus Frantzius. Ille, vt opera ſupererogationis negaret, & Indulgentiarum theſaurum è medio tolleret, Ioannem Baptiſtam accuſat. Videatur Contezen.[m]

m, *lib.6. cap.22.§.7.*

26 Sed mirum non eſt, quia nihil magis horret Diabolus, quā opera ſupererogationis, & Indulgentiarum vſum, & præcipue inſtitutionis Iubilei, nam hæc efficit, vt ex Extrauaganti Clementis VI. ſumitur, *vt cunctorum fidelium augeatur deuotio, fides ſplendeat, ſpes vigeat, charitas incaleſcat.* Impius Mornęus, vt teſtatur Coquęus[n], hanc inſtitutionem in lucri cupiditatem refert, dum dicit, Iubileum Bonifacius centeſimo quoque anno, magnas Indulgentias pollicitus, inſtituerat. Clemens gnarus quantū inde lucrum conſecutus eſſet, Iubileum & ipſe ſuo tempore celebrari vult &c. Sed longe aliter Trithemius[o]. Clemens Papa ſextus annum Indulgētiarum, quem Iubileum, Hebręorum imitatione, appellabant, de centeſimo, ſicut Bonifacius VIII. conſtituerat, conſtitutione ſollemni præmiſſa, deſuper in quinquageſimum reuocauit, pia conſideratione motus, quod ætas hominum breuiſſima viuendi in annum centeſimum pauciſſimis tribuit

facul-

facultatem. Ita loquuntur Catholici scriptores.

n, *Antidoto contra oppos.* 58. o, *in Chron. Hirsaug. Anno Dominicæ natiuitatis* 1350.

27 Mornæus omnia in prauum sensum detorquere solitus, sequitur; Ad quinquagesimum quemque annum reducit Iubileum, ita tamen, vt Romæ, etiã se absente, habeatur; vt Romanos vtilitatem magnam inde accepturos, sibi conciliet. Immo, vt inquit Coquæus, p quia Romana Ecclesia caput erat ecclesiarum, & Romæ erant corpora Beatorũ Petri, & Pauli Principum Apostolorũ, atq; Ecclesia Lateranensis prima ecclesiarum Vrbis, & orbis; ideo conuenienter instituit Romæ celebrandum Iubileum.

p, *Antidoto contra oppositionem* 57.

28 Appropinquante Anno sancto Iubilei, cum ipse Clemens tunc temporis in Auinione degeret, Senatus Romanus tres legatos ad ipsum destinauit, qui fuerunt Iacobus Sauellius, Britius Saulius, & Iacobus Columna, vt Pontificem supplicarent, vt dignaretur edere Bullam pro Anno sancto iam aduentante; cum sequenti die Consistorium habendum esset, in præcedenti nocte visionem habuit Pontifex, quam ipse his verbis describit. Et nocte præcedente apparuit nobis in visione quædam reuerenda persona in manu duas claues gerens, quæ nobis verba sequentia dixit. Aperi ostium, & ex eo ignem mitte, quo calefiat, & illuminari valeat totus mundus; & in crastinum celebrauimus Missam de S. Maria, orantes, vt si visio ista a Deo erat, iterũ appare-

ret, si autem fantasma erat, vel illusio, totaliter euanesceret. Præmissa autē huiusmodi oratione, secunda nocte vidimus eandem visionem. Quare vocauimus nostros Cardinales, &c. Sic Santarellus: qui etiam scribit ad hunc Iubileum venisse S. Brigittam vna cum filia sua Catherina q

q, *In suo Tract. de Iubileo, cap. 1. dub. 6.*

29 Fingit postremo ipse Mornęus Bullā Clem. VI. quam suum Iubileum commendaturus ediderit, in qua hæc clausula habeatur. Prorsus mandamus Angelis Paradisi, quatenus animam a Purgatorio penitus absolutam, in Paradisi gloriam introducant, &c. Et dicit extare hanc Bullam in Archiuijs multarum celebrium Ciuitatum. Sed hæc omnia, respondet Coquæus, finguntur ab hæretico, neque vllus vnquam Pontifex hac forma Bullam edidit, vt ius sibi aliquod in Angelos arrogaret, qui caput est duntaxat ecclesię militātis in terris, neq; indulgentiæ animabus Purgatorij per modum absolutionis eo modo, quo viuis, in quos habet Pontifex iurisdictionem, sed per modum suffragij applicantur, vti videbimus.

30 Anno 1617. Elector Saxoniæ, alijque Lutherani in Germania vanum Iubileum & ipsi celebrarunt, mense Nouembri, quod centesimus hic esset annus a Luthero apostata; Cusaque nummismata aurea, & argentea, cum inscriptione, seculum Lutheranum 1617. Spondanus. r

r, *in suo Actuario Chronologico ad An. Baronij.*

SE-

SECTIO IX.

SYNOPSIS.

1. Annus proximè præcedens Iubileum eius peruigilium est. 2. Annus Iubilei annus magnus. 3. In anno Iubileo fit remissio totius pœnæ. Quibus nominibus appelletur hic Annus sanctus.

ANNVM DIVINO CVLTVI DICATVM, AC FERVENTIORIBVS CHRISTIANÆ PIETATIS STVDIIS DESTINATVM, ANNVM REMISSIONIS, AC VENIÆ, TEMPVS ACCEPTABILE, DIES SALVTIS.

1 Totus etiam annus proxime præcedens Iubilei Annum, quasi eiusdem peruigilium censeri debet; quocirca Romæ, vbi celebrandus est Iubileus, quamplurima paranda sunt, nonnulla de integro facienda, resarcienda alia, vt ipsa Romana Ciuitas, tanquam noua Hierusalem, de cælo descendens a Deo parata, sicut sponsa ornata viro suo, vniuersis Christianis, qui tunc temporis ad eam confluunt, repræsentetur. Quæ autem Romæ curanda sunt pro Anni Iubilei celebratione, enumerat Benzonus. a

a, lib. 5. cap. 10.

2 Annus Iubilei est annus magnus Dei; sic quidam latini interpretantur vocem Iobel, magnus Dei; præ ceteris dignior, præ ceteris excellentior, in quo

Deus sua dona, & benignitates amplissimo modo hominibus communicat.

3 Annus Iubilei, quo fit remissio plenissima totius pœnę, non quidem æternæ, sed temporalis, peccatis iam condonatis debitæ, non vi sacramenti, sed thesauri ecclesiastici, Apostolica dispensatione, certo quodam tempore indulta, his, qui præscriptas Basilicas confessi, & contriti personaliter deuote, visitauerint; estque applicatio non per modum sacramenti, sed per modum satisfactionis illarum pęnarum, & passionis, quas Christus Iesus passus est; quibus etiam accedunt merita B. Mariæ semper Virginis, Martyrum, & omnium sanctorum, vti videbimus. Tempus vero, Menses, dies, annus, quo hæc vberrima pœnarum, & pœnitentiarum remissio, debitorumque spiritualium abolitio apud Christianos celebratur, dicitur Annus Iubilei, Annus sacer, Annus sanctus, Annus benignitatis, Annus vere placabilis, Tempus miserendi, Tempus diuitiarum, quę ex Gazophylacio ecclesiastico depromptę, vnicuique nostrum applicatæ, vere diuites nos efficiunt, & ab vniuerso ære alieno solutos nos reddunt. Tempus vere acceptabile, dies salutis, vt cum Apostolo dicit in sua Iubilei Bulla Vrbanus vere Apostolicus, quoniam etiam perditissimis, & flagitiosissimis hominibus patet aditus ad gratiam, & salutem.

SE-

SECTIO X.

SYNOPSIS.

1. Quo detur auxilium sufficiens omnibus ad salutem. 2. An auxilium necessarium ad conuersionem detur peccatoribus omnibus momentis 3. Explicatur locus Ioan. 12. Propterea non poterant credere 4. Quomodo excęcati remouere possint excęcationem. 5. Ad nouum peccatum vitandum auxilium semper omnibus adest.

LICET ENIM NVLLA EXCVRRANT TEMPORA, QVÆ DIVINÆ LARGITATIS MVNERIBVS FOECVNDA SPIRITVALIBVS NOS NON CVMVLENT BONIS, AC NVNQVAM AD INEFFABILEM DEI MISERICORDIAM EIVS ASPIRANTE GRATIA NOBIS ADITVS PRÆCLVDATVR.

1 QVod detur auxilium sufficiens ad salutem omnibus pro loco, & tempore, mediate, vel immediate, probat Bellarminus [a] ex multis locis Scripturæ, & præcipue ex illo [b], *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*; quæ verba ex commentario Chrysostomi, & Cyrilli referuntur ad lumen gratiæ, quo nemo omnino priuatur. Obseruandum autem, quod dicit primo ipse Bellarminus, auxilium sufficiens ad salutem; nam de auxilio sufficienti ad non peccandum alia ratio est. Itaque his verbis tantum differit de auxilio sufficien-

ficienti ad resurgendum a peccato, atque ad iustificationem, & salutem comparandam. Dicit secundo, pro loco, & tempore, quoniam non definit eo loci, vtrum omni tempore, omnique momento tale auxilium adsit; Sed tantum id asserit, nullum esse, qui non aliquando saltem hoc auxilium habeat. Dicit tandem mediate, vel immediate, quoniam ijs, qui vsu rationis vtuntur, immitti credit a Deo sanctas inspirationes, ac per hoc immediate illos habere gratiam excitantem; cui si acquiescere velint, possint ad iustificationem disponi, & ad salutem aliquando pertingere; ijs autem, qui rationis vsum nō habent, quales sunt infantes, vel ab infantia mente capti, mediate auxilium donari censet, quoniam parentes eorum non solum sibi ipsis prospicere, sed etiam filijs suis, præsertim rationis vsu carentibus, baptismum procurare possunt, si volunt.

a, *lib.2.de gratia cap.5.* b, *Ioan.1.*

2 Auxilium vero necessarium ad conuersionem non adest peccatoribus omnibus momētis, sed certis temporibus, provt iudicat Deus munera sua esse distribuenda; quam propositionem ex multis DD. probat Bellarminus [c], Andreas Vega vero [d] dicit quidem peccatores omni momento posse conuerti, sed addit non posse omni momento eam potentiam in actum deducere; itaque in re non dissentit a ceteris. Probatur hæc propositio per ipsum Bellarminū ex diuinis litteris [e]: *Considera opera Dei, quod nemo potest corrigere, quem ille despexit.* Certe qui hoc dixit,

pro

pro comperto videtur habere aliquos a Deo interdum ita despici, ac deseri, vt conuerti nequeant. Item *f Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias, Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum.*

c, *loco citato cap.6.* d, *libr.13.in Concil.Trid.cap.19.* e, *Eccles.7.* f, *Ioan.12.*

3 Quo loco, inquit Bellarminus, notandum est illud, *non poterant credere*, non esse dictum solum propter certam præscientiam, idest, quia præuiderat Isaias eos non credituros, quomodo possemus dicere, non poterat Petrus non negare Saluatorem, quãdoquidem Christus, qui mentiri non poterat, eum negaturum fuisse prædixerat: Nam hoc paulo ante significauerat Ioannes illis verbis. *Cum autem tanta signa fecisset, non credebant in eum; ut sermo Isaiæ impleretur, Domine quis credidit auditui nostro?* ibi ergo causam reddidit, cur non crederent ex prædicatione Isaiæ; sed mox adiungit aliam causam ab excęcatione, & de ea dicit; *Et propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias, excęcauit oculos eorum;* Porrò excęcati non solum non vident, sed etiam videre, durante excęcatione, non possunt.

4 At inquies, sequitur Bellarminus, quamuis excęcati videre non possunt, tamen remouere possunt excęcationem, si cooperentur gratiæ præuenienti, & sic absolute videre possunt. Fatetur & ipse Bellarminus, excęcatos posse remouere excęcationem, si gratiæ præuenienti cooperentur; sed gratiam præuenien-

uenientem non semper adesse confirmat, dicens id ex loco Euangelij citato colligi; nam cum adest gratia præueniens, illuminat cor, proinde non est ille simpliciter excęcatus, cui gratię diuinæ lumen affulget; & si semper adesset gratia pręueniens, per quam possent omnes peccatores semper videre, nulli essent simpliciter excęcati; quod certo repugnat scripturę allegatę, alijsque quamplurimis.

5 Auxilium autem ad nouum peccatum euitandum semper omnibus adest, nam vt scribit Bellarminus g, multum inter hęc interest, ad vitandum scilicet peccatum, & ad resurgendum à peccato; vt enim quis possit a peccato resurgere, requiritur necessario interna excitatio, quę non semper adest, vt dictum est; vt autem possit quis vitare peccata, non est necessaria interna illa inspiratio, sed satis est, si vel vires aduersario minuantur, vel remoueatur tentationis occasio, vel terror aliquis inijciatur, vel aliquid magis alliciens offeratur.

g, *num.* 7.

SECTIO XI.

SYNOPSIS.

1. & 2. Indulgentia per se non valet ad remissionem culpæ mortalis. 3. Indulgentia quomodo dicatur conferre remissionem culpæ mortalis. 4. An ecclesia possit instituere, vt per Indulgentias impetret peccator bonum motum, quo se disponat ad remissionem peccati. 5. Quomodo intelligatur hic modus loquendi, Indulgentia culpæ, & pęnæ. 6. Quomodo promittatur in Indulgentijs remissio peccatorum. 7. Indulgentia per

tia per se nec ad remissionem culpæ venialis valet. 8. An opera facta in Iubileo fiant sacramentalia. 9. Deus plura interna auxilia tribuit in Anno Iubilei. 10. An Iubileus possit augere gratiam, & gloriam.

NIHILOMINVS TOT, TANTAQVE EO ANNO AD HOMINVM SANCTIFICATIONEM BENEFICIA CÆLITVS PROMANANT.

1 INdulgentia per se non valet ad remissionem culpę mortalis. Est certa de fide. Suarez.[a] Ratio est, quia peccatum mortale non remittitur sine infusione gratię iustificantis ex Trident.[b] Gratia autem iustificans non potest infundi per solam Indulgentiam, aut remissionem factam extra sacramentum ex eodem Trid.[c] vbi dicitur, sine sacramentis, aut eorum voto neminem posse iustificari.

a, *Tom.4. Disput.50. sect.1.* b, *Sess.6. cap.7.* c, *Sess.6. can.4. de Sacram.*

2 Nec valet, vt ait Filliucius[d], si dicatur indulgētiam remittere mortale extra sacramentum cum voto illius, quia deberet supponere contritionem veram, nam sola attritio extra sacramentum non iustificat; contritio autem hominem statim Deo reconciliat, includendo in se votum pęnitentiæ, remittendo omnem culpam; ergo nō vi indulgentiæ talis remissio obtinebitur, sed pænitentiæ. Confirmatur, quia in omnibus fere formulis indulgentiarum ex-

M plicatur,

plicatur, concedi hominibus contritis, atque adeo supponitur per contritionem, vel confessionem remissam esse culpam mortalem. ergo.

d, *moral. quaest. Tom. 1. Tract. 8. cap. 7. nu. 181.*

3 Indulgentia, licet per se non possit conferre remissionem culpæ mortalis, comitanter tamen aliud interdum secum affert, quod ad illam facilius consequendam prodest; nam interdum cum indulgentia conceditur facultas absoluendi à peccatis reseruatis, vel à censuris, vel ad commutanda vota, vel interdum etiã alia debita, & restitutiones componendas, quæ omnia multum iuuant ad facilius obtinendam veniam, & absolutionem culparum; quæ facultates non sunt indulgentiæ proprie loquendo, sed alia priuilegia, quæ quatenus ad indulgẽtiam disponunt, adiunguntur: Suarez. e qui etiam addit, ad indulgentiam obtinendam sæpe postulari opera, per quæ remissio culparum obtinetur; sed tunc indulgentia non est causa per se, & formalis, vt ita dicam, vel efficiens talis remissionis.

e, *loco citato num. 2.*

4 Non tamen negandum ecclesiam posse instituere, vt per indulgentias impetretur bonus motus, quo homo se disponat ad remissionem peccati, nam ecclesia potest suis orationibus mereri, vt homo excitetur ad detestationem, & emendationem suorum peccatorum, vt patet de sacramentalibus ab ecclesia institutis. Sed talis concessio esset impetratio, non remissio, nec pertineret ad potestatem soluen-

di,

di,& ligandi, ſicut pertinet indulgentia. Suarez. f

f, *num.6.& 7.*

5 Neque obſtat g concedi indulgentiā a culpa,& a pœna; ſenſus enim eſt per huiuſmodi indulgentiam concedi facultatem eligendi confeſſarium,qui abſolutionem impendat a quolibet peccato; non vero per ipſammet indulgentiam peccata immediate deleri. Valentia h: qui etiam addit EcKium i hoc ſic explicuiſſe, & alios etiam Doctores :& licet hic modus loquendi, indulgentia culpæ, & pœnæ, ſit improprior, eſt nihilominus catholicus, & Apoſtolicus. Benzonius k ex D. Antonino.

g, *in Clement.1.de Indulgentijs.* h, *Tom.4.Diſput.7.punct.3.* i, *in diſputatione lypſica.* k, *lib.4.cap.2.*

6 Nec item obſtat, quod in Iubileis, & alijs Indulgentijs abſolute promittitur remiſſio peccatorū; quia nomine peccatorum ſæpe ſignificantur pœnæ; ſic in ſcriptura dicitur, l *vt a peccatis ſoluantur*, id eſt pœnis peccatorum; ſermo etiā eſt de animabus Purgatorij, quæ a peccatis proculdubio ſolui non poſſunt. Filliucius; m ſubdens,ſenſum illorū verborum,a culpa, & pœna, hunc item eſſe, vt qui eam indulgentiam lucratus fuerit, maneat omnino abſolutus a culpa, & pœna, nō quia indulgentia vtramque tollat,ſed quia,vt habeat effectum,debet ſupponere remiſſam culpam, & ipſa complet totius pœnæ remiſsionem.

l, *1.Machab.12.* m, *loco citato,num.184.*

7 Indulgentia nec etiam valet per ſe ad remiſſio-

nem culpæ venialis. Communior Theol. ex Suarez, Nauar. & alijs apud ipsum. [n] Ratio est, quia venialis culpa non potest deleri ordinarie sine actu hominis, quo prior voluntas aliquo modo mutetur; at per indulgentiam non datur homini talis actus contra peccatum veniale. Confirmatur, quia in forma indulgentiarum ordinarie apponi solet contritis, confessis, quæ non solum intelligitur de ipsa persona, sed etiam de peccatis, quorum plenariam remissionem quis vult consequi.

n, *Sect.* 1.*num.*11.

8 Benzonius [o] probabile existimat bona opera facta in sacro Iubileo eo ipso, quod annectuntur Iubileo, ex consecratione, & benedictione summi Pontificis, per quam consecrantur, vt sint dispositiones, ad remissionem pœnarum; fieri sacramentalia, quæ antea non fuerant. Sicut enim Oratorij globuli, Imagines, cruces, & sacra nummismata a summo Pontifice benedicta fiunt sacramentalia, quæ alias non essent ex Corduba; [p] Quidni probabile erit, huiusmodi actus virtutum ex consecratione Papali, eo ipso quod annectuntur Iubileo, fieri sacramentalia ad tollendas culpas veniales?

o, *loco citato cap.*4. p, *lib.*5.*q.*21.*prop.*3.

9 In Anno Iubilei, in quo ecclesia omnes suos misericordiæ sinus largissime aperit, non solum plura motiua extrinseca, allicientia homines ad bene operandum proponuntur; sed Deus in illo plura interna

na auxilia, ſpiritualeſque influxus hominibus, qu. Iubileũ ſuſcipiunt, ſingulariter tribuit, vt illis adiuti fructum ſacri Iubilei maxima cum vtilitate percipiant. Quod ſi Theologi communi conſenſu fatentur Deum in vno loco, puta imagine, Eccleſia, vel Altari potius miracula, & gratias ſpirituales operari, quam in alio; Cur in tempore ſacro anni magni, in Vrbe ſanctiſsima, eiuſque Baſilicis ſumma ſanctitate refertis, negandum erit a Deo maiora, & excellentiora ſpiritualia auxilia concedi, quam in alijs locis, vel temporibus? Præterea ſi in diebus feſtis Natiuitatis, Reſurrectionis, vel Aſcenſionis Dominicæ aliqua ſupernaturalia auxilia peculiariter a Deo communicantur hominibus, vt hiſce ſacris diebus vberiorem fructum ſpiritualem conſequantur; qua ratione id celebritati Anni concedendum non erit? Benzonius. q

q, *loco citato*.

10 An vero ſacer Iubileus ad modum, quo tollit pœnas, poſsit etiam augere gratiam, & gloriam, legatur Benzonius r, vbi affert nonnulla argumenta Iacobi Ledeſmæ, quibus ipſe nititur probare, poſſe applicari theſaurum Eccleſiæ ad augendã gratiam, & gloriam, non tamen ad primã gratiam. Sed Benzonius exiſtimat hoc omnino falſum, & forſan maiori cenſura dignũ, colligens hinc multa abſurda, & ad omnia argumenta contraria reſpondens. Concedit tamen per viam communicationis poſſe

Papam

Papam ſanctorum merita diffundere in eos, qui peregrinationem ad loca ſancta Vrbis ſuſceperint, ea deinde viſitando, &c. addens in Bulla vltra pœnæ plenam remiſſionem, vt Paſsio Domini noſtri Ieſu Chriſti, & merita B. Virginis, & omnium Sanctorum, præſertim Petri, Pauli, & Ioannis, & deuota viſitatio eccleſiarum præſcriptarum ſit viſitantibus in augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. Probari etiam poſſe aſſerit, quod in Iubileo fiat hæc communicatio, præſertim Anni ſancti, quia eo anno Theſaurus Eccleſiæ tantus, quantus eſt, aperitur: cum ergo hoc etiam modo ſit communicabilis, quidni eo anno communicabitur?

r, loco citato cap. 5.

SECTIO XII.

SYNOPSIS.

1. Vtrum in Eccleſia ſit aliquis ſpiritualis theſaurus. 2. Chriſtus non recepit præmium ſuis meritis adæquatum. 3. Bonorum operum duplex agnoſcenda qualitas. 4. Valor meriti nihil diminuit de valore ſatisfactionis, ſicut è contra. 5. Valor meriti non applicatur niſi operanti: Excipitur tamen Chriſtus. valor ſatisfactionis applicatur. 6. & 7. Quomodo ad hunc Theſaurum conferunt ſancti, & præcipue B. Virgo. 8. Hic Theſaurus incepit a primo iuſto. 9. Vſus huius theſauri in Eccleſia antiquiſſimus. 10. Etiam Apoſtolus hoc vſus fuit. 11. & 12. Teſtimonia Patrum de huius theſauri vſu. 13. A temporibus Apoſtolorum frequentatum eſſe probatur. 14. Eccleſia ſemper fuit in poſſeſſione poteſtatis concedendi Indulgentias. 15. Remiſſa culpa ſæpiſſime reſtat adhuc aliqua pœna temporalis perſoluenda. 16. Huius theſauri pars conceditur defunctis. 17. Negant

gant id hæretici, quia Purgatorium negant. 18. Indulgentiæ possunt etiã defunctis concedi. 19. Defuncti qualis indulgentiæ capaces 20. Quid sit indulgentia per modũ suffragij. 21. Quando prosit defuncto. 22. Indulgentia anni Sancti defunctis nõ acquiritur. 23. Alex. VI. indulgentiã anni ad defunctos extẽdit, 24. Vtrum Missa intensiue sit valoris infiniti. 25. Non tollitur Missæ sacrificio uis satisfaciendi, dum negatur huiusmodi oblationem habere vim satisfaciendi infinitam. 26. Missæ sacrificium recipit finitatem ab offerente proximo finito 27. Id ẽt asserendum, licet offerat in persona Ecclesiæ. 28. Valor Missæ respectu sacerdotis offerentis etiam est finitus. 29. An huiusmodi valor sit infinitus extensiuè. 30. Siue plures, siue pauciores sint offerentes vna cum sacerdote, semper referunt integrum fructum. 31. Sacerdotes in ordinatione consecrantes cum Episcopo referunt integrum fructum. 32. Fructus, qui refertur ex opere operato ab ijs, pro quibus offertur sacrificium, vnus est, & finitus. 33. Missa quoad effectum impetrationis habet valorem infinitum. 34. Pro defunctis sine opere viuentis concedi potest Indulgentia. 35. An requiratur gratia in operante pro defunctis. 36. Cur post vnam Indulgentiam plenariam pro vna anima purgatorij concessam requiruntur aliæ Indulgentiæ 37. licet certum esset, quod anima consecuta esset Indulgentiam plenariam, tamen deberent iterari bona opera. 38. An Papa possit vno die animas purgatorij liberare. 39. Heretici negant purgatorium. 40. Lutherus admittit purgatorium. 41. Peccatum quoddam, quod in seculo futuro remittitur. 42. Rixingerus lutheranus vocat deprauationem cultus diuini curam pro defunctis. 43. Circa id tres hæreticorum obiectiones soluuntur. 44. Explicatur Apostoli locus. Quid faciunt qui baptizantur pro mortuis, &c. 45. Quomodo intelligenda formula illa Indulgentiarum centum millium annorum. 46. Ignis purgatorius sub fine mundi aget in animas intensiuè, quod non poterit extensiuè. 47. Ludouicus Pater è Purgatorio apparet Ludouico filio Regi Germaniæ.

VT

VT PENE OMNES SACROS THESAVROS DIVINA MVNIFICENTIA IN CHRISTI FIDELES DIFFVNDERE VIDEATVR.

1 VTrum in ecclesia sit aliquis spiritualis thesaurus constans ex satisfactionibus Christi, & sanctorum, quem Prælati per Indulgentiam dispensare possint; Negant omnes hæretici nostri temporis, & negauit ex catholicis olim Maironis apud Suarez, a quia putauit Christi,& sanctorum merita accepisse sufficiens præmium, illa per exaltationem nominis ipsius, hæc per singulorum beatitudinem, & consequenter nihil ijs superfuisse, quod in Ecclesiæ thesauro reponeretur.

a, *Disput.51.sect.1.num.1.*

2 Sed in primis falsum est de meritis Christi, qui non recepit præmium suis meritis adæquatum; gloria enim,& exaltatio,quam accepit,magnæ quidem fuerunt æstimationis, & pretij, non tamen infiniti. Sed & si daretur merita Christi sufficienter in eo fuisse remunerata, accipiendum id esset de illis,in quantum erant meritoria, non quatenus satisfactoria; ac proinde,vt in quãtum ad satisfaciendum valebant, non frustrentur effectu, seruari debent in Ecclesiæ thesauro, applicanda indigentibus, quatenus sunt satisfactiones.

Duplex

3 Duplex enim operum bonorum qualitas agnoscenda est, vna quatenus pœnalia sunt, & laboriosa; altera quatenus ex charitate proficiscuntur. Propter illam dicuntur satisfactoria, propter istam meritoria; fieriq; potest, vt quod alicui est meritorium, non sit eidē satisfactorium, si.s. nulla remissione pœnæ indigeat, quomodo Christi opera non fuerunt ei satisfactoria, fuerunt tamen meritoria. Syluius. [b]

b, *In 3.p.D.Th.quæst.25.art.1.concl.4.*

4 Quod in bonis operibus reperiatur valor meriti, patet ex Trident. [c] quemadmodum de valore satisfactionis loquitur idem Trid. [d] & quidem valor meriti nihil diminuit de valore satisfactionis, sicut valor satisfactionis nihil detrahit de merito. Filliucius. [e]

c, *Sess.6.c.10.& can.24.* d, *sess.14.ca.8.& 9.ac can.13.* e, *loco citato Tract.8.cap.3.num.67.*

5 Qui etiam supponit, valorem meriti non applicari nisi operanti. *Vnusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.* [f] *Tu reddes vnicuique secundum opera sua.* [g] Et ratio est, quia nemo potest alteri mereri primam gratiam, nec augmentum eius; & oppositum esset erroneum. Excipitur Christus, qui meruit nobis primam gratiam. Trident. [h] At valor satisfactionis potest applicari etiam alteri, & valet pro eo, non solum de congruo, & ex Dei benignitate, vt Medina [i]; verum etiam de condigno, & ex iustitia, secūdum cōem Scholasticorum.

f, *1.Corin.3.* g, *Psal.61.* h, *Sess.5. Decr.de peccat.orig.can.6.& Sess.6.can.10.* i, *C.de satisfact.q.2.& 5.*

6 Ad hunc thesaurum etiam sancti conferunt, bonis operibus eorum, & ea parte, qua satisfactoriæ sunt, & præcipue B. Virginis. Probatur ex extrauag. k vbi dicitur ad thesauri cumulum adminiculum præstare merita B. Virginis, & aliorum sanctorum. Probatur etiam ratione, quia opera, & passiones sanctorum, quatenus erant satisfactoria, non omnia fuerunt in illis remunerata; ergo quod superfuit remunerandum, repositum est in thesauro dispensandum fidelibus.

k, *Vnigenitus, de pœnit. & remiss.*

7 Dictum est præcipue B. Virginis, quia nunquã peccauit, neque venialiter, & tamen maxime meruit, & perpessa est multos dolores, vnde omnis eius satisfactio reponi potuit in hoc thesauro. Multi etiã sancti solum habebant venialia, & tamen maximam pœnitentiam egerunt, vt sanctus Ioannes Baptista, & alij. Confirmatur, quia hæc fuit saltem virtualis intentio in omnibus sanctis, & in aliquibus etiam formalis, vt satisfactiones, quibus ipsi non egebant, & quas alijs expresse non applicarunt, remanerent in Ecclesia fidelibus applicandæ; sic Paulus. l *Adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi, in carne mea pro corpore eius, quod est ecclesia.*

l, *Colos.* 1.

8 Thesaurus hic, quatenus constat ex meritis sanctorum, fuit ab origine mundi, siue, vt loquitur Pontifex, a primo iusto. Quia tamen eius distributio non potest fieri, nisi per claues nouę legis proprias; ideo

non

non potuit olim dispensari per indulgentias; idque rationabiliter, tum quod merita Christi, quæ sunt primum fundamentum huius thesauri, nondum essent actu exhibita; tum quod nondum pateret aditus in cælum; tum quod omnia essent in veteri testamento imperfecta.

9 Huius thesauri vsum in ecclesia fuisse antiquissimum probat Cotonus. [m] In sacra enim D. Ioannis historia [n] inquit, salutis hominum parens Christus ante actæ vitæ scelerum pænam remisit paralytico, dum ait, *iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat*; quod video animaduersum. [o] Par tributa fuit condonatio flagitiosæ mulierculæ, [p] & quod ad culpam, atque animaduersionem attinet, cui in diuinis monumentis ita loquens Deus inducitur. *Nec ego te condemnabo; vade, & iam amplius noli peccare*, vt egregie D. August. [q] exposuit.

m, *in sua Instit.cath.lib.*4.*cap.*7. n, *cap.*5. o, *in cap. cum infirmitas.* p, *Ioan.*8. q, *Tract.*33.*in Ioannem.*

10 Corinthij multis precibus a magno Paulo efflagitarunt, vt incestæ libidinis viro pęnam remitteret, quod ipse quidem lubens concessit, & hoc in persona Christi, vt ipse memorat, [r] & explicat Theodoretus, & post ipsum ingeniosissimus, & singulari animi sanctitate Thomas.

r, *Epist.*2.*cap.*2.

11 Post ætatem Apostolorum D. Cypriani, & Tertulliani consequuntur testimonia de remissione, quam Antistites martyrum precationibus inuitati,

quorum esset in patiendo nobilitata constantia, aut alias ob causas tribuebant. Tertio, & quarto seculo illustria ad hanc rem concilia sunt, tum œcumenica, tum prouinciarũ propria in quibus Indulgentię concedũtur pęnitẽtibus, iuxta sapiens, moderatumque iudicium Episcoporum. Legatur ipse Cotonus.

12 Seculo quinto, atque sexto, Gregorius Magnus benigne indulgentias ijs concessit, qui stationes Vrbis Romę pia religione celebrarent, vt S. Thomas, [s] & Gulielmus Altisiodorensis [t] produnt. Concessit etiam varias Indulgentias Leo III. Sergius II. & alij quamplures summi Pontifices, vt videre licet apud Cotonum, qui etiam ad corroborandam hanc veritatem, prodigia, atque miracula multa, & magna afferri posse scribit.

s, distinct. 20. q. 1. art. 13. quæstiuncula 2. t, lib. 4. Sum. Theolog. tract. 6. cap. 9.

13 Ex quibus omnibus sequitur, Indulgentiarum vsum, non a quingentis duntaxat annis exortum, verum & a temporibus Apostolorum fuisse frequentatum, licet propter populi feruentiorem ad vindicanda peccata promptitudinem, primis seculis parcior fuerit, quam a quingentis annis. Concludendum igitur est aliquem semper Indulgentiarum vsum in Ecclesia fuisse, & consequenter esse doctrinam Apostolicam, talem potestatem in ecclesia esse, donec hæretici contrarium probent.

14 Legatur etiam Card. Plæseus, [u] vbi etiam ipse probat Ecclesiam semper fuisse in possessione pote-

statis

ſtatis concedendi indulgentias; & ait, cum in Eccleſia poteſtas ſit pęnas imponendi Canonicas, magnum eſſe abſurdum, ſi quis illam ab eis abſoluere non poſſe defendat, cum rationi conſentaneum ſit hanc poteſtatem ab illa non poſſe diſiungi.

u, *loco citato cap. 5. ſect. 2.*

15 Conãtur ipſi Hæretici tollere omnino ab Eccleſia huiuſmodi Indulgentiarum vſum, dum dicunt, remiſſa culpa nullas reſtare pęnas luendas, vt ex eorum libris docet Bellarminus, [x] ſed remiſſa culpa ſæpiſſime reſtat adhuc aliqua pœna temporalis perſoluenda. Ita Trident. [y] & cum eo omnes catholici. At verum, ſemper vna cum culpa mortali tolli etiam debitum pœnæ æternæ. Et ſic pœnam æternam Deus commutat in temporalem; quatenus ſcilicet illam ita remittit, vt tamen relinquat in homine debitum ſubeundi aliam pęnam temporalem, talem ſcilicet, qualem decet eum ab amico, a quo grauiter fuit offenſus, exigere. Quanta autem pœna pro ſingulis peccatis iam remiſſis ſoluenda reſtet, nobis incertum eſt, quia Deus talem ſtatuit, qualem ipſe iudicauerit expedire.

x, *lib. 4. de pęnit. cap. 20.* y, *ſeſſ. 14. c. 8. & can. 12.*

16 Huius autem theſauri certa pars cõceditur defunctis, non per modum abſolutionis, ſed per modum ſolutionis, compenſationis, ſiue ſuffragij, in quantum aliena ſatisfactio ijs applicatur, velut ſuffragium, ſeu bonum õpus, quo ipſis poſſimus eſſe auxilio.

Negant

17 Negant id Heretici, quia negant Purgatorium, & omnes Indulgentias. Idem negarunt aliqui olim Catholici, eo quod B. Petro solum sit data potestas soluendi eos, qui sunt super terram, siue viuentes. Ita Gabr. z sed vt ait Bellar. a cito correxit errorē, vt perspicuum est ex additione ad eandem lectionē.

z, lect. 52. in Canon. a, *De Indulg. lib. 1. cap. 14.*

18 Sed concludendum posse etiam defunctis Indulgentias conferri; est enim Theologorum, & videtur damnata contraria sententia in Epistola Leonis X. qua damnauit errores Lutheri. Ratio præcipua est communis sensus, & traditio Ecclesiæ, quæ non potest errare in re tanti momenti. Et si potest priuatus suas satisfactiones applicare defunctis, quare Ecclesia non poterit etiam defunctis applicare satisfactionem Christi, cum omnia hic possint reperiri, vt scribit Coninck. b quæ ad iustam Ecclesiastici Thesauri dispensationem requiruntur.

b, *Disp. 12. dub. 10.*

19 Defuncti non sunt capaces Indulgētię per modum absolutionis. Ratio est, quia absolutio tantum datur in subditos; animæ vero Purgatorij non sunt subditæ summo Pontifici. Vnde particula illa *super terram* in verbis, *quodcunque solueris super terram*, est tantum respectu personarum, quæ sunt viatrices, & degentes super terram, vt declaratur ex illis verbis, d *pasce oues meas;* quibus tantum ij homines includuntur, qui pascuntur super terram.

d, *Matth. 16.*

Pro-

20 Prosunt tamen Indulgentię eis per modum suffragij, vti diximus. Quid sit autem Indulgentiam concedi per modum suffragij, Filliucius [e] scribit tres esse modos, quibus id Doctores explicant. Primus, quod Indulgentia per modum suffragij non sit omnino infallibilis, sed pendens ex libera acceptatione Dei. Secundus, quod non concedatur Indulgentia directe, & immediate animabus Purgatorij, sed viuentibus simul concedendo, vt possint applicare defunctis, sicut possunt suas priuatas satisfactiones. Tertius, quod Indulgentia per modum suffragij differat solum quo ad modũ causandi moraliter illum effectum remissionis pœnæ; nam quando est per modum absolutionis, qui eam concedit, immediate remittit pœnam tamquam Dei minister, & iudex eius locum tenens; quando vero est solum per modum suffragij, concedens non remittit pœnam, sed offert Deo pretium æquiualens, vt ipse remittat; & ex his modus tertius videtur omnium probabilissimus.

e, *Tract.8.cap.8.nu.204.*

21 Tunc Indulgentia prodest defunctis, quando id in forma Indulgentiæ exprimitur. Nec satis est, quod Indulgentia concedatur omnibus fidelibus, & quod ad eius effectum nihil exigatur, quod in defunctis inueniri non possit. Nam iuxta communem ecclesię vsum id satis non est, semper enim solent exprimi etiam defuncti, & nomine fidelium absolute viuen-

viuentes intelliguntur, vtpote simpliciter viatores, & immediate subiecti clauibus ecclesiæ.

22 Anni sacri igitur Indulgentia non acquiritur pro defunctis, quia id Pontifex non expresse in Bulla explicat. Sed tamen negandum non est Animas Purgatorij plurimos alios fructus,& vtilitates ex sacro Iubileo secundario, vel indirecte consequi. Qui enim Romam accedunt eo tempore, possunt multa pia opera ad iuuamen illarum præstare, vel missas ad Altare S. Gregorij, vel S. Laurentij extra muros, in quibus suffragia mortuorum copiosa concessa sunt, celebrando, vel alia pia munia erga illas exhibendo. Expectant hunc annum animæ illæ satis patiẽtes, vt ex affluentia spiritualium diuitiarum, quæ Romæ existunt, aliquid misericordiæ,& Indulgentiæ in eas redundet. Postulant ab amicis, vt earum miserijs compatientes, guttam pietatis in illas distillent, vt in illis flammis refrigerentur, ab eisque diuina pietate liberentur, clamantque cũ Iob *f*: *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei*, quamobrem maxime illi ingratitudinis, negligentiæq; nota inureretur, qui eo anno in tam magna copia satisfactionum illas obliuioni traderet. Benzonius. *g*

f, cap.19. g, lib.2.cap.5.

23 Alexander VI. in anno sancto, qui in suum tempus incidit, videlicet in anno millesimo quingentesimo, etiam ad animas Purgatorij hanc Iubilei Indulgentiam extendit, data eleemosyna ad arbitrium

qitrium alicuius Pœnitentiarij pro reparatione Basilicæ sancti Petri, vt videre est in sua Bulla.

Sacrificium Missæ tunc offerendum est pro illa anima, cui indulgentia procuratur, quando verba rescripti, & indulgentiæ id indicant, vt si dicatur, offerendo missam pro defuncto, liberetur anima illius à Purgatorio; si vero diceretur, dicendo missam, vel quoties missam dixeris, liberes animam à purgatorio; tunc satis est opus illud facere, etiam si fructus non applicetur. Filliucius.[b]

b, num. 212.

24 Vtrum vero missa habeat valorem infinitum intensiue necne, Filliucius[i] respondet, & dicit primo, quo ad effectum ex opere operato habere valorem finitum; & probat, quia ad valorem infinitum ex opere operato tria requiruntur, res oblata infinita, offerens proximus infinitæ dignitatis, & ipsa oblatio infinita; quod quidem habuit vtrumque Christi sacrificium, in cœna scilicet, & in Cruce; nam ex dignitate personæ diuinæ ipsa oblatio habuit infinitum valorem in ratione meriti, & satisfactionis. Si ergo consideretur hoc sacrificium, vt est à Christo, sic esset quidem infinite satisfactorium; sed quia Christus est extra statum merendi, & satisfaciendi, nulla illi respondet satisfactio.

i, loco citato. Tract. 5 cap... num. 85.

25 Neque tamen propterea dicendum, tolli sacrificio vim satisfaciendi; in quo deceptus est quidam responsor casuum, vt ait Filliucius, putans Theolo-

O gos,

gos, qui id affirmarunt, ademisse huic sacrificio vim satisfaciendi. Nam aliud est per hoc sacrificium applicari satisfactiones Christi, quod neque hi Theologi, neque vllus negat. Aliud si consideretur, vt hæc oblatio est a Christo, habere de facto vim satisfaciendi infinitam; id enim necessario negandum est, quia Christus cum sit in termino, amplius non meretur; quare neque per actiones, quas nunc facit, & tamen in omnibus missis ipse est principaliter offerens; ergo dum offert, non meretur, neque satisfacit. Verissimum tamen est applicari per hoc sacrificium satisfactiones Christi vi actionum eius, quas exercuit, dum esset viator.

26 Quatenus vero est a sacerdote, res oblata tantum est infinita, non cetera, quare recipiet finitatem ab offerente proximo finito, & oblatione ipsa, quæ vt etiam est ab offerente proximo, qui est finitæ dignitatis, etiam ipsa finita erit: Christus etiam noluit per eam conferri infinitum effectum, sed tantum determinatum, & finitum, quem ipse solus nouit; nos autem colligimus ex communi sensu Ecclesiæ, quo cōstat vnam missam sic oblatam pro iusto, non semper conferre satisfactionem totius pœnæ; & applicatam pro animabus Purgatorij, non illud euacuare. Signum ergo est applicationem satisfactionum Christi esse finitæ quantitatis, & hoc est esse finitum valorem intensiue. Congrue autem ita factum est, vt magis homines incitarentur ad missas frequentandas.

Dicit

27 Dicit secundo. Hoc idem sacrificium, quatenus offertur in persona ecclesiæ, habet valorem finitum ad impetrandum. Ratio est, quia fundatur in eius sanctitate, quæ finita est, hinc est, vt possit minui, & crescere iuxta fidelium sanctitatem. Gab. & diciturque huiusmodi valor ex opere operantis.

k, lect. 26. in can.

28 Dicit tertio, Respectu sacerdotis offerentis etiã est finitus valor intensiue, tum ratione meriti, & satisfactionis, tum ratione impetrationis. Ratio est, quia actio simpliciter finita est, nam persona offerens est finita, & finitæ dignitatis. Actio etiam in genere moris habet finitum meritum, & satisfactionem, & licet res oblata sit infinita, atque adeo cum hæc conferat ad meritum, si est infinita, infinitam dignitatem conferre debeat. Respondet tamen, rem oblatam in sacrificio se habere tantum vt obiectum, & materiam, circa quam fit oblatio, ideoque habet infinitatem quandam secundum quid, quia ex parte rei oblatæ nulla potest dari oblatio maior; non est autem oblatio infinita simpliciter, quia hæc pendet ex dignitate personæ offerentis, quæ in casu nostro finita est, & valde inferior dignitate materię, quam offert, ideoque habet finitum meritum, & satisfactionem ex opere operantis.

29 An vero valor missæ sit infinitus extensiue, Pro explicatione notandum cum eodem Fillincio l causam aliquam posse habere vim finitam duobus modis. Primo intensiue, quia tantum possit producere

certos gradus intensionis, vt ignis quattuor, vel octo gradus: Secundo extensiue, quia scilicet illos gradus non possit producere nisi in determinato numero subiectorũ eodem tempore, vt sex, vel octo; quod si daretur ignis qui posset producere calorem intensiorem qualibet numeri specie finita, & præterea in qualibet multitudine subiectorum etiam infinita, eodem tempore ille esset infinitus intensiue, & extensiue. Quærimus ergo, an sicut sacrificium applicat tantum finitos gradus satisfactionis, vt vidimus; ita si pluribus applicetur, diuidatur ille fructus inter illos, adeoque minor fructus proueniat ad singulos, quam si pro vno solo oblatum fuisset. Hoc posito.

in num.88.

30 Respondet Filliucius, & dicit primo. Si sermo sit de fructu, quem referunt offerentes simul cum sacerdote, sic siue plures, siue pauciores fuerint offerentes vna cum sacerdote, semper referunt integrũ fructum. Ratio est; quia aliqui audientes missam ob solam multitudinem, minorem fructum reciperent, ac si solus; & ratio est, quia nec minui potest ex re oblata cum sit infinita; nec ex oblatione, cum quo plures personæ sunt, eo etiam sint plures oblationes; nec ex persona offerente proxime, quia sicut multiplicantur personæ, ita etiam dispositiones, & oblationes, nec denique ex persona offerente remote, quæ Christus est, cum potius respectu huius sit infinitus.

Ex

31 Ex quo ſequitur etiam plures ſacerdotes conſecrantes eandem hoſtiam, vt fit in ordinatione ſacerdotum, quia vnuſquiſque offert integrum ſacrificium, referre etiam integrum fructum ſingulos eorum, ac ſi vnus ſacrificaret: Vnitas enim numerica ipſius rei oblatæ non obeſt, cum ſit etiam vna, & eadem in diſtinctis ſacrificijs, & tamen diuerſi fructus referuntur.

32 Dicit ſecundo, ſi ſermo ſit de fructu, qui refertur ex opere operato ab ijs, pro quibus ſacerdos offert ſacrificium, ſic ille vnus eſt, & finitus, ideoque ſi pro multis offeratur minuitur, in ſingulis: Suarez cũ multis Doctoribus. [m] Ratio huius pendet ex Chriſti inſtitutione, quæ ita videtur facta, vt vni oblationi reſpondeat determinatus effectus, vt v.g. 100. gradus ſatisfactionis, qui omnes vel poſſint vni applicari, vel multis; non autem multiplicari in ſingulis, ſed diuidi pro eorum multitudine. Patet eccleſiæ vſu, quia ſi multiplicarentur in ſingulis, nunquam deberet applicari pro vno tantum, cum tamen applicetur, & omnes putent magis prodeſſe, quam ſi multis. Item poſſet ſacerdos vno ſacrificio ſatisfacere multis ſtipendijs, ſi tantumdem applicet pro omnibus, quantum pro ſingulis. Denique plura ſacrificia pro eadem perſona plus proſunt, quàm vnum; ergo etiam pro duabus plus proderunt duo quam vnum, ergo vnum non tantum proderit duobus, quam vni tantum.

m, *Diſput.79.ſect.12.*

Dicit

33 Dicit tertio quoad effectum per impetrationẽ missa habet valorem infinitum, ideoque oblatum pro multis non minus prodest singulis, quam si pro vno: S. Thom.[n] & alij apud Suarez.[o] Ratio est, quia est infinite gratum Deo huiusmodi sacrificium, & fundatur in eius dignitate, quę infinita est; quare est ex se sufficiẽs ad impetrãdum quodlibet beneficiũ, aut multitudinem beneficiorum, semper enim superabit valor rei oblatæ. Quia vero non applicatur ad impetrandum nisi vt coniungitur orationi, impetratur enim quod petitur, & desideratur, oratio vero eo efficacior, ceteris paribus, est, quo magis specialiter fit, ex Constant.[p] & alijs; hinc est, vt sacrificiũ magis impetratorium sit, si pro ijs applicetur, pro quibus oratio specialis facta est, quam si pro ijs, qui cõprehenduntur sub generali petitione. Hinc proderit multiplicatio eorumdem sacrificiorum ad effectum impetrationis, sicut etiam coniunctio fructus applicati, ex opere operato cum impetratione. Disputata fuit a me iterum tota hæc quæstio in Aphorismis super cærimonias missæ, &c.

n, 4. dist. 45. q. 2. art. 4. q. 2. o, *loco citato* p, *sess.* 8.

34 Sine opere viuentis potest Indulgentia concedi pro defunctis, licet moraliter non concedatur, nisi per opera ipsius viuentis. Ratio, quia & si effectus Indulgentiæ respiciat vtilitatem defuncti, tamen causa concedendi Indulgentias semper respicit viuentes, & vtilitates aliquas Ecclesiæ militantis.

35 Non requiritur gratia in operante pro defun-

ctis,

ctis, & quidem, quando opus faciendum antecedit effectum Indulgentiæ; quia neque id requiritur in Indulgentia, quam aliquis per se lucratur. Quando vero consumato opere statim effectus indulgentiæ tribuendus est, est difficilius; dicendum tamē etiam in hoc casu gratiæ statum non esse necessarium, quia hic requiritur tamquam dispositio ad effectum Indulgentiæ in eo, qui debet illum recipere; in nostro autem casu non ille, qui facit opus, debet recipere fructus, sed is, cui applicatur. Contra est in Indulgentia pro viuentibus; ille enim ipse, qui opus facit, debet Indulgentiam lucrari. Filliucius. 4 q. *num. 213.*

36 Post vnam Indulgentiam plenariam pro vna anima purgatorij concessam, postea acquiruntur aliæ Bullæ, & Indulgentiæ plenariæ, quia (stando in opinione, quod Indulgentia per modum suffragij innititur liberalitati acceptantis Dei,) non constat nobis, vtrum talis anima lucrata sit, aut acquisierit talem Indulgentiam plenariam quo ad totum suum fructum, cum etiam nobis lateat dignitas, & idoneitas ipsius animæ. Aliæ causæ dantur ab alijs Doctoribus tenentibus, quod Indulgentia per modū suffragij innitatur Dei iustitiæ, & quod infallibiliter acceptetur a Deo quo ad totum suum fructum pro quacumque anima fiat; quia potuit esse defectus ex parte causæ Indulgentiæ; secundo ex parte facientium quod requiritur ad talem Indulgentiam lucrādam pro defunctis. Ideo cum propter prædicta sit nobis

nobis incertum, vtrum anima purgatorij fuerit lucrata talem Indulgentiam sibi concessam, acquiruntur aliæ, vt dictum est. Corduba. r

r, in suo quæst. Theol. lib. 5. quæst. 47. dub. 3.

37 Sed licet nobis esset certum, quod talis anima omnino consecuta esset indulgentiam plenariam sibi rationabiliter concessam, tamen adhuc deberent iterari bona opera pro ea, quia per alia suffragia, & sacrificia, quam per solas indulgentias laus, & honor additur Deo; & fructus amplior prouenit ipsis viuentibus, facientibus ea pro defunctis, quā ex ipsa Indulgentia, quæ, vt habet vim indulgentiæ, prodest solum quibus conceditur. Adde, quia ipsi defuncto existenti in cœlo prouenit gaudium accidentalis gloriæ, & ex virtute gratitudinis prouocatur ad orandum pro ipsis suffragantibus ei. Tandem, quia suffragia facta pro vno etiam proficiunt alijs animabus purgatorij. Sic Corduba. s

s, loco citato.

38 Posset Papa vno die omnes animas Purgatorij liberare, si spectetur potestas eius, & amplitudo thesauri ecclesiastici; sed quia etiam requiritur iusta causa, & opera etiam requiruntur facta a viuentibus debite, ideo casus est moraliter impossibilis, nam illa causa non videtur posse dari, vt dixit S. Thom. t opera vero non fiunt ab omnibus debite. Posita tamen iusta causa, & tot, qui opera debite facerent, vt sufficerent ad numerum defunctorum, tunc nullum

esset

esset inconueniens, vt ex Gab. Nau. & alijs docet Filliucius. *u*

t, *quæst.71.add.art.10. u, num.216.*

39 Hæretici negant aliquem Purgatorij locum, cum non sit notus in scriptura illius Architectus, & iam pridem eius ignem extinxerit sanguis, & aqua Christi. Sed necessario asserendum est, dari Purgatorium ad animas purgandas in altera vita; nam ipsa ecclesia semper & Purgatorium credidit, & pro defunctis orare consueuit, vt patet ex omnibus Ecclesiarum litorgijs, Clem. D. Iacobi Basil. Chrysost. Ambrosij, Æthiopum &c. idem constantissime docent Patres Græci pariter, & Latini; immo, & doctissimi, ac vetustissimi Hebræorum, vt latissime probat Valuerdius. *x*

x. *In suo igne purgatorio.*

40 Lutherus etiam & ipse admittit esse purgatorium, dum sic ait; *y* Ego qui credo fortiter, immo ausim dicere, scio Purgatorium esse, facile persuadeor in scripturis de eo fieri mentionem. Nolo mihi suspicionem fieri, quod faueam Hæreticis, aut Bohemis. Ego nihil de Purgatorio noui, nisi animas ibi pati, nostris operibus, & orationibus iuuandas.

y, *in disputatione Lypsica.*

41 Catholici sciunt quoddam esse peccatum, quod non remittitur, neque in hoc, neque in futuro seculo *z*; sciunt consequenter esse quædam, quæ remittuntur in futuro, per suffragia scilicet, & orationes

P Ecclesiæ,

Ecclesiæ, sciunt, dico, quædam remitti in futuro, si non quo ad culpam, & pœnam æternam, saltem quo ad temporalem aliquã in igne purgatorio luendam.
z, Matth. 12.

42 Rixingerus Medicus, & Philosophus Lutheranus, vt scribit Martinus Vauthier [a], hanc pro mortuis Pontificiorum curam, & charitatem vocat deprauationem cultus diuini; ac proinde Idololatriã. Sed si sic est, inquit Vauthier, cultus diuini deprauator, & Idololatra erit nominatissimus ille Iudas Machabæus, qui *facta collatione duodecim millia drachmas argenti misit Ierosolymam afferri, pro peccatis mortuorum sacrificium, iuste, & religiose de resurrectione cogitans*. Scio dicturum Nouatorem, Machabęorum libros non esse canonicos; sed hoc falsum est, nam pro canonicis, & diuinis habiti sunt ante mille, & trecentos annos. [b] Deinde Ecclesia, cuius auctoritas facit, vt sanctus Augustinus credat Euangelijs, nobis illos tanquam canonicos proponit.
a, *in suo de Religione Pontificia q.28.* b, *in Conc. Cartag. 3. can. 47.*

43 Serarius soluit hic tres Hæreticorum obiectiones ad hunc locum, & præcipue temerariam illam Munsteri coniecturam, qui istam de precibus coronidem, videri per audaculum aliquem adiectam asserere non erubescit. Genebrardus [c] scribit Munsterum ipsum, & Fagium etiam hæreticum [d] ex libris Iudiciorum precis particulam recitare, quæ pro illis fiebat in antiquo testamento. *Requiescat anima eius, & sedes eius sit in pace; Requiescat, & veniat*

niat in pace, donec adsit Consolator annuntians pacem, &c. Sed postea Munsterus [e] sui immemor, vel potius religionis odio obcæcatus, vt eiusmodi hominibus contingere solet, asserit orare pro defunctis Hebræis nunquam fuisse vsitatum. Nam contra, numquam fuit non vsitatum, vt docet ipse Genebrardus. [f]

c, *in sua Chronographia an. mundi* 3922. d, *in annotat. ad* 14. *Deut.* e, *in* 19. *cap. lib.* 3. *Iosephi Hebraici a se translati.* f. *libro a se verso, qui inscribitur Precationes Iudæorum pro defunctis a libro Mahzor.*

44 Sed redeamus ad Vauthier, qui subdens sic dicit: si illi deprauant cultum Dei, qui preces, sacrificia, elemosynas, & alia id genus pro mortuis offerunt, cultum Dei deprauabunt & hi, quos Sanctus Paulus [g] dicit baptizari pro mortuis, ex quorum baptismo resurrectionem mortuorum, & animæ immortalitatem esse concludit; verba eius sunt ista; *alioquin*, ait, *quid faciunt, qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt?* sed qui sunt isti, qui baptizantur pro mortuis? potestne baptismus meus mortuo prodesse? sane non potest, nisi intelligas baptismum metaphorice, nimirum baptismum pœnæ, afflictionum, lacrymarum; precum; sic enim accipitur hic baptismus, & alibi etiam [h] Itaque baptizari pro mortuis est idem, quod affligi pro mortuis; dicit autem Apostolus tales esse, qui se affligunt, vel sunt solliciti, vt mortuis bene sit, ieiunant, orant, sacrificant, offerunt pro illis, vt per baptismum pœnæ temporalis in hac

vita susceptæ, liberentur mortui a baptismo ignis Purgatorij.

g, 1.*Cor*.5. h, *Mar*.10.*Luc*.21.*Psal*.31.

45 Tandem notandum est vnius diei pœnam, quæ in purgatorio pendatur, multorum annorum intercapedini respondere, qui in huius vitæ curriculo, in summa, & acerbissima corporis vexatione transigi possunt, nec proinde auribus hominum, animisque absurdum, & incredibile videri oportere, si nōnunquam sex, decem, & centum annorum millia in Indulgentijs nominentur. Tametsi enim non tandiu hęc commutabilium rerum vniuersitas, ac ne is quidem locus ad expiandas mentes ædificatus duraturus videtur, vix tamen illos immanes, & intolerandos cruciatus intelligentia consequi, aut probabili coniectura possumus, quam ex vitæ huius modo, & conditione. Fuit autem veteris Ecclesiæ ea summa in animaduertendo seueritas, vt cuique maleficio capitali, quinque, septem, decem etiam, & interdum annorum duodecim mulcta imponeretur, vt scribit Cotonus.[i] i

i, *loco citato lib*.4.*cap*.7.

46 Quænam ergo longissimi temporis diuturnitas, aut seculorum pœnè innumerabilium continuatio ad expiandos tot flagitiorum aceruos queat sufficere, quæ non dicam singulis diebus, sed horis, sed momentis in hac audaci, & effrenata hominum libidine, atque malitia committuntur? sed sancti Numinis infinita potentia facit, quod etiam faciet

ciet vehementius ſub fine mundi, cum & Purgatorium extinguetur, vt pœnæ adiunctione, ſupplicijque grauitate maleficia puniat, atque, vt Scholæ dicunt, intenſiue, quæ breuior temporis decurſus haud ſatis vindicare extenſiue poteſt; dum certum ſit gradus caloris centies mille poſſe tantum momento vno conficere, quantum centum annorum millibus gradum vnum.

47 Anno Domini 874. Ludouico Regi Germaniæ, quadrageſimali tempore in oratione perſiſtenti, Ludouicus Pater Imperatoris apparens, latino ſermone dixit: *Adiuro te per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, vt me eripias ab his tormentis, in quibus detineor, vt tandem aliquando vitam poſſim habere æternam.* Hac ergo viſione Rex perterritus, epiſtolas per cuncta Regni ſui Monaſteria deſtinauit, vt pro anima parentis iam a triginta annis defuncti, Diuinam miſericordiam implorarent. Coriolanus. k

k, *in ſuo Breuiario Chronologico ad An.* 874.

SECTIO XIII.

SYNOPSIS.

1. Hebræi quo anno promulgabant fore Iubileum. 2. Error aliquorum ſcriptorum circa id. 3. De Anno Sabbatico. 4. In deſerto non fuit lex anni Sabbatici, nec Iubilei. 5. Ordo, & diſtinctio Annorum Sabbaticorum, & Iubileorum. 6. Quid ſymbolice ſignificent hi Anni.

QVA-

QVAPROPTER SI QVINQVAGESIMVS ANNVS, QVEM DEVS MOYSEN SANCTIFICARE IVSSIT, INCREDIBILI HEBRÆORVM PLAVSV, ATQ; INÆSTIMABILI GAVDIO EXCIPIEBATVR, QVANTO MAGIS DECET CHRISTIANVM ORBEM SACRO IVBILEI ANNO RECVRRENTE LÆTARI?

1 *NVmerabis quoque tibi septem Hebdomadas annorum*, idest septies septem, quæ simul faciunt annos quadraginta nouem, *& clanges Buccina mense septimo, decima die mensis, sanctificabis quoque annum quinquagesimum.* [a] Hic, inquit Cornelius a lapide, describitur annus Iubileus, iubetur hic ergo, vt anno non 50. siue Iubilei, sed 49. præcedente Iubileum clangant, & promulgent fore Iubileum, vt quisq; ad eum se dispónat, vt facit modo S.D.N. Vrbanus, qui anno 1624. promulgat Iubileum celebrandum anno 1625. Annus itaque 49. non erat annus Iubilei, sed erat annus sabbaticus.

a, *Leuit. cap. 25.*

2 Errare ergo videntur Radulphus, Hugo Card. Gerardus Mercator, & Iosephus Scaliger, qui putãt annum 49. fuisse Iubileum, eum tamen dici, & esse quinquagesimum, si in hoc numero comprehendas

annum

annum quinquagesimum, siue Iubileum præcedentem. Hunc enim debere numerari, & ab eo inchoandam esse numerationem anni 50. siue Iubilei sequẽtis aiunt. Errant, inquam, quia sic iste annus 50. bis numeratur, s. primo, cum est vltimus, & 50. siue Iubileus; secundo prout est initium iubilei sequentis. Vnde hanc sententiam refutant Cyrillus, Ambrosius, Clemens, Beda, Hieronymus, Cassiodorus, Isidorus, Abulensis, Oleaster, & ex ijs fuse Serarius.[b]

b, *in Ios. lib. 13. quæst. 14.*

3 De anno vero sabbatico sic Dominus ad Moysen. [c] *Quando ingressi fueritis terram, quam ego dabo vobis, sabbatizetis sabbatum Domino*, idest obseruate sabbatum, seu quietem terræ, facite vt terra septimo anno quiescat. Erat enim hæc lex cærimonialis spectans cultum Dei diuinum, iubensque celebrari communiter ab omnibus annum septimum, sicut diem septimum; annus igitur septimus quisque erat sabbatum, id est quies terræ; inde hi anni vocati sunt sabbatici. Hoc terræ sabbatum instituit Deus, vt ipsa vacatio terræ, ait S. Augustinus,[d] esset veluti merces habitationis, & quasi pretium redemptionis ab illo, cuius est, ideft ab eius creatore Deo, vt scilicet Hebræi pro terra sibi a Deo data, illi hoc sabbatum, quasi hoc cultum, & homagium quoddam rependerent.

c, *Leuit. cap. 25. citato* d, *qu. 89.*

4 Nota *Tò, quando ingressi fueritis terram;* non ante ingressum, puta in deserto, vt notat hic Cornelius

lius a Lapide, hæc lex anni septimi, vti Iubilei obseruata non fuit. Annus septimus, & Iubileus sunt inducta ad soluenda debita, labores, & seruitutes; iam nulla erant delicta in deserto, cum ibi nulla esset inopia; nec ibi laborabant, aut terram colebant, cum omnes e Cœlo æqualiter alerentur manna, & vestirentur ijsdem semper vestibus manentibus integris, & incorruptis, vt patet ex scriptura. [e] In deserto quoque non erant seruitutes, quæ propter hæc debita, & necessitates corporales apud Iudæos inductæ sunt, vt innuitur. [f]

e, *Deuter.* 8. f, *eodem capite Deuter.*

5 Qui plura de anno Sabbatico, & Iubileo videre cupit, legat Cornelium a Lapide,[g] Serarium,[h] & Salianum[i], apud quos leget ordinem, & distinctionem annorum Sabbaticorum, & Iubileorum, quando sabbatici, & Iubilei anni a Iudęis numerari desierint, quot a terræ diuisione ad Christum Dominum summatim fuerint sabbatici, & Iubilei, & ea quę ad buccinarum clangorem spectant, vt multa alia ad hanc materiam pertinentia.

g, *d. cap.* 25. *Leuit.* h, *in cap.* 13. *Iosue.* i, *in Annalib. veter. test. ad an. mundi* 2543. *&* 2544.

6 Symbolice; Franciscus Valesius. [k] Deus, inquit, Iubileum per 7. annorum septennia descripsit, apposite ad annos climatericos, id est scalares. Ij sunt, qui singulis septennijs clauduntur, puta annus 7. 14. 21. 28. 35. 42. sed maxime 49. & 63. eo quod 49. ex septem septennijs, 63. nouẽ septennijs conflettur.

tur. Hi anni vocantur scalares, eo quod in ijs vita hominis, quasi per scalæ gradus ascendat. Gradus enim sunt ipsa septennia, in quibus singulis insignes in quolibet ætatis, & vitæ mutationes accidunt, multosque morbo tentari, quin & mori contingit præsertim anno 49. & 63. quos proinde merito Augustus Cæsar ita formidabat. Iubileus ergo apposite constitutus est post septimum septenium, quasi post vitam vnius hominis, & generationis succedat nouum seculum, nouaque ætas, & generatio, in qua proinde omnia renouanda, atque ad auitas possessiones reducenda sint.

k, de sacra Philosophia cap. 21.

SECTIO XIV.

SYNOPSIS.

1. Prohibita in Anno Iubileo apud Hebræos. 2. Qui horti eo tempore cohi poterant.

LABORIOSA EO TEMPORE AGRICVLTVRÆ OPERA INTERMITTEBANTVR.

1 PRohibebatur. n. eo tempore agrorum satio, & vinearũ putatio, quæ terræ proscissioni respondet, ut autem omnis labor agricolarũ circa ægros, ita & vinitorum circa vineas interdicebatur; quibus respondent aliæ actiones duæ æque

interdictæ, messis, & vindemiæ. [a] *Agros non feres, & quæ sponte gignet humus, non metes;* vel vt explicatius habetur in Hebræo, *quod ex deciduo messis tuæ sponte nascitur, ne metas.* Hoc cedebat in vsum pauperum, qui nihil alioqui erant habituri, quod comederent. Vineis aggregabantur olıueta, vt pariter inculta illo anno dimitterentur. Eadem ratio videtur valuisse in pomarijs, & viridarijs, ceterisque arboribus pomiferis. Salianus. [c]

a, *Leuit. cap. 25.* b, *in Exodo.* c, *In Annalibus vet. test. an. mundi 2544. num. 686.*

2 Qui etiam tenet cum Abulense, Hortos suos ab vno quoque coli potuisse, qui intra ciuitates, domosque clausi erant; quod lex intelligat de arboribus, & agris, quorum fruges, fructusque in propatulo positi omnibus iumentis, pecoribusque, pauperibus, & peregrinis expositi sunt, vt ipsa legis verba significant; quod hortis sepibus, aut muris conclusis non conuenit, neque enim tenebantur muros eorum, sepesue demoliri, aut aditus diu, noctuque apertos relinquere, vt ipsæ quoque feræ ijs vescerentur. Quæcunque autem leguminum, aut frugum genera in campis seri, metique possunt, ea interdicta fuisse intelliguntur. At si forte aliquibus in locis omnes agri, vineæ, olıueta, viridaria, validis sepibus, murisue clausa essent, tunc apertus ad ea loca relinquendus fuisset aditus, ne fraus fieret legi. Caietanus quoque hic asserit, non prohiberi

hiberi hac lege, aut herbas in horto serere, aut putare arbores, aut colligere fructus earum.

SECTIO V.

SYNOPSIS.

1. Vsus Indulgentiarum non repugnat perfectioni. 2. Religioso maioris perfectionis est obseruare regulam, quam acquirere Indulgentiam. 3. An sit opus maioris Charitatis ad Deum, velle per purgatorium soluere, quam per Indulgentiam. 4. An Papa possit Indulgentiam concedere, non exigendo aliquod pium opus.

NVNC PROPRIO QVISQVE PARCENS LABORI, FRVCTVS, QVOS CHRISTI DOMINI, DEIPARÆ VIRGINIS, AC SANCTORVM MERITA PROTVLERVNT, VBERRIMOS PERCIPIT.

1 INdulgentiarum vsus non repugnat perfectioni, nam operari ad lucrandas Indulgentias est ex suo genere bonum; tum quia frui thesauro Christi modo ab ipso instituto sanctum est; tum quia opus, quod fit ad Indulgentias lucrandas, est ex suo genere bonum, & finis etiam bonus, ad tollendum scilicet impedimentum gloriæ, ergo, &c. Hinc infertur non posse dici opus tale imperfectum, nec etiam in genere satisfactionis, quia Indulgentiæ acquisitio non impedit, quominus homo

mo possit exhibere propriam satisfactionem, si voluerit. Filliucius [a]. Qui etiam asserit, & Religiosis conuenire lucrari Indulgentias, tum ob dicta, quia est opus per se bonum, & conueniens; tum quia etiam religiosi possunt indigere tali subsidio, & non repugnat eorum statui.

a, *num.*77.

2 Sed tamen precise loquendo maioris perfectionis est Religiosos obseruare Regulam, quam acquirere Indulgentias: per illam enim præmium essentiale vitæ æternæ meretur, quod præstat remissioni cuiuscunque pœnæ, etiam Purgatorij, D. Thom. [b] Vnde sequitur, quod quando indulgentias exquirendo regularis obseruantia dissoluitur, tunc indulgentiæ a Religiosis perquirendæ non sunt, quoniam minus bonum efficiunt, quam regularis obseruantia.

b, *in* 4. *dist.* 20. *art.* 5. *quæst.* 2.

3 Non est opus maioris charitatis ad Deum, velle in purgatorio soluere per rigorosam pœnam, quã ex alieno soluere per indulgentiam. Sotus citatus a Suarez [c] fatetur hoc de pœna damni, & impedimento visionis beatæ, quam maxime appetit charitas, sed de pœna sensus negat; At Suarez de vtraque pœna hoc affirmat, dicens, se non videre, quomodo ad charitatem pertineat, velle pati pęnas Purgatorij, aut per illas soluere potius, quam per quamcunque aliam satisfactionem propriam, vel alienam, quia in illis pœnis non crescit charitas, neque in illis est con-

conformitas ad Christum, neque pro alijs est aliqua vtilitas.

c, *Disput.49.sect.5.num.8.*

4 An vero Pontifex possit indulgentiam concedere, non exigendo aliquod pium opus, Suarez [d] partem affirmantem tuetur, dicens, non esse simpliciter, & absolute de necessitate indulgentiæ, vt concedatur sub conditione alicuius operis faciendi ad effectum indulgentiæ consequendum; varijs demonstrans exemplis posse interuenire causam ipsam absque nouo opere ex parte lucrantis indulgentiam, non tamen negat iniunctionem pij operis interdum esse necessariam ad indulgentiæ valorem.

d, *Disput.52.sect.4.num.3.*

SECTIO XVI.

SYNOPSIS.

1. *Ad quarum rerum possessionem redibat Iudæus in Anno Iubileo.* 2. *& 3. Cur bonorum regressum ad primum Dominum Deus sanxerit.* 4. *Solus Deus rerum omnium Dominus est.*

DISTRACTA TVNC PRÆDIA, ALIENIQVE IVRIS EFFECTA RECVPERABANTVR.

1 

Euit. a *Reuertetur homo ad possessionem suam*, puta ad agrum, domum, & similia bona immobilia; de his enim tantum est sermo; nam hæc & si millies essent vendita, tempore Iubilei redibāt ad

primum

dię, superbię, & murmuri daretur locus, sed quisque sua sorte ęque ac Iosue inter omnes diuisa, contenti, socialem, & amicam vitam agerent.

b, ad an.m. 2544.n.699.

3 Abulensis[c] scribit, hunc regressum bonorum ad primum dominum in Iubileo sanxisse Deum, ne tribus Israel confunderentur, sed per hæreditates, & hæreditarias successiones, in ditionibus, & possessionibus cuique Tribui assignatis, cognosceretur, ex qua quisque esset Tribu: idque propter Messiam, vt certo constaret Iudæis iuxta Iacobi vaticinium[d] Christum natum esse de Tribu Iuda. Addit denique huius rei hanc quoque causam Cornelius a lapide, vt scirent scilicet Iudæi se terræ suæ non tam dominium, quam vsum habere, Deumque sibi eius Dominium reseruasse, de quo infra[e]: *Terra quoque mea non vendetur in perpetuum, quia mea est, & vos aduenæ, & coloni mei estis.*

c, q. 11. in d.cap. Leuit. d, Gen. 49. 10. e, in d.cap.

4 Pulchre Philo[f] ex hoc loco docet solum Deum rerum omnium esse Dominum, & possessorem; hominem vero earum tantum habere vsumfructum ad vitam, non vero dominium. Quare in transitu tantum nobis hoc mũdo vtendum est, perinde ac canes bibunt e Nilo; in Ægypto enim canes, ne à crocodilis capiantur, in bibendo moras non trahunt, sed lambunt, & fugiunt, teste Plinio.[g] Vnde post fugã Mutinensem quærentibus quid ageret Antonius,

qui-

quidam respõdit, *quod canis in Aegypto bibit, & fugit*; ita nobis necessaria è mundo raptim sumenda sunt, ne à dæmone capiamur, reliqua pertranseunda sunt. Quidquid circa te iacet rerum, tamquã hospitalis loci sarcinas specta; transeundum est. Seneca. *b*

f, *lib. de Cherubin.* g, *lib. 8. cap. 11. h, lib. 17. Epist. 103.*

SECTIO XVII.

SYNOPSIS.

1. *Quas virtutes restituat Pœnitentia.* 2. *Quomodo pœnitentia sit causa sui ipsius.* 3. *opera nostra sunt in duplici differentia.* 4. *opera mortificata per peccatum reuiuiscunt.* 5. *Hæc veritas an sit de fide.* 6 *Reuiuiscentia meritorum est opus misericordiæ, & iustitiæ.* 7. *An hæc opera mortificata reuiuiscant ad aliquem gradum gloriæ essentialis.* 8 *Merita mortificata redeunt secundum primum valorem.* 9. *Quando tota gratia meritis mortificatis debita restituatur.* 10. *An homo semper ad maiorem gratiam resurgat.* 11. & 12. *Vtrum per pœnitentiam homo in pristinam dignitatem restituatur.* 13. *opera mortua priuatiue non reuiuiscunt.* 14. *Nec per absolutam Dei potentiam. Quid Syluius sentiat circa hanc quæstionem.* 15. & 16. *Error hæreticorum circa necessitatem operum bonorum.* 17. *Responsio ad loca Apostoli.* 18. *Fides iustum hominem non efficit sine operibus.* 19. *Lutherus, & Caluinus asserere non erubescunt, nihil peccare, nisi incredulitatem* 20. *Caluinus facit Deum omnis peccati auctorem.* 21. *Locus Dauidis declaratur, qui videtur necessitatem operum, & meritorum tollere.* 22. *Quid Lutherus contra bona opera in concione clamauerit.* 23. *Lutherus animæ immortalitatem negat.*

NVNC

NVNC VIRTVTES, DONA, ET MERITA, QVIBVS PECCANDO MERITO EXVIMVR, LIBERALI DEI MISERICORDIA RECIPIMVS.

1 POenitentia restituit tantum virtutes infusas, non acquisitas; nam hæ proprio studio parantur, & labore; & hinc est, quod non tollantur statim prauæ inclinationes, etiamsi sint habitus virtutum infusarum, quia hæc non afferunt maiorem facilitatem, ad hanc enim opus est exercitatione, & frequentatione actuum ad prauas affectiones tollendas, sic Filliucius:[a] qui etiam asserit id intelligēdum esse primo de pęnitentia, vt est Sacramentum, quæ remittendo peccata restituit gratiam, & virtutes; Secundo etiam de pęnitentia, prout est virtus, hęc enim cum remittat peccata, etiam infundit gratiam, cum qua virtutes etiam infunduntur.

a, *Tom. 1. tract. 6. cap. 6. nu. 135. & nu. 133.*

2 Sed difficultas est, quomodo pęnitentia sit causa sui ipsius, nam si ipsa est causa gratiæ, & ad gratiam sequuntur virtutes infusæ, inter quas etiam est pęnitentia infusa, ergo pęnitentia erit causa sui ipsius. Duobus modis id posse explicari docet idem Filliucius.[b] Primo secundum sententiam S. Thomæ, & Thomist. Pęnitentiam scilicet quoad actum, & in genere causæ materialis, & dispositiuæ esse causam

mæ est affirmatiua. Probatur. Illa opera sunt in acceptatione diuina, ita vt possint perducere hominem ad vitam ęternam, si auferatur peccatum, sed per pœnitentiam aufertur peccatum, ergo & opera mortificata recuperant efficaciam per pœnitentiam perducendi eum, qui facit ea, in vitam æternam, quod est ea reuiuiscere. Nugnus. c

c, in 3, D.Tho.q.89. in expos. art. 5.

5 Hęc veritas, quamuis non sit de fide, videtur tamen adeo certa, vt sine temeritate aliqua, & impietate negari non possit. Est recentiorum Theologorum, & ratio est, quia id negare esset contra communem Scholasticorum, contra probabilia loca scripturæ, & Trid. & denique quia hæc sententia fauet diuinę prouidentię, & pietati, & consentanea hominum fragilitati.

6 Simpliciter loquendo dicendum est, reuiuiscentiam meritorum esse opus vtriusque virtutis, & misericordię, & iustitię simul, iuxta illud d: *Vniuersæ viæ Domini misericordia, & veritas*, & quidem in particulari, si per reuiuiscentiam intelligatur sola ablatio impedimenti, sic dicendum est, esse opus misericordiæ, si sola retributio meritorum, vel acceptatio ad retributionem, quatenus durat pro eo statu, quo homo surrexit a peccato, sic dicendum est, esse opus iustitiæ præsupposita misericordia. Omnis enim Iustitia, quæ obligat Deum, supponit promissionem suam ex misericordia. Filliucius. e

d, Psal. 24. e, num. 46.

7 Merita omnia mortificata per peccatum reuiuiſcunt ad proprium, & ſpeciale præmium eſſentiale, hoc eſt ad aliquem gradum gloriæ, & beatitudinis eſſentialis, qui non daretur homini pænitenti niſi habuiſſet merita præcedentia Vnde merita priora viuificata coniuncta cum ſubſequentibus cõponunt maiorem cumulum meritorum, in quo ſunt tã merita operum præcedentium, quam ſubſequentium.

8 Omnia merita mortificata redeunt non ſecundum menſuram diſpoſitionis, aut charitatis, in qua quis reſurgit, ſed ſecundum primum valorem quomodocunque quis reſurgat, ſiue per intenſiorem contritionem, ſiue remiſſionem, ſiue in ſacramento, ſiue extra. Sic ex multis DD. Filliucius. *f* Ratio, quia contritio non concurrit ad hoc meritum tanquam cauſa per ſe illius, ſed tantum vt remouens prohibens, quod eſt peccatum; ſed hoc remouetur omnino per quamcunque contritionem, etiam per attritionem cum ſacramento; ergo per quamcunque contritionem reparantur omnia merita.

f, num.151.

9 Tota gratia debita meritis mortificatis reſtituitur ſtatim ipſo inſtanti, in quo talia merita viuificantur, ſiue diſpoſitio ſit intenſa, ſiue remiſſa, ſiue contritio, ſiue attritio cum ſacramento. Ratio eſt, quia merita reuiuiſcunt quoad totum hunc effectũ, & ille talis eſt, vt poſſit dari ſtatim; in quo differt a gloria, cuius non eſt viator capax in hac vita, ſicut eſt totius gratiæ. Neque ad hoc requiritur ſpecialis

lis dispositio, nam talis gradus non datur gratis, sed ex iustitia ob opera precedentia; ergo si datur, totus dabitur statim. Filliucius. g

g, *num.* 157.

10 Qui etiam h tenet, hominem semper resurgere ad maiorem gratiam. Ratio, quia in primis semper accipit nouam gratiam proportionatam suæ dispositioni, sicut in sacramento, siue extra, & deinde recipit totum cumulum gratiæ, quam antea habebat; ergo semper resurgit cum maiori gratia. Hinc est, vt etiam, qui resurgit a peccato, habiturus sit maius præmium essentiale meritorum, quam habuisset ante peccatum; nam & habebit illud, quod correspondet contritioni, & præterea integrum præmium correspondens prioribus meritis.

h, *num. sequenti.*

11 An vero per pœnitentiam restituatur homo in pristinam dignitatem, Respondendum cum Syluio i duplicem esse dignitatem, quo ad Deum, & quo ad Ecclesiam; Illa vel est principalis, vel secundaria. Principalis recuperatur per penitentiam, non secundaria; hæc enim est innocentia; nunquam autem fieri potest, vt qui per peccatum cecidit, eoque amisit innocentiam, illam non amiserit; quia hoc implicat contradictionem, & ad præteritum non est potentia. Principalis autem recuperatur, quia hec est status gratiæ, & filiorum Dei, qui habetur per iustificationem.

i, *in 3. p. D. Thom. q. 89. art. 3.*

Quod

12 Quod attinet ad dignitatem Ecclesiasticam, ea, quæ est ordinis, non amittitur, eius tamen vsus, seu facultas vtendi ordine, potest amitti, sicut & potestas iurisdictionis, nõ quidem per quodlibet peccatum mortale, sed tum per ea, quæ tali prouisione digna iudicauit Ecclesia, tum per sententiam Iudicis, tum per irregularitatem, & quia restitutio huiusmodi dignitatis non habet necessariam connexionem cum vera pœnitentia, ideo non semper restituitur per illam, sed prout Ecclesiæ, vel Prælatis eius visum fuerit.

13 De operibus vero mortuis priuatiue dicẽdum, ea non reuiuiscere, nec fieri meritoria vitæ æternę per subsequentem pęnitentiam, k & est communis. Ratio, quia cum nunquam fuerint viua, & transierunt, nec possint etiam eadem numero redire, non potest fieri, vt iam fiant ex spiritu Dei, & reuiuiscant. Nihil ergo prosunt ad vitam æternam promerendam, at multum vero ad alios fines, vt primo ad obtinenda bona temporalia, secundo ad humiliationem; tertio ad vitanda maiora tormenta in inferno.

k, S.Thom.3.p.q.89.art.6.

14 Nugnus dicit [l] nec per absolutam Dei potentiam hęc opera mortua viuificari posse, quia implicat contradictionem, quod hęc viuificentur: legatur ipse Nugnus. Syluius [m] scribit, quod illa opera, quæ a pœnitentibus propter spem vitæ ęternæ fiunt ex gratia Dei, non quidem adhuc inhabitantis, sed

eos

eos prçuenientis, & mouentis; etsi non sint viua simpliciter, quia non procedunt a principio vitæ habituali; non esse tamen omnino mortua, cum fiant ab homine, qui viuificari incipit per operationem Dei dantis ei vitæ nouæ propositum, & inchoationem. Videndus Iacobus de Valentia. [n]

l, *in exposit.3.par.D.Thom.quæst.99. art.6.* m, *loco citato,* n, *in Psal.50.*

15 Aliqui Hçretici, excludentes omnia bona opera, dicunt, solum ob merita Domini nostri, & Saluatoris Christi nos censeri iustos coram Deo, & credunt probare hanc propositionem ex verbo Dei, multa loca ostentantes sacrç scripturç; sed nullus est, qui dicat, aut saltem obscure insinuet, quod propositio habet, solum ob merita Christi, &c. Alij asserunt, solum per fidem nos censeri iustos coram Deo. Prima propositio excludebat omnia opera, & fidem præter meritum Christi. Hæc ita ponit fidem, vt excludat merita Christi. Omnia licent his impostoribus.

16 Hanc secundam propositionem sic ostendunt, si Deo placet ex verbo Dei. *Tantummodo crede,* [o] sed quid est impostorem agere, si hoc non est? Petit ibi Archisynagogus seruari filiã suam, quæ in extremis erat. Antequã ad eius domum Christus perueniat, nuntiant domestici, puellam mortuam; proinde petere desinat eius sanitatem. Christus contra, Immo, inquit, ne time, Tantummodo crede, & scito me nõ modo ægrotæ sanitatem, sed & mortuæ

pos-

posse reddere vitam. Quod & facit. Iam quæ ratio est ita argumentandi. Christus Archisynagogo filiæ vitam promisit, modo crederet, ergo solum per fidem censemur iusti coram Deo. Et tamen hoc est sumere probationes ex puro Dei verbo.

o, *Marc.5.36.*

17 Ad loca Apostoli, Nempe, *ei qui non operatur, credenti autem in eum, qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam* p, & alia q respondendũ in illis excludi opera legis, non vtique moralis, & christianæ, sed cęrimonialis, & typicę, quæ, Christo incarnato, & passo, cessant. Et hæc responsio a Catholicis millies data est, & ex scriptura, fideliumq; consensu probata, nec vnquam ab hæreticis refutata. Si hæc non placet, ostendant suis seductis esse improbam, sed ostendant ex verbo Dei, ad quam conditionem se obligarunt, & respondeant simul, quidnam dicant ad illud Iacobi. r *Videtis, quoniam ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantum*; & ad illud Christi. ſ *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Sic Ioan. Roberti. t

p, *Rom.*4.5.q, *Gal.*2.16.*Phil.*3.8.9.r, 2.24. ſ, *Luc.*7.47. t, *In suo vere aureo libello Luxemburgi impresso* 1619.

18 Multa, & clarissima diuinæ paginę testimonia profert Cotonius u veterum etiam Patrum auctoritatem addendo, ad probandum, quod fides iustum efficere hominem sine operibus nequeat, pręcipue contra Lutherum, qui Christiani hominis opes in

sola

ſola fide reponit, aſſerens vnum modo incredulitatis peccatum in mundo reperiri.

u, *in ſua Inſtit. Cath. lib. 3. cap. 9.*

19 At innumera quidem vitia reprehenduntur in ſacris litteris. ^x *Fornicatio, immunditia, luxuria, idolorum ſeruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, commeſſationes*, & his ſimilia, *quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur*. Sed Lutherus, vti vidimus, quem etiam Caluinus ſequutus eſt, toti huic lernæ conceſſa venia, publicum vulgat edictum, Nihil peccat niſi incredulitas, adeo, vt ſi cum fide fieri poſſet adulterium, peccatum non eſſet.

x, *Kal. 5. 19.*

20 Sed (quod dicere horret animus) facit etiam Deum Caluinus ^y omnis peccati auctorem; quæ eſt non ſolum in ſe ſumma impietas, & horrenda blaſphemia, ſed etiam homines ad ſummam impietatẽ adducit, ac vltimam deſperationem; de qua re, vt & de alijs Caluiniſtarum erroribus, & blaſphemijs plura inuenies apud Becanum in Priuilegijs Caluiniſtarum, preſertim priuilegio 9. quod eſt tale: Caluiniſtarum peccata, quantumuis enormia apud Deum illis pro peccatis non imputari. Sic Thomas Vitus. ^z

y, *lib. 1. Inſtitut. cap. 8.* z, *In ſuo laqueo Lutherano contrito.*

21 Affertur & locus Dauidis ad probandum, Beatitudinem, & cetera dona tribui ſpei, & fiduciæ in Chriſto, quod profecto nihil aliud videtur eſſe, quã

S neceſ-

necessitatem operum, ac meritorum negare. Locus est in Psalmo secundo, dum Profeta in fine eiusdem Psalmi tali vtitur Epiphonema, per quod solet suos Psalmos concludere, loco Epilogi. *Cum exarserit in breui ira eius, beati omnes, qui confidunt in eo*. Sed dicendum cum Genebrardo hic, Dauid salutem spei tribuere, quoniam ei res erat cum fidelibus, quibus iam spes maxime est necessaria in his mundi casibus ad acquirendam beatitudinem, & ceteras promissiones. Sic Paulus fidem vrget, quia verba faciebat apud infideles, vel etiam fideles recens conuersos, qui erant alliciendi ad fidem, tanquam ceterarum diuinarum virtutũ ianuam. Interim quoniam vtrique eadem attribuuntur, argumentum est fidem nullam, neque beare, neque sine spe, & charitate tanta bona sibi applicare. Item spem esse necessariam, quæ nec fide, nec charitate orbetur. Denique tria hæc esse συναίτια, ac ad eundem beatitudinis, iustitiæ, gratiæ effectum concurrere; verum nunc vnam, nunc alteram vrgeri pro instituti ratione. De Caietano dicendum, doctissimi, & pijssimi huius viri scriptis ab hæretico quopiam inserta esse, quæ fauēt sententiæ asserenti, beatitudinem nihil laboris exigere, nisi spem, seu fiduciam in Christo; quod notat Lorinus in explicatione huius loci. Idem euenisse multis alijs Doctoribus, & etiam sanctissimis Patribus testantur Auctores grauissimi.

22 Northusius *a* testatur Lutherum in concione quadam aduersum S. Iacobum sic clamasse: Vultis

scire,

ſcire, ò Thuringi, Miſnij, Saxones, & reliqui mei ſectatores, quoniam opera etiam cum fide otioſa ſunt? Anguſta, & arcta eſt porta, quæ ducit ad vitam; lata autem, & ſpatioſa, qua itur ad perditionem: ſi perire cupitis, onerate vos magnis bonorum operum ſaccis; ad ſalutem ſane, & vitam bonis operibus, velut aſini clitellis, & ſarcinis onuſti, haud penetrabitis. Videtis ergo, quoniam ex nullis operibus iuſtificatur homo, ſed ex fide tantum. Hoc ille; compendioſa prorſus via, qua ſola incredulitas damnat, & ſola credulitas ſaluat.

a, lib. 2. de Eccleſia cap. 3.

23 Sed quid mirum, quod Lutherus damnat bona opera, quæ ducunt ad beatitudinem, cum de eius ſubiecto, quod eſt anima, horribilem eructet blaſphemiam? ſubſanat enim Catholicos, quod credunt animam eſſe immortalem, & ait, hunc eſſe fidei articulum, quem Papa condidit, & qui deſcriptus eſt in ſterquilinio Decretorum. Proh Deum immortalem? Vnde primum dolere, vnde gemere, vnde conqueri, vnde ordiar vociferari? Tanto enim maiore me ſentio dolore, atque ægritudine opprimi, quanto immanius ab impijſſimo homine in genus humanum, in cœlum, in naturam vniuerſam, in omnipotentem Deum, flagitium intelligo deſignatum. Quo enim poteſtatem, & bonitatem tuam coarctat, ò Deus, hoc ipſum os? Creaſſes tu hominem ad imaginem, & ſimilitudinem tuam, & infudiſſes illi ſpiraculum vitæ, & tamen dediſſes illi nihil plus quam

iumenta, animam nempe intereuntem cum corpore? Flagellares tu in hoc mundo iustam, & dares pacem reprobo, si anima iusti extincta nullam retributionem expectat, & anima improbi mortua castigationem nullam post hanc vitam formidat? efformasses tu cœlos, opera manuum tuarum; aperuisses tu inferni abyssos, nisi animæ essent sempiternę? Cur tu bone Iesu, factus homo esses? Cur sanctissimum tuum pro nobis sudorem, & sanguinem effudisses? Cur tanto cum labore ærumnosum vitæ tuę agonem apud nos consumasses, nisi animas nostras ex hoc miseriarum lacu eductas, velles tecum viuere in æternum? Quid refert, si hoc, vel illud credamus, nisi credamus animã esse immortalem? Quid opus est odisse vitia, nisi etiam credamus animam esse immortalem? Sic Northusius.[b]

b, *cap.4.*

SECTIO IIXX.

SYNOPSIS.

1. Tyrræus Poeta de calamitatibus exilij. 2. Patria antecellit auro, & opibus. 3. Exulis cura sepulcri. 4. & 5. Defenditur exilium 6. An exules liberarentur in Anno Iubilei. 7. Pontifex in Bulla ait, sed vt Doctor particularis. 8. De Vrbibus refugij. 9. Fuerunt, & apud Gentes loca refugij. 10. Apud Christianos asyla, Altaria, & Ecclesiæ. 11. Personæ asyli priuilegio gaudentes. 12. Quæ genera hominum excepta ab hoc priuilegio. 13. Exemplum cuiusdam Gothi, Roma capta ab Alarico. 14. 15. & 16. Cur in refugij vrbibus manebat homicida vsque ad mortem Pontificis.

EXV-

EXVLES TVNC PATRIAM REPETEBANT.

1 TYrræus Poeta in ſuo carmine de virtute, pluribus ad hunc modum exulis calamitates, ærumnaſque proſequutus eſt.

Præclarum eſt, in prima acie ſi occidat
Vir bonus, pro patria ſua pugnans.
At ſi quis vrbe ſua, pinguibuſque armis relictis
Mendicare cogitur, hoc omnium eſt miſerrimum.
Cum cara matre vagans, & ſene parente,
Cumque paruulis filijs, & adoleſcentula vxore.
Inuiſus namque erit ad quoſcunque peruenerit,
Indigentia victus, & odioſa paupertate.
Genus ſuum infamat, & formam decoram turpat;
Omnis generis anſietas, & mala eum ſequuntur.
Tandem ſic errantem hominem nulla decori cura
Afficit, nec pudor vllus impoſterum eſt ei.

2 Multo enim auro, & opibus antecellit patria ad inhabitandum prudenti viro. Nam quod naturæ cognatum eſt, & familiare, neſcia quam ſui dulcedinem mortalibus in vita præſtat. Hæc ille grauis Euripides. Hæc illa nos primum terra naſcentes excepit, fouit, educauit, & ſi quæ aliunde nobis neceſſaria eſſent, quibus parari poſſent, ſuppeditauit; quamobrem vitæ huius vſuram eidem acceptam referre debemus. Nec mirum, ſi quæ ab illa ſunt, ea nobis extera, tametſi eiuſdem generis, gratia,

atque

atque vtilitate superare videantur, quippe illis a teneris vnguiculis assueuimus. Vsus porro, & consuetudo complura alioqui molesta futura, grata efficiunt. Siquidem natura rebus sensim se accommodat; seque illis imbuit. In patria primum viuere didicimus. Inde primum solem, diemque spectauimus, illic primam auram hausimus, & quæ deinceps ad tuendam vitam necessario adhibentur, illa nobiscum communicauit; quæ si mutentur, non raro valetudinem labefactant. Testatur hoc exul Ouidius. [a]

Nec cælum patior, nec aquis assueuimus istis,
Terraq; nescio quo non placet ista modo.

Et rursum. [b]

Nec cælum, nec aquæ faciunt, nec terra, nec auræ;
Hei mihi perpetuus corpora languor habet.
Seu vitiant artus ægræ contagia mentis,
Siue mei causa est in regione mali.

a, *lib.3.Trist.Eleg.15.* b, *Eleg.8.*

3 Tetigit etiam exules cura sepulchri; Iudæos autem omnium maxime, idque pro magno beneficio habuerunt, si paternis tumulis inferrentur; pro magno supplicio ijsdem priuari. Quamobrem iussit Iacob, iussit & Ioseph asportari ossa sua ex Ægypto, & maiorum sepulchro in patria condi. Ouidius [c], vxorem multis orat.

Ossa tamen facito parua referantur in vrna,
Sic ego non etiam mortuus exul ero.

c, *Eleg.3.*

Sed

4 Sed exilium defendit cum Musonio Rangolius d dicens, quod alterum horum esse necesse sit, vt vel iure, vel iniuria exulemus, quod si iure, quomodo decet, & conuenit, vt, quod iustum est, moleste feramus? sin iniuria, id non nostrum, sed illorum, qui nos expulerint, malum est. Quippe per Iouem, inquit Musonius, iniuriam facere, quod in ipsis, res est dijs (Ethnicus loquitur) omnium maxime exosa, impijssimaque; iniuriam vero pati, quod in nos cecidit, tum apud Deos, tum apud homines æquos, auxilium, & curam, non odium commereri existimatur.

d, *in lib. Reg. Tom. 2. cap. 26. versu 20.*

5 Sed & Stilpo a Talete dixisse fertur. Quibus tandem, & qualibus bonis priuat exilium, animine, an corporis, an fortunæ? An iudicandi, agendique dexteritatem, aut felicitatem aufert? haud sane. An fortitudine, iustitia, aut alia quapiam virtute priuat? Ne id quidem, sed nec vllo fraudat corporis bono. An non æque licet in aliena terra bene valere, viribus pollere, acutum cernere, & audire acute, interdum vero multo magis, quam si in sua terra quis maneat? fortunæ vero bonis exilium neminen exuit. An non visum erit multos tum demum, cum exules sunt facti, potitos fortunæ bonis splendidioribus? An non Phænix expulsus terra Dolopum ab Amyntore in Thessaliam exulatum concedit?

Ad

Ad Peleum deueni, & me opulentum reddidit.
Multum præterea dedit mihi populum. e

e, *Homer.Iliad.1.*

6 An vero exules liberarentur in anno Iubilei, Nicolaus, & alij aiunt; Tostatus vero f negat, dicens, locum Leuitici, *Reuertetur homo ad possessionem suam, & vnusquisque rediet ad familiam pristinam*, non posse intelligi de exulibus, quia exules nunquam perdiderunt familiam propter esse exules, sed perdiderunt terram. Et postea si intelligeretur de exulibus, aut intelligeretur de illis, qui erant exules voluntarij, scilicet, qui confugerant in aliquam ciuitatem refugij propter aliquod homicidiũ casuale, quod patrauerant; aut intelligeretur de aliquibus alijs exulibus. Non potest autem dici, quod intelligatur de primis, quia illi non redibant ad terram suam in Iubileo; sed solum quando moreretur summus sacerdos, in cuius tēpore factum fuit homicidium, siue moreretur ante Iubileum, siue post, vt patet ex scriptura: g si autem intelligatur de alijs exulibus, non potest stare, quoniã nulli alij exules erant. Non enim legitur in veteri testamēto, quod aliquis exulare possit, nec etiam aliqua talis pœna erat. Legatur hic Tostatus.

f, *Leuit.cap.25.quæst.13.* g, *Num.25.*

7 Sed Pontifex in Bulla oppositam sententiam amplectitur, vt patet. Attamen ipse Pontifex, vt Doctor particularis solum exponit hic obiter opinionē suam. Nam quod ille intendit docere in Bulla Iubilei

lei non est de liberatione exulum in anno Iubileo, sed de sua potestate indicendi, & promulgandi ipsum annum Iubileum. Simile quid legimus de Nicolao I. quem nonnulli reprehendunt, quod, vt refert Bellarminus, [h] docuerit Baptismum in nomine Christi collatum, sine expressione trium personarum esse ratum. Ipsius namque intentio non erat docere de forma baptismi [i], sed tantum de ministro, de quo interrogatus fuerat. Itaque posteaquam respõderat, & definierat, Baptismum esse ratum, etiamsi a Iudęo, vel pagano detur, quæ erat præcipua quæstio, addit obiter Baptismum esse ratum, siue in nominę trium personarum, siue in nomine solius Christi detur. In quo sequutus est Ambrosij sentẽtiam, [k] vt ipse dicit. Quæ sententia falsa quidem est meo iuditio, inquit Bellarminus, tamen non hæretica. Nam non inuenitur vlla certa definitio Ecclesiæ de hac re, & patrum sententiæ inueniuntur etiam variæ.

h, *de Rom. Pont. lib. 4. cap. 12.* i, *in Can. a quodam Iudęo, de consecrat. dist. 4.* k, *lib. 5. de Spiritu Sancto.*

8 Refugij, seu confugij vrbes vocabãtur, ad quas qui fugiebant, erãt ab impendente aliquo discrimine tuti, ac securi. Apud Israelitas erant sex Vrbes refugij, tres citra Iordanẽ, Cedes in Nepthali, Sichem in Ephraim, Hebron in Iuda: Tres alies trans Iordanem, Bosor in Ruben, Ramoth in Galaad, Gaulon in Manasse. Non omnibus, qui has in Vrbes se se recepissent, tutum, ac securum erat perfugiũ, sed ijs tantummodo, quos tutos ibi iussisset Dominus.

T Fue-

9 Fuerunt etiam apud Gentes huiusmodi loca refugij, vbi nefas erat aliquem à quoquã rapi, spoliari ac violari. Quẽadmodum.n.naturalia rei cuiusq; loca illam, Aristotele teste, vi quadam naturali conseruant, sic asyla eos, qui ad ea confugiunt, morali vi quadam, ac iure, quod τῆς ἀσυλίας dicitur. Ouidius. [l]

Romulus vt saxo lucum circundedit alto,
Quislibet huc, inquit, confuge, tutus eris.

l, Lib. 3. Fastorum.

10 Apud Christianos vero etiam sunt asyla, inquit Serarius [m], & inter ea principem locum tenent Sacrosancta Altaria, & Ecclesiæ diuino cultui dedicatæ, ac cõsecratæ, in quib. diuina peraguntur officia, vt patet ex toto pœnè Decretalium titulo de immunitatibus ecclesiarũ [n], ex multis Cõcilijs, [o] ex Chrysostomi oratione in Eutropium, de quo Suidas, & Nicephorus [p], ex D. Augustino, [q] ex Tarasij Patriarchæ historia, ex Victore Africano [r], denique ex ciuilis iuris titulo. [s] Proximo loco sunt Ecclesiæ diuino quidem cultui dicatę, & in quibus diuina iam peragantur mysteria, nondum tamen cõsecratæ [t]. Adiungunt è iuris canonici prudentibus aliqui, Ecclesiam, quæ diuino quidem cultui dicata, & Episcopi annutu constructa, sed neque dum consecrata, neque diuinorum mysteriorum operatione vlla initiata. Quarto loco sunt Cęmiteria, & erant olim spacia circa matricem Ecclesiam ad 40. passus descripta. [u] Quinto adiungit Archidiaconus, [x] & alij hospi

talia,

talia, quæ Episcopi auctoritate fuerint excitata. Sexto idem Archidiaconus [y] existimat sacrosanctã Eucharistiam, cum a Sacerdote, vel ad ægrum, vel in processione quapiam defertur, illi etiam, qui ad eam extra ecclesiam confugerit, asylum, & immunitatem tribuere. Si altaris asylum erat, inquit Gregorius Tholosas [z], multo magis & corporis Domini erit. Sanctificatur enim inde altare, & maius, digniusq; est, quod sanctificat, quam quod sanctum factum est. Et apud Ethnicos, si quis ad verberandum duceretur, isque ad pedes fluminis Dialis supplex procubuisset, eo die verberari piaculum erat, vti scribit Gellius [a]. Quin vero si ad mortem duceretur quis, & ei forte obuiam fieret vestalis virgo, supplicium euadebat. Septimo Cęnobia, religiosæ omnes, ac Ecclesiasticæ, præsertim vero alicubi Metropolitanorum, aut Cathedralium Canonicorum domus. Sed vt in asylorum istorum primo concors omnium sensus est, sic in alijs dissensus, ac disputatio nonnulla. Legantur Doctores citati, Germonius [b] & Suarez. [c]

m, *In Iosſ.cap.20.quæst.8.* n, *Cap.cum Ecclesia, cap.inter alia, ex 17.q.4.è lib.5.capitulari* o, *Mogunt.1.cap.39.Tributensi cap.20.Hilerdensi cap.8.Toletano 12.in q.illa Citatis* p, *lib.13.cap.14.* q, *epist. 187.lib.1.de ciuit.cap.1.3.& 4.* r, *lib.2.de persec.9.Afric.* s, *maxime leg.pateant lib.1.C.tit.12.* t, *c.Ecclesia. de immunit. Eccl.* u, *c.sicut antiquitus 17.quæst.4.* x, *in Canone, definiuit eadem quæst.4.* y, *in cap. quæsitum, quæst.2.* z, *lib.33.Syntag.cap.21.* a, *lib.10.c.15.* b, *lib.1. de Sacrorum immunitatibus, c.15.lib.3.c.16.& alibi* c, *Tom.1. de Relig.lib.3.cap.8.*

11 Personæ, quæ gaudent hoc priuilegio, sunt om-

nes fideles baptizati, etiam serui, etiam excommunicati, & interdicti: Infideles item, dummodo petãt baptismum. Hęretici aũt gaudent immunitate quoad alia crimina, non autem si confugiant ob crimen hæresis. De clericis est controuersia, probabile est eos non gaudere, quia præsumuntur semper debere versari in Ecclesia, sicut Religiosi in suis Monasterijs; atque adeo si non possent capi a suis prælatis in ijs locis, numquam fere capi possent. Qui plura desiderat, adeat Suarez. [d]

d, *Loco cit. cap.* 10.

12 Octo genera hominum excepta sunt ab hoc priuilegio. [e] Primo publici latrones. Secundo viarum grassatores. Tertio depopulatores agrorum. Quarto qui homicidia, & mutilationes in ipsis Ecclesijs perpetrauerint, vel cæmiterijs. Quinto qui proditorie proximum occiderint. Sexto Assassini. Septimo rei Læsæ Maiestatis. Octauo insurgentes in personam Principis. [e]

e, *In const. Gregorij XIV.*

13 Alaricus, & Gothi capta Roma pepercerunt Romanis fugientibus ad Ecclesias; quinimo cum Gothus quidam sacra vasa apud Virginem consecrata deprehendisset, illaque ei diceret. Hæc vasa mihi de Sacrario B. Petri sunt commissa. Tange, si audes; ego Sacra non audeo tibi dare: Gothus ad nomen Apostoli perterritus, hoc Regi nunciauit. Is statim reportari omnia ad Sacrarium Sancti Petri curauit, dicens; cum Romanis se bellum gere-

re,

re, non cum Apostolo Iesu Christi. Ita Rodericus Tolet f

f, *lib.2.Hispan.c.5.*

14 Cur postea in refugij vrbibus manebat homicida vsque ad mortem Pontificis, varias causas dāt Rabbini, quas recenset Ferarius, g quibus omissis Cornelius a Lapide h sic dicit. Prima causa fuit, vt interim longitudine temporis, ira, & acerbitas cognatorum mitigetur, ne vbi eum viderint, occidant, sed mortuo iam Pontifice, cogitent iram quoque mori, & extingui debere, eo quod mortuus sit summus sacerdos, & sacrorum, expiationumque princeps, quo viuente delictum est admissum; ac proinde in eius morte, & luctu sepeliendas esse priuatas omnes noxas, & iniurias; ita Teodor. i Secunda quia Pontifex erat quasi patriæ parens, vt eo viuo vigeret respublica, eo mortuo etiam ætati illi, siue seculo finis imponi videbatur: ita Magalianus. k Tertia quia Pontifex personam repræsentabat Dei in quem peccarat homicida, ac proinde homicidiū in Pontificis iniuriam redundabat, vt merito eo viuente recludi deberet homicida, ne inter homines libere caput attolleret, dum viuit ille, qui in terris Dei interpres cēsetur, & diuinam maiestatem quasi adumbrat, contuens scilicet è summo sacerdotalis dignitatis fastigio, quæ pie, aut impie geruntur. Et hoc innuit Tò, *qui vnctus est oleo sancto* q.d. lateat homicida, dum viuit Pontifex, in quo Dei maiestas violata est per illiusmodi facinus, quod interea dum

ille

ille pro Deo summo fungebatur sacerdotio, patratum est. Magalianus, & Masius. *l*

g, *loco cit. q.* 5. h, *loco cit.* i, *q.* 51. k, *Iof.* 20. l, *supra c.* 20. *Iof.*

15 Quarta, datũ hoc fuit Pontificis noui, qui mortuo succedebat, gratiæ, vt sicut ad Deum hominibus propitiandum nouus accedit; ita etiam nouum beneficium, & salutem miseris reis, qui ea digniores videntur, præstet. Quinta ostendere, inquit Oleaster, voluit Deus, quantum abhorrere debeat sacerdos homicidia, etiam inuoluntaria. Rursum, Pontifex erat Dei Vicarius, agebatque partes iustitiæ diuinæ, qua Deus vindictam ab hominibus expetit; & eo mortuo videbatur pars aduersa extincta, quæ vltionem pro Deo peteret, & ideo tunc reus omnino absoluebatur. Sexta, & potissima causa fuit, vt significaretur vera libertas, quæ per Pontificis Christi mortem homicidis, idest peccatoribus omnibus, parta est.

16 Allegorice, Cyrill. *m* homicidæ, inquit, erat genus humanum, & homines peccatores ante Christi aduentum; qui peccatis occiderant animas suas, non sponte, sed illecti, & impulsi a concupiscentia. Hi pœnitentes fugerunt, & abdiderunt se in vrbes refugij, id est in limbo patrum vsque ad mortem Pontificis, id est Christi, qui eorum vincula laxauit, eosque è Limbo, & Inferno eduxit, ita & S. Greg. *n*

m, *lib.* 8. *de Adoratione, pag.* 165. n, *homil.* 6. *in Eccl.*

S E-

SECTIO XIX.

SYNOPSIS.

1. Cur Deus emiserit Adam de Paradiso voluptatis. 2. Quanto tempore perstiterint primi parentes in Paradiso terrestri. 3. Vbi fuerit habitatio Adæ post peccatum. 4. Quid, si Adam genuisset aliquem in Paradiso. 5. Maria Virgo alter Paradisus. 6. An, si Adam non peccaßet, Verbum fieret homo. 7. Non fuit conueniens Verbum statim in principio mundi incarnari. 8. Incarnatio an simpliciter fuerit necessaria. 9. An Dæmones post peccatum potuerint agere pœnitentiam.

NVNC AD COELVM, VNDE EXVLANTES IN HAC LACHRIMARVM VALLE MISERE PERERRAMVS, ITER NOBIS PRÆMONSTRATVR, ET APERITVR.

1 
T emisit eum, Adamum ſcilicet, *Dominus de Paradiſo voluptatis, vt operaretur terram, de qua ſumptus eſt.* a Eucherius videtur exiſtimare Deum occurriſſe per iſtam ablegationem a Paradiſo ærumnis, ac doloribus vitæ, in longiſſimum tempus, aut in ipſam æternitatem duraturæ. *Si enim*, inquit, *in Paradiſo manerent, immortales quidem forent, de ligno vitæ comedentes, ſed illis tamen miſerijs omnibus obnoxij, quas ob peccati pœnam ex Dei ſententia erant paſſuri; atque adeo infelicius tunc viuerent, quam nunc moriuntur. Terminus enim eſt laborum, & ærumnarum mors*. Sic Eucher. Exules itaque

que sunt ab illius esu ad tempus effecti, vt per congruam pœnitentiæ satisfactionem rursus illuc, vnde emissi fuerant, reuerterentur.

a, *Gen. cap. 3.*

2 Percelebris est concertatio inter Doctores, quanto tempore perstiterint primi parentes in Paradiso terrestri. Res plane difficilis explicatu; quis enim vbi nulla mētio fit a sacro scriptore, pro certo quiddam audeat affirmare: soli coniecturæ locus est in præsentia. Conijciunt quidam vno, eodemque die creatum Adamum, translatum in Paradisum, cohabitasse cum muliere socia, & adiutrice, animantibus nomina dedisse, peccasse, damnatum in iuditio, expulsum denique fuisse. Ac proinde ad enumerādas horas istius diei, quo paradisum incoluerunt, procedunt. Contra vero in alterum deflectentes extremum nonnulli constituunt quadraginta dies; nec desunt, qui vltra dierum metas, ad triginta, & tres annos expatiantur. Quid vero certum videatur, nihil omnino subest, vt scribit Fernandius, *b* qui de coniecturis, quænam minus abhorreat, & exorbitet, sic iudicat, sanius nimirum procedere, qui dicunt plus vno die versatos fuisse in Paradiso, cuius amænitatem aliquandiù contemplati fructum vitæ, aliosque degustarunt. Addit idem Fernandius, per octo dies in Paradiso primos parentes permansisse, ita vt feria sexta sequentis hebdomadę peccarint, expulsique fuerint.

b, *in suis Com. moral. super Gen.*

D. Chry-

3 D.Chryſoſtomus *c* iuxta ſeptuaginta tenens habitationem Adæ fuiſſe iuxta paradiſum, ſic inquit, *Sed & contra paradiſum illum habitare faciebat, vt iugem dolorem haberet, quotidie cogitans vnde exciderit, & in quem ſtatum ſe coniecerit; & quamuis grauiſſimi doloris ſpectaculum erat, eſt tamen magnæ vtilitatis occaſio, ut dolens continuo aſpectu, munitior, & cautior eſſet in alijs, ne iterum in eadem peccata incideret.* Hæc, & alia in eandem ſententiam pluribus Chryſoſtomus, quem ſequitur Theodoretus, & Procopius, [d] qui addit Deum deliquenti propinquum indixiſſe exilium, vt ſpem faceret reuocationis, & reſtitutionis in integrum.

c, *Hom.* 18. d, *q.* 4. *in Gen.*

4 Plurima ſunt, quæ hic diſcuti poſſent, vt, an ſi Adamus aliquem genuiſſet in Paradiſo, priuſquam peccaret, filius ille peccatum originis contracturus fuiſſet; an ſi tantum concepiſſet Eua in ſtatu innocentiæ, nec tamen genuiſſet, niſi poſt peccatum, infans in lucem editus illo peccato inficeretur; quibus ad Theologos remiſſis; ſolum quod ſentit breuiter aperit Merſenius *e*, nimirum infantem ante peccatum ex vtero egreſſum nullo originis peccato pollutum iri, tametſi pater paullo poſt fructum vetitum comederet, immo nec illum, qui tantum in illo iuſtitiæ ſtatu conceptus fuiſſet, quamuis non emitteretur in lucẽ, niſi poſt peccatum, dummodo anima fuiſſet informatus, atq; adeo homo ante peccatum, quamquam hæc omnia ex diuino pacto dependent;

V ſi enim

si enim Deus illos tantum inuolui voluerit, & peccato teneri, qui post peccatum animam receperunt, nullus in dubium reuocare debet, quæ dicta sunt, si vero omnes alios, secus dicendum est.

e, *in quæst. & com. in cap. 3. Gen. art. 24.*

5 Ergo, ò vos nunc infelices, qui a ligno vitæ procul arcemini, inquit Fernandius, qui a Paradiso voluptatis ablegamini; adueniet felicissimum tẽpus desiderijs vestris, & perennibus ad Deum precationibus illud accersite; Cum venerit plenitudo temporis, non modo noua fient omnia, sed longe maior erit gloria vestra, quam illa fuerit, quam amisistis. Alter Paradisus isto & sanctior, & felicior existet Virgo Dei mater. In hoc tam nouo, tamque admirabili Paradiso non modo ad Dei gratiã exul reducetur homo, sed in vnitate personæ Deus homo fiet.

6 An vero si Adam non peccasset, Verbum fieret homo, dicendum in hac controuersia duplicem esse oppositam sententiam. Prima asserit, quod & si Adamus nõ peccasset, Verbum fieret Homo, quam sequuntur multi graues Doctores, Alensis,[f] Albertus Magnus,[g] D. Bonauentura[h] dicit hanc esse subtiliorem opinionem, quam oppositam; Gabriel[i] Scotus.[k] Secunda opinio contrariam tuetur sententiam, asserit enim quod peccato non existente, Verbum non fieret homo, hanc defendit D. Thom.[l] legatur Io. de Rada[m] qui exponit, & explanat vtramque opinionem.

f, *3. p. quæst. 2. memb. 13.* g, *in 3. dist. 20. art. 4.* h, *dist. 20.* i, *dist. 2.*

k, *in*

k, in 3.dist.7.quæst.3. l, 3.p.quæst.1.art.3.m, 3.p.Controu.Theol.controu.5.art.3.

7 Conuenientissimum erat, vt Verbum non statim in principio mundi incarnaretur, sed quasi in medio tempore, inter initium, & finem mundi, iuxta Abacuc.[n] *In medio annorum notum facies, &c.* Tum vt ex vna parte cognosceret homo clarius morbi grauitatem, suamque infirmitatem, ex altera parte remediũ non nimis differretur; tum vt paullatim a minus perfectis ad perfectiora procederetur; neque tamen in summa statim sua perfectione mundus collabesceret; tum propter dignitatem Verbi, vt & debita Preconum series præmitti, & ipsum vberius, & efficacius salutem in humano genere posset operari, & probabiliter credi potest, etiam si Christus initio mundi statim venisset, iuxta mores hominum, non plures propterea saluandos fuisse, quam nunc saluentur. Sic Adamus Iannerus.[o]

n, cap.3.o, 3.p.Disput.Theol.in 3.p.D.Tho.Disp.1.cap.1.nu.22.

8 Ob reparationem humani generis non fuit simpliciter necessaria Incarnatio; non solum, quia Deus absque illa, mera sua liberalitate, potuisset condonare peccatum, vel ab vno quopiam, aut pluribus pro ceteris; seu etiam a singulis pro se imperfectam quandam satisfactionem acceptare; sed etiam absolute hominem absque omni remedio relinquere perpetuæ damnationi obnoxium. Nam, vt dicitur: *Quis tibi* Deus *imputabit, si perierint nationes, quas fecisti.*[p] Et, *Nec timens aliquem veniam dabas pecca-*

tis. q Et, *Deus vltionum libere egit.* r Exemplo, sunt Angeli, quibus cur Deus minus parceret, rationes quidem adferri possunt congruentes, vt quod Angelorum pars minor peccauit, quod maiori malitia, & absque suasore; saltem loquendo de supremo Angelo, quod singuli propria voluntate, eademque natura sua quodammodo inflexibili, quod in natura præstantiori, quæ hoc ipso minus ad misericordiam Deum inuitabat &c. sed nulla, quæ conuincat; aut his consimiliter subueniri non potuisse, aut homini debuisse. Idem Iannerus. ſ

p, *Sap.* 11. q, *Sap.* 12. r, *Psal.* 93. ſ, *loco cit. nu.* 6.

9 Hinc soluitur illa quæstio, an dęmones post peccatum potuerint agere pœnitentiam; non potuisse scilicet; quoniam redemptore caruerũt, propter cuius merita auxilia illis supernaturalia ad agendam pęnitentiam necessaria concederentur. Vnde illud D. Damasceni t; *quod hominibus est mors, hoc est Angelis lapsus*. Scotus tamen u existimat potuisse Angelos agere pœnitentiam, antequam e cœlo præcipitarentur. Dico, inquit, quod quãdo Angelus peccauit secundo peccato, potuit pœnitere de primo. Et ita primum peccatum ex se non fuit irremediabile, quia si pœnituisset, inuenisset veniam, & misericordiam, &c. Idem arbitratur Gabriel x & Salmeron y, media, inquit, sententia, videtur, vt post peccatum admissum ab Angelis, certa æui duratione fuerint expectati ad resipiscentiam, qua cum abuterentur, ad superbiam suam alendam, de cęlo deiecti

sunt,

sunt, &c. fauet D. Bernardus. z *Quia*, inquit, *conuerti noluerunt dæmones a via præsumptionis, inciderunt in viam obstinationis, & c.* conuerti ergo potuerunt. Legatur Barrados. a

t, *lib.* 2. *fidei.c.* 4. u, *lib.* 2. *sent.dist.* 6. *quæst.* 2. *ad argumenta princip.* x, *eadem dist.quæst.vnica, art.* 2. y, 2. *Petri.* 2. z, *Serm.* 10. *in Psal.* 90. a, *Tom.* 4. *Com.in Concordiam Euang.lib.* 6. *cap.* 1.

SECTIO XX.

SYNOPSIS.

1. *Gloriosa res maiestas regia.* 2. *Vitia Principû in subditorum animos influunt.* 3. *Constantinus sua conuersione pellexit multos infideles ad fidem Christi amplectendam.* 4. *In Iubileo Clem. VI. incredibilis concursus.* 5. *Nullum periculum potuit imminuere deuotionem populi Christiani.* 6. *Vnde tantus concursus Romam pro Iubileo obtinendo.* 7. *Bonifacius IX. Iubileum ab Vrbano indictum celebrat.* 8. *Albertus Marchio Atestinus Romam venit in hoc Iubileo.* 9. *Bonifacius propter occurrentes necessitates subsidium a pietate Christiana implorat.* 10. *Bonifacius restringit valorem Indulgentiarum ad articulum mortis.* 11. *Falsum esse Corium probatur.* 12. & 13. *Quid Petrus Mattheus de operibus Sanctis Romæ factis in An. Iub.* 1600. *dicat.* 14. *Causa conuersionis nonnullorum Hæreticorû in hoc Iubileo.* 15. *Multi Principes ad hoc Iubileû Romam venerunt.* 16. *Quanta merces in terra, & in cœlo maneat Principes Christianos, qui subditos ad pietatem exemplo erudiunt.* 17. *S. Ludouici Francorum Regis exemplum.* 18. *Quales Principes facit Machiauellus.* 19. *Syncretismus hæreticorum è Machiauelli Schola ortus.*

VOS IGITVR CATHOLICI PRINCIPES, QVI TOT DECORVM PRÆROGATIVIS INSIGNITI AD CHRISTIANAM PIETATEM PROMOVENDAM ARCTIORIBVS, QVAM CETERI, OBLIGATIONIS NEXIBVS OBSTRICTI ESTIS.



1 GLoriosa res maiestas regia, sed iustitiæ legibus pietatisque munita, sine qua antiquus scriptor Stenidas a nihil pulchrum, honestumve dicẽdum sine regno, aut principatu. Quod si id de paganis imperijs in iure, rationisque lumine solo fundatis vere dici ipse credidit; Quam verius de Christianis regnis non naturalis solius, sed diuini supernaturalisque luminis irradiatione fulgentibus hoc dici debere putabimus? Sed magnas virtutes monarchica dignitas, atque regia desiderat, quia quanto quis alijs dignitate, tanto & virtute præstare debet. Esse quippe debet Christianus Princeps, vt scribit Mauclerus b, in medio populorum tamquã hortus, paradisusque deliciarum, ex cuius pectore, veluti ex altero Paradiso terrestri, quatuor mystica flumina, Iustitiæ scilicet, Misericordiæ, Charitatis, & Sanctitatis egrediantur, & ad irrigãdam totã dominationis suæ terram, & plantaria fidelium populorum, animos nempe eorumque mores influant, vt spe-

speciosa spiritualium fructuum multitudine pinguescant, atque fecundentur.

a, *In fragmento de Regno* b, *in sua Monarchia saeculari Christiana lib.1.cap.3.*

2 Notum est omnibus, vt ait idem Mauclerus [c], nullumque dubium, nisi a doctrina, rationeque penitus extraneo Regum, Principumque virtutes, aut vitia solere in subditorum animos influere. *Misera Ciuitas*, inquit S.Bernardus [d], *in qua regnat Herodes; quoniam herodianae sine dubio particeps erit malitiae, & ad nouae salutis ortum Herodiana mouebitur turbatione*. Hanc populi imitationem Dauid vt melius exprimeret, de futura Christi Dominia Regibus, & populis adoratione loqués dixit prius [e], *Adorate eum omnes Reges terrae*, postea subiunxit, *omnes gentes seruient ei.* Quare seruient populi Christo latriae cultu? quia adorabunt eum omnes Reges terrae, quos populi solent imitatione consectari. Vnde plane verum illud eloquentiae parentis [f]; *vt cupiditatibus Principum, & vitijs infici solet tota ciuitas, sic emendari, & corrigi continentia*; qui dixit alibi [g]; *quales in Republica Principes sunt, tales reliquos solere esse ciues.*

Componitur Orbis
Regis ad exemplum.

Vt non valde illud Theodorici Regis dictum apud Cassiodorum [h] mirari debeamus, facilius esse errare naturam, quam dissimilem sui Princeps possit Rempublicam formare. Rex ille Aragoniae, Neapoleosque Alphonsus bonus, & religiosus recte, vere-

que

que dixit, *sicut herbas quasdam ad solis motum, qualis est holitropium, sic populos in Principum mores imitatione conuerti.*

c, *Lib.6.cap.7.* d, *serm.3.Epiph.* e, *Psal.71.* f, *lib.3.de legibus* g, *Epist.ad quintum fratrem.* h, *l.3.Variar.Ep.12.*

3 Quis enim nescit sacras replicantium historias, Constantinum Magnum sua ad Christum conuersione, vitæque a vitiorum sordibus auersione, quam plurimos infideles, & paganos prioris vitæ, infidelitatisque pertæsos voluntariæ, non coacte, ad Christi Domini fidem pertransisse, in gremiumque sanctissimæ matris Ecclesiæ conuersos ad omnia Christianarum virtutum opera facienda pellexisse? Scribit Nicephorus i, quo ipse Romæ baptizatus est Imperator, baptizata fuisse super duodecim millia virorum, præter pueros, & mulieres; ipsumque Imperatorem constituisse, vt baptismus non coacte, sed voluntarie fieret, neque vt humano metu quisquam ad Christi Domini fidem, ecclesiæque sinum se conferret; sed vt volens casto, maturoque consilio, promptaque voluntate sancto fidelium numero aggregarentur. Hinc cognoscimus, quam verum sit illud Tragici Poetæ.

Rex velit honesta, nemo non eadem velit

i, *An.342.*

4 In Iubileo, quem Clemens VI. a centesimo ad quinquagesimum annum reduxerat, vti diximus; Incredibilis omnium Europæ gentium concursus Romæ factus est, spe consequendę liberationis peccato-

catorum. Hos quia Vrbs capere non poterat, & annonæ vbertas nō ita afflueret, concessit Annibaldo Episcopo Tusculano, Cardinali Legato, vt numerū XV. dierum forensibus designatum pro arbitrio imminuere posset; non obstante, quod ipse in Diplomate indictionis, vt forenses, totis XV. diebus Romanas Basilicas pro imploranda diuina benignitate inuiserent, præscripsisset.

f Et quod valde mirum est, quamquam Romani Cardinalem Legatum indigne habuissent, & per summam auaritiam Romipetas expilarent, non tamen deuotio populi Christiani a visitandis Basilicis imminuta fuit. Ex vniuersis enim Europæis Regnis turmatim innumerabiles in dies singulos confluebant, ita vt quādoque ad octingenta millia peregrinorum numerarentur, quos oportebat in campestribus sub dio commorari; quamquam vniuersæ Romanorum ædes in diuersoria redactę, multos gratia compendij admitterent. In itinere cum Basilicas inuiserent, aliquando duodecim, aliquādo plures, vel pauciores comprimebantur; numerosiores eo tempore, quo Sanctum Sudarium, cui a Veronica nomē est, ostendabatur. Singulis enim diebus Dominicis, & quandoque festis sollemnioribus exponebatur. Bzouius. *k*

k, Tom. 14. Annal Eccl. ad An. 1350 Ex Matth. Villan.

6 Et vnde tantus concursus Romam pro Iubileo obtinendo? & ex desiderio obtinendi plenam remissionem culpæ, & pœnæ anni Iubilei a summo Ponti-

X fice

fice indicti; & etiam ex Principum exemplo. Ludouicus enim Hongariæ Rex, religiosissimus, ac pietati deditissimus, & ipse Romam ad Iubileum venit comprobantibus sententiam ceteris proceribus Vngaris; quippe qui Ortodoxam fidem quanto difficilius admiserunt, tanto pertinacius retinebant, & colebant. Romam ingressus, & in palatium Pontificis, vt honestius acciperetur, introductus, mox à quibusdam Rentianorum vt oblatam Rom. Reipublicæ summam, ac tutelam acciperet, pertinacissime renuit; ne quid Rom. Eccl. dignitati derogaret. Pedes Apostolorum Basilicas sæpe lustrauit; in æde Principis Apostolorum quotidie ad magnam aram sacris interfuit. Saluatoris vultum Sudario expressum, affectatissime quotidie vidit, ceterisque fidelibus simul spectãdum secum exhibuit; ad Saluatoris aram Pontificia auctoritate lustratus, & omnium erratorum veniam assequutus, quater mille aureorum aris obtulit, & alia donatiua reliquit; nulla Basilica indonata remansit. Bzouius. *l*

l, *Loco citato.*

7 Bonifacius IX. Romę Iubileum ab Vrbano antecessore indictum in an. 1440. hoc ipso tempore sollemni ritu celebrauit, ad quam celebritatem innumerabilis multitudo ex Germania, Hongaria, Polonia, Bohemia, Anglia, Hibernia, Lusitania, Italia, Sicilia, Dalmatia, Dania, atque alijs regnis, & prouincijs, quæ in fide Romani Pontificis permanserant, ad limina Apostolorum confluxit; ingen-

gentemque pecuniam tum Basilicis vrbicis instaurandis, tum bello aduersus schimaticos, & rebelles ecclesiæ gerendo contulit. Sic Bzouius. m

m, *Tom. 15. Annalium Eccl. ad annum* 1390.

8 Ex his, qui hoc lustrali anno, pro indulgentia, criminumque expiatione Romanam profectionem susceperant, fuit Albertus Machio Atestinus, comites ei fuere CCCC. eodem omnes habitu, bacillo sacro e cucullis humilitatis ergo suspenso. Cuculli haud plane dissimiles fuere ijs, quibus monachi, & peregrinãtes voti causa vti consueuerunt; in quo multi viatoriæ eorum temporum vestis ignari sunt decepti. Exceptus ad primum ab vrbe lapidem a quinque Senatoribus, postea magno omnium ordinum concursu Vrbem intrauit. Multa illi Pontifex tribuit, in primis diploma Bonifacianum vulgo appellatum, quod pertinet ad emphyteuses Ecclesiasticas, ceteraque eiusmodi bona, vt ne ciues passim, sed certis tantum de causis eorum possessione excidant. Itemque ius, ac facultatem habendi Ferrariæ publicæ Gymnasij. Pigua. n

n, *de rebus Atestinis, lib.* 5.

9 Multis expensis domi forisque faciendis, cum impar esset Bonifacius, nihil mirum, si propter occurrentes necessitates subsidium aliquod a pietate christiana obtinere laborauerit, & commissos vbique terrarum hoc anno disperserit. Si quid, vel auara, vel perfida, vel impia commissorum audacia, vel extorsit, vel elepsit, vel insano ore, aut priuatim di-

xit, aut pro concione vulgauit; extra noxam Bonifacius est, qui non turpis lucri, sed necessitatis extremæ gratia, more ad id temporis recepto auxilia postulauit, & in sacrilegos ex lege ecclesiastica animaduertit. Bzouius. [o]

o, *loco citato.*

10 Qui etiam addit, Cardinalem Anglicum auctorem fuisse Bonifacio Pontifici, qui valorem indulgentiarum plenariarum ad articulum mortis restringeret, ea ratione, vt in extremis tantum eas consequerentur in confessione videlicet, quæ immediate mortẽ antecedit; alias, in alijs confessionibus quantuncunque periculum immineret, sed tamen mors non subsequeretur vsque ad supremum mortis articulum, nullum sortirentur effectum.

11 Quamobrem falsus est Corius, qui sine confessionis sacramento præuio, indulgentias a Bonifacio fuisse concessas mentitur, non minus, quam & Theodoricus Niem, qui sine pœnitentia, remissionem peccatorum ab eodem esse indultam, pari temeritate memorabat.

12 Libet etiam hic adscribere, quæ Petrus Mattheus de operibus sanctis Romæ factis in An. Iubil. 1600. narrat [p]. Hic. n. postquã aduentum Alencurtij Gubernatoris Pontoesiani, equitis ordinis Regij ad Vrbem pro negotijs Regis Galliarum descripsit, sic inquit. Numerus Peregrinorum, qui vndique terrarum confluebant, est incredibilis. Sed plures ex Gallia, quam ex omnibus ceteris Prouincijs extra

Italiam

Italiam positis; quæ res summam consolationem Papæ attulit, ingentem obstupefactionem Italis, & confusionem illis, qui malitiose dicebant Galliam esse schismaticā, & omnes Gallos esse Lutheranos. Papa ipse obstupescebat tantum numerum Peregrinorum Gallorum, adeo vt aliquando dicere auditus fuerit, quid factum fuisset, si ipsum Regem vidissemus. Complures ibi, & Hugonoti reperti, qui per curiositatem eo conuolarunt, nimirum extra metum Inquisitionis positi, cuius iurisdictio cessat tempore Iubilei. Non ibant vt participes fierent Iubileanæ gratiæ, quippe qui illuderent opera supererogationis, dicerentq; catholicos facere Deum suum rationes ducentem.

P. in sua Historiopolitographia lib. 3. Narratione 1.

13 Hi tamen cum viderent Papam ipsum ire singulis diebus visitatum ecclesias, ibi missas celebrare, circumspicere Peregrinos, seruire pauperibus, eos ad mensam suam inuitare, eorum confessionem audire, iam non amplius credere cœperunt, Papam esse Antichristum, aut Romam esse Babylonem. Et certe in Clemente V I I I. nihil obseruare poterant, vnde non discere debuerant, iustissime eum electum esse ab omnibus supra omnes, & inter omnes pro capite visibilis istius Monarchiæ. Admirabantur tantum zelum veri Patris, & Pastoris, pro salute animarum, non solum pro conseruatione ouium a rabie luporum. Qui eius zelus tam ingens fuit, & sincere verus, vt numquam ab altari sine lacrymis

crymis discesserit, propter iustum dolorem, quo commouebatur propter desolationem Regni Angliæ. Ieiunabat cum pane simplici bis in septimana. Missam singulis diebus dicebat: per sanctitatem vitæ eius, plurima crimina, & excessiua vitia, quæ Romæ facillime imitantur, ibi sine exemplo erant, quæ res nonnullorum corda adeo viuaciter penetrauit, vt vno die circiter triginta sex Galli opiniones suas coram Papa abiurarint, & absolutionem receperint.

18 Conuersio eius, a quo inducti fuerunt, causam habuit particulariorem, & notabiliorem. Is, Romæ fuerat in præcedenti Iubileo sub Papa Greg. XIII. cum voto, vt si viuat hoc anno M. DC. rediturus sit. Quemadmodum deuotio eum Romam perduxit, ita curiositas Geneuam in reditu transtulit, vbi hæsit vt socij Vlyssis ad lotam. Cum videretur ingenio valere, inuitatus fuit ad cathedram, & coniugium, quorum posteriorem conditionem statim accepit, & prioris quoque se paulo post capacē reddidit. Sed post aliquot annos videns tempus Iubilei appropinquare, & voti sui recordatus, sub prætextu priuatorum negotiorum Geneua discedens Romam contendit, eamque Religionem, quam deseruerat, iterum amplexus est. Hic fuit Arnaldus minister Geneuensis, qui cōuertit se Romę, & conduxit dictos 36. Gallos in Ecclesiam Sancti Ludouici, vt professionem facerent fidei catholicæ.

19 Multi Principes, & Magnates è diuersis Europæ

pæ regionibus Romam ad hũc Iubileum venerunt; ſed nullus è maiori familia comparuit, quam Dux Barrenſis, qui habitu incognito peregrinari voluit, vt abſolutionem impetraret, propterea quod coniugem duxiſſet contra formam Eccleſiæ, & ſine diſpẽſatione conſanguinitatis, quæ eſt inter ipſum, & ſororem Regis. Ea de cauſa Epiſcopi Lotharingię noluerunt eum ad Communionem Sacramenti Dominici admittere, tenueruntque eum pro excommunicato. Quamuis humilitas, obedientia, & ſubmiſſio, quam Princeps iſte Sanctæ Sedi redditum iuit, tantum fauoris illi conciliaret, quantum vix potuiſſet ſperare, tamen Rex eum litteris ſuis commendare voluit, perſcribens ad Cardinalẽ Aldobrandinum, mandanſque Cardinali Oſſato, & Sillerio Legato recommendationes ad eam rem neceſſarias.

16 Quanta merces in terra, cęloque maneat Reges, Principeſque Chriſtianos, qui ſubditos ſuos verbo, & exemplo ad pietatem veram, iuſtitiamque erudierunt, quantaque ſimiliter felicitas talium Principum populis, poſteriſque contingat; legatur Mauclerus, [q] vbi multorum Regum, & Principum proſperitates narrat, propter ſincerã Chriſti fidei profeſſionem, & populum in ea eius exemplo feliciter educatum; & inducit Greg. VII. [r] ita Guillelmum pium, valdeque religioſum Angliæ Regem poſt multa monitoria, & hortamenta alloquentem. *Tot proculdubio in futura gloria Principum Princeps futurus; quot vſque ad finem ſeculi exemplo tuæ obedientiæ*

Prin-

Principes saluabuntur. Etsi quidam eorum saluari noluerint, tibi tamen retributio nullatenus minuetur. Non solum autem, sed in hoc mundo tibi, & hæredibus tuis victoria, honor, potentia, sublimitas amplius cælitus tribuetur.

q, *vbi supra cap.8.* r, *lib.7.epist.23.*

17 Gloria præcipua Regum, ac Principum fidelium a lege gratiæ Christi in baptismo accepta bene custodita, & aucta. Hinc S. Ludouici Francorum Regis memorabile responsum, qui rogatus quonā cognomine, tituloque rerum illustrissimarum, a se preclare, catholiceque gestarum decorari, ac insigniri magnopere percuperet; victoria, inquit, quæ in Ecclesia Rossiaca contra diabolum, dum baptizaret, vt prima, ita mihi clarissima obtigit. In hac sola glorior, & triumpho; ab hac Ludouicus Possiacus denominari volo.

18 Tales debent esse Principes, non quales facit impius Machiauellus, docens simulare iustitiam, ac temperantiam satis esse Principi. Ciuitatē effingit, quæ sit Helena foris, intus Hecuba. Principem ita erudit, vt preces in hæc verba concipiat.

Da mihi fallere, da iustum, sanctumque videri.
Noctem peccatis, & fraudibus obijce nubem

Etsi alia nulla dixisset ille vitiorum Doctor, certe id ad euertendam Rempublicam abunde sufficeret. Id enim ipsemet affirmauit; testis est Toscanus, s ideo impijs præceptis a se imbutos Principes, vt qui

tum

tum Italiam tyrannicè vexabant sua institutione deteriores redditi, eo celerius scelerum suorum pęnas penderent. Fore enim vt cum se penitus vitijs immersissent, statim meritam numinis iram experirentur.

s, In suo Peplo Italiæ.

19 Ex hac Schola Machiauelli ortus nouissime hæreticorum syncretismus, falsa scilicet, simulata, insidiosa pax, odiorum callida dissimulatrix, in occasione vltionis intenta malitia, ignis suppositus cineri doloso, periculum ingeniose tectum, inimicitiæ ostentatione officij blandientes, vmbra fęderum, discipula Machiauelli, filia Epicuri, pestis humanæ societatis, mors pietatis. Quis finis sit huius syncretismi, pluribus ostendit Contzer. t

t, loco citato lib. 9. cap. 25.

SECTIO XXI.

SYNOPSIS.

1. Ecclesia Romana omnium Ecclesiarum mater, & domina. 2. Hæc errare in fide nunquam potest. 3. 4. 5. & 6. Nouatores falsò adscribunt errores Romanis Pontificibus.

VOSQVE OMNES CHRISTI FIDELES, QVOS ROMANA ECCLESIA MATERNO GREMIO COMPLECTITVR.

1 ECclesia Romana omnium mater est, Princeps, ac domina Ecclesiarum. Sic Sancti Patres proclamarunt; vt S. Anacletus. a *Hæc sancta Romana, & Apostolica Ecclesia, non ab Apostolis*, inquit, *sed ab ipso Deo Saluatore nostro primatum obtinuit, & eminentiam potestatis super vniuersas Ecclesias, ac totum Christiani populi gregem assecuta est; sicut ipse Beato Apostolo dixit. Tu es Petrus, &c.* Legatur Mauclerus, b vbi affert multa Patrum testimonia, quibus hæc veritas confirmatur; & probat, adeo Romanam Ecclesiam dominam Christiani orbis, ditionisque principem ecclesiasticæ creditam esse ab omnibus fidei christianæ participibus, vt Romanum nomen idem quod catholicum, solique illi Christiani catholici dicerentur antiquitus, qui Romanæ ecclesiæ communicarent, Romanique Pontificis imperio, legibusque regerentur. Cuius rei multa apud sanctos, priscosque Patres monumenta prostant, vt ex eorum doctrinali penu testimonia abundanter eruit idem Mauclerus. Sufficiat nobis pro cūctis vnus S. Ambrosius, c qui sic scribit. Aduocauit ad se Episcopum, nec vllam veram putauit, nisi veræ fidei gratiam, percunctatusque ex eo

est, vtrum cum Episcopis catholicis, hoc est cum Romana ecclesia conueniret.

a, *Ep.3.* b, *vbi supra lib.2.2.p.* c, *in orat. funebri de satyro patre.*

2 Romana Sedes ex omnib. Ecclesijs orbis Christiani priuilegio decorata resplenduit, vt errare ipsa in fide numquam possit; Cunctis alijs ab illa fidei sanctitate, nitoreque veritatis sæpius exorbitãtibus; vt ipsa Constantinopolitana, aliquando impudentia schismaticorum Patriarcarum de vniuersali titulo superbissimo tam impudenter, malitioseque gloriante. Quod eleganter, ac erudite Rupertus Abbas *d* his verbis significauit. *Tantis autem hæresibus fermentata Grecia, vt mirum videri non debeat hoc, quod de fermento immolat. Tanta è contra sinceritatis semper fuit Sancta Romana Ecclesia, vt cui deest scripturarum notitia, vel argumentandi facultas, sola illa de azymo contra Græcos sufficere debeat eius auctoritas. Nam Constantinopolitana, non solum hæreticos, sed & Hæresiarchas protulit multos. Romana vero Ecclesia semper super Apostolicæ fidei petram altius fundata, firmiter stetit, & tam Græciæ, quam totius orbis hæreticos semper confutauit, & de excelso fidei tribunali data sententia iudicauit.* In huius rectitudinis, & puritatis fidei, Romanæ Sedi immobiliter adhærentis assertionem, & testimonium Romæ in Sacrosanctis Missæ mysterijs post Euangelium, Credo, decantari non fuit in more positum. Ita Berno Augiensis. *e*

d, *L.2.c.22. de Diuinis Officijs.* e, *lib. de rebus ad missam spectantib.*

 Sed

3 Sed Nouatores falſo adſcribũt errores Romanis Pontificibus Petro,& nonnullis alijs,qui non ſolum Pontifices, ſed etiam martyres fuerunt. Accuſant S. Petrum, quod Chriſtum negauerit; ſed Bellarminus *f* reſpõdet, tunc nec dum fuiſſe ſummum Pontificem. Vvitackerus, inquit Gretſerus *g*,poſt ingentem verborum ſtrepitum, per battologiam nobis reponit, quod iam ſupra vſque ad nauſeam inculcarat. Petrum iam Petri *h* nomen habuiſſe, & ex noſtra doctrina iam tum petram fuiſſe, ergo& Pontificem. Reſpondet idem Gretſerus, fuiſſe tunc Apoſtolum illum, & petram, ſed nec dum eccleſiæ ædificium ſibi, tamquam petræ impoſitum, geſtaſſe; neque enim dixit Chriſtus, ſuper hanc petram ædifico,ſed ædificabo Eccleſiam meam. Eccleſiam autem ſuper hanc Petram re ipſa ædificauit, cum Petro peculiariter dixit, *Paſce oues meas*. Ad factum Petri Antiochiæ reſpondet Bellarminus fuiſſe errorẽ,non predicationis,ſed cõuerſationis. Falſum eſt, intonat Danæus,quia Petrus nõ ſolum docuit, ſed & coegit gentes iudaizare *i*,& hoc erat contra articulos fidei decretos ab Apoſtolico Concilio. *k* At Danæus præ furore neſcit,quid dicat; nam Petrus verbo non docuit,multoque minus coegit gentes cærimonijs Iudaicis vti. (Cum gentibus enim gentilium more edere conſueuerat.) Sed quia,cum quidam a Iacobo veniſſet,ſe a gentibus ſubtraxerat, & ad Iudęos aggregarat,reprehenſus eſt a Paulo quaſi exemplo ſuo ipſos etiam Gentiles ad obſeruatio-

nes

nes legales inuitaret. Tantæ enim auctoritatis erat S.Petrus, vt ipsius factum, & exemplum censeretur quodammodo coactio aliorum ad imitandum.

f, *De Summ.Pont.lib.4.* g, *Tom.2.Defensionis Controuersiarum Bellar.dicto lib.& cap.* h, *Matth.16.* i, *Galat.2.* k, *Act.15.*

4 Obijcit VVitacKerus secundo loco Clementē, (nā de Lino, Anacleto, & Thelesphoro ne dignatur quidem verbum facere.) Hic [l] statuit rerū omnium communitatem, etiam coniugum. Fædus hic error est, inquit VVitacKerus, & indignus Romano Pontifice. Fædus plane respondet Gretserus, si accipiatur, vt sonat. Sed VVitacKero probandum erat, Verba illa, *in omnibus autem sunt sine dubio & coniuges,* non esse ascititia, & aliena; nam esse talia docet Turrianus. [m] Constat enim opera Clementis, vt & aliorum quorumdam veterum, ab Hæreticis fuisse corrupta, vt peruersis suis persuasionibus a Clementis, & aliorum auctoritate patrocinium quærerent; & quia hoc non poterant veraciter, fraudibus agere institerunt, quia *dolus, an virtus quis in hoste requirat?*

l, *In Epist.5.* m, *lib.5.contra Magdeburg.cap.2.citatus a VVitackero.*

5 Linum rident sectarij, quod iusserit, ne feminæ Ecclesiam intrent, nisi capite linteis cooperto. Quid ni commentum rideatur? clamat Iunius, scilicet Lino fuit nomen, ideoque nominis sui monumentum in capitibus fęminarum esse voluit; vt non nisi è Lino velarentur. Et quid ni etiam, vir bone, e lana?

Argu-

Argutus est vbique Iunius, qui vidit, quod nemo viderat, lineum tegumen a Lino præscriptum, quod Linus vocaretur. Si *lanio*, aut *lanario*, nomen fuisset, proculdubio velum laneum præscripsisset. Generatim tantum edixit, vt mulieres capita velarent, quod fecit Paulus Apostolus scripta ad Corinthios epistola, & Petrus verbo, & doctrina sua tradidit. Et si linea velamenta præscripsisset, id non ob Lini nomen, sed alias ob causas, easque mysticas accidisset.

6 Danæus criminatur, Anacletum iecisse semina superstitionis, & idololatriæ, eo quod memoriam Sancti Petri construxerit, & ornauerit. Sed factum illius arguit eum Caluinistam non fuisse; nam si Caluini spiritu caluisset, ossa Sanctorum Apostolorum potius effodisset, & exussisset, quam exstructione monumenti honorasset. De Thelesphoro, de Victore, de Zepherino, de Vrbano, Pontiano, Miltiade, & Marcellino, antiquissimis, & sanctissimis Pontificibus, & martyribus, multa mendacia proferunt hi sectarij, quæ omnia soluit Gretserus, defendens etiam alios summos Pontifices in crimen ab ijsdem sectarijs vocatos, & Bellarminum insuper ab eorum calumnijs. Probat etiam id more suo, sanctorum Patrum auctoritate scilicet Coccius. [n] Texit denique pro his summis Pontificibus Apologiam Cotonus [o], qui etiam [p] fabulam illam de Ioanna, quam Papissam vocant, ab Hæreticis, & ab alijs Romanorum Præsulum oso-

ribus

ribus antiquis, & recentioribus excogitatam latiſſime demonſtrat.

n, 1. *Tom. ſui Theſauri Catholici lib. 7. o, loco citato, lib. 2. c. 13. p, cap. ſequenti.*

SECTIO XXII.

SYNOPSIS.

1. Papa nomen vnicum in vniuerſo orbe. 2. & 3. Interpretatio huius nominis Papa. 4. Pallij origo. 5. Nunc Archiepiſcopis a ſolo Romano Pontifice Pallium tributur. 6. Operum genus vere heroicum Romanæ Eccleſiæ. 7. 8. & 9. Gregorij XIII. munificentia incredibilis. 10. Quid de plenitudine poteſtatis Papalis dicat S. Antoninus. 11. Romano Pontifice nemō miſerabilior eſt.

PATERNA, QVÆ VRGET NOS, CHARITATE, VOCAMVS, ET INVITAMVS.

1 IN Concilio Romano III. ſtatutum eſt, vt Papa nomen vnicum eſſet in vniuerſo orbe Chriſtiano, nec liceret alicui ſe ipſum, vel alium eo nomine appellare. Cur autem ſic appelletur ſummus Pontifex, non omnium eadem eſt ſententia, vt ſcribit Coriolanus. a Aliqui enim exiſtimant ſic propterea dici, eo quod ſit Pater Patrum. Sed re vera Papæ nomen diuerſum eſt a nomine Pater Patrum, extat enim ex Concilio Prouinciali Epiri ad Horſmidā Papam ſynodalis epiſtola ſcripta, cuius eiuſmodi eſt inſcriptio: Synodus ve-

teris

teris Epiri &c. Domino nostro per cuncta sanctissimo, & Beatissimo Patri Patrum, Comministro, ac Principi Episcoporum Horsmidæ Papæ. Cum itaque idem Horsmida, & Pater Patrum, & Papa, vna eademque inscriptione dictus reperiatur; plane constat, diuersæ significationis esse vtramque vocem.

a, in suo Breuiario Chronologico ad an. 1076.

2 Porro eius germana interpretatio est a Græca voce Παππας, id est Pater. In cuius sensu accepta, transijt in dignitatis nomen, vt clerici venerandi eodem nomine appellarentur. Postea nomen illud cœpit esse peculiare Episcoporum; vt ijdem Papæ dicerentur, sicut in Cypriano, Hieronymo, & Augustino passim reperitur; & nouissime apud S Eulogium Cordubensem, qui floruit anno 850. vsque enim ad illud tempus id nomẽ commune fuit omnibus Episcopis, licet frequenter, & peculiarius tribui consueuisset Rom. Pontifici. Errat igitur Nicephorus, *b* dum ait, Celestinum Romanum Pontificem concessisse ex priuilegio Cyrillo Episcopo Alexandrino a se constituto Legato ad Concilium Ephesinum generale, vt Papa diceretur, ac vteretur mitra. Nam nomen Papæ tunc commune erat omnibus Episcopis. Melius dicit Thodoretus Balsamon. *c* Cyrillo concessum esse a Cælestino, vt in sacris sollemnibus more Romanorum Pontificum phrygio vteretur; quo quidem ex eo tempore semper vsi sunt Episcopi Alexandrini. Idem erat phrygium, quod alio nomine dicimus pallium. Quibus insignibus pleni-

plenitudinem potestatis solitam conferri a Romanis Pontificibus, ecclesiastici canones tradunt.

b, *lib.* 14.*c.*34. c, *in Nomocanone Photij tit.*8.*c.*1.

3 Cum autem futuris temporibus obtinuisset communis vsus, vt Papa nomen tantummodo tribueretur Rom. Pontifici, & schismatici illud sibi in odiũ eiusdem Romani Præsulis fastu superbo vindicarent, aliaque concessa præsumerent, Gregor. VII. Papa an.3. sui Pont. 6. Kal. Martij, statuit, vt Papę nomen vnicum esset in vniuerso Orbe Christiano; nec liceret alicui, se ipsum, vel aliũ eo nomine, vti diximus, appellare. Seruãt id ipsum Gręci, vt nomine Papæ Rom. Pont. intelligant, vt ex Nicetæ Choniatæ scriptis apparet.

4 Pallij origo in Archiepiscopis antiquissima est, vt testatur Azorius ex multis scriptoribus ecclesiasticis. *d* Et Auctor rituũ ecclesiasticorum sanctæ Romanæ ecclesiæ citatus ab ipso Azorio tradit, pallium peti hac verborum formula. Ego N. electus Ecclesiæ N. instanter, instantius, instantissime peto mihi tradi, & assignari pallium de corpore sancti Petri sumptum, in quo est plenitudo Pontificalis officij.

d, *Inst.Mor.p.*2.*lib.*3.*cap.*24.

5 Olim constat Archiepiscopos magnis illis quatuor Patriarchis subiectos, Constantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno, Hierosolymitano pallium petere consueuisse a suo Patriarcha. Sic enim dicitur de illis Patriarchis, *licenter, & ipsi suis*

Z *suffra-*

suffraganeis pallium largiantur pro se recipientes professionem canonicam, & pro Romana Ecclesia sponsionem obedientiæ ab eisdem. Nunc vero Archiepiscopis pallium Romani Pontificis beneficio, & auctoritate confertur. Qui plura de pallio videre cupit, legat Azorium per totum caput citatum.

e, *Ex cap. Antiqua de Priuil.*

6 Narrat Stapletonus f operum genus vere heroicum, & admirabile, quo vna ecclesia Romana maxime præcellit, dum inquit, quod Romani Imperatores pro summa gloria ducebant, vt patres patriæ, propter beneficia Reip. collata, nuncuparentur, tametsi de more potius quam de iure, & vana Senatus, populique assentatione magis quam ex recta ratione titulus ille plerisque tribueretur. Atque Romanæ ecclesiæ Antistites ita non patriæ, ac Reipub. tantum Romanæ, sed totius orbis Christiani tales patres his multis seculis extiterunt, vt hæc vna sedes omnium in eo miserorum, & afflictorum perpetuum Asylum, ac perfugium extiterit, omnes laborantes filios suos, veluti pia, & amantissima mater suo gremio complexa, suo sinu fouendos exceperit. Exempla videat lector apud ipsum Stapletonum.

f, *De magnitudine Rom. Eccl. lib. 2. cap. 10.*

7 Vnum non prætteribo nostro tempore, nempe Greg. XIII. Hic enim munificentissimus Pontifex præterquam quod seminarium Germanorum in Vrbe Roma iam inchoatum, per applicationem ecclesiasticorum bonorum ad decem aureorum millia dota-

dotauit; erexit ipse anno Pontificatus sui secundo in vrbe Roma seminarium Hungarorũ; anno quinto Neophytorum, in quibus etiam Chaldæi, & Armeni instruuntur; Anglorum quoque, & Græcorũ. Anno Pontificatus nono seminarium Viennense in Austria, Prugense in Bohemia, Græcense in Stiria, Omulecense in Morauia, Branspurgense in Prussia, Mussipotanum in Lotharingia. Vndecimo Pontificatus anno Vilnense in Lithuania; Claudiopoletanorum in Transiluania, Fuldense in Franconia; ac demum in vltima Iaponia tria seminaria, Furacense, Arimanense, & Anzuchxamense. An huius Pontificis munificentissimæ pietati aliquid adijci potest?

8. At non hic heroicus ille animus conquieuit. In Orientem Legatos misit, in quibus Baptista Romanus e societate Iesu; per eos conuocatum Cõcilium Episcoporum quadraginta nationis Maronitarum; Collegium præterea institutum, in quo pueri tam orientalium, quam Maronitarum in Catholica Doctrina erudiantur, vt inde in patrias sedes reuersi suos docere possint, quæ ad Christi cultum pertinent.

9. Quid quod in egenos, & pauperes orbis Romæ, aliosque priuatos exules, Græços a Turcis eiectos, & Anglos patrij schismatis flammas fugientes, tã tam liberalitatem exercuit, vt animaduersum fuerit, teste Bozio, eum quotannis aureorum 70000. hos in vsus erogasse. Tandem memorabilis huius

munificentiæ ex publicis rationibus accurate summa collecta, meruit in Senatusconsulto, teste Baronio h præclaro gloriæ monimento, in Capitolio vna cum statua omnium votis publice consecrari, digno plane omnium Patris, atque Pastoris elogio; quod inter alia hæc verba habet in marmore incisa. SES TERTIVM OCTINGENTIES SINGVLARI BENEFICENTIA IN EGENOS DISTRIBVTVM. Est autem horum summa vicies centena millia aureorum. Talia sunt Romanæ Ecclesię opera magnifica, ad Dei cultum, vel proximi vtilitatem destinata.

g, *De signis Eccl. lib.* 1. h, *An. Tom.* 2.

10 S. Archiepiscopus Florentinus i loquens de plenitudine potestatis Papalis, sic inquit: Hanc sublimem, plenamq; in omnes fideles potestatem etsi Apostoli habuerunt à Christo tamen vt essent sub Petro; ipse autem Petrus immediate a Christo accepit omnem plenitudinem iurisdictionis, & sic omnis eius successor, id est Papa, plenitudinem potestatis habet a Christo; alij autem Episcopi, & Prælati in parte habent, & omnes a Papa, qui sic alijs Episcopis suas vices impertiuit, vt in partem sint vocati solicitudinis, non in plenitudinem potestatis, vt ex S. Gregorio k in scriptum legitur. Ad hanc potestatis, & solicitudinis plenitudinem dessignandam, Romanus Pontifex Pallio semper vtitur; alij vero Prælati magni, qui vsum hujus Pallij a Papa consecuti

cuti sunt, non nisi illud certis diebus, locisque portant. *l*

i, 3.p.Summæ.tit.22.cap.4.§.2. k, in Cano.decret.2.q.6. l, *extra de vsu pallij.cap.ad honorem.*

11 Hadrianus Papa IV. hanc solicitudinem ecclesiarum, & labores, atque curas salutis alienæ huic solicitudini nexu indissolubili alligatas Æthna monte grauiores esse lamentando demonstrauit suo Ioanni Anglo, vt his verbis refert ipse Ioannes. Dominum Hadrianum, cuius tẽpora felicia faciat Deus, huius rei testem inuoco, quia Rom. Pontifice nemo miserabilior est, conditione eius nulla miserior; & licet nihil aliud lædat, necesse est, vt citissime, vel solo labore deficiat: fatetur enim in ea sede tantas miserias inuenisse, vt facta collatione præsentium, tota præcedens amaritudo, iucunditas, & vita felicissima fuerit, &c. & paullo post, hoc etiam mihi sæpissime adiecit, (scilicet Hadrianus Pontifex) quod cum de gradu in gradum a claustrali clerico per oĩa officia in Pontificem summum ascenderit, nihil vnquam felicitatis, aut tranquillæ quietis vitæ priori adiectum ab ascensu, & vt verbis eius vtar, iniucunde, inquit, & malleo semper dilatauit me Dominus. Hæc iste vir doctrina, & pietate clarissimus, qui fuit à secretis S. Thomæ Cantuariensi Archiepisco martyri.

SE-

SECTIO XXIII.

SYNOPSIS.

1. Locus Isaiæ explicatus. 2. De Tuba in extremo iudicio sonitura.

AC QVASI TVBAM EXALTANTES VOCEM NOSTRAM, PROPHETICA IN VOS ORACVLA CONVERTIMVS, ET CLAMAMVS.

1 ISaias[a]: Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum, Clama, Heb. est, clama in gutture, hoc est, vt septuag. Clama in fortitudine, ne parcas gutturi, & voci tuæ, quasi tuba exalta vocem. q.d. clama, contenta, sonora, forti, & quasi tubali voce, vt ait hic Cornelius a Lapide. Aliter Sanchez q.d. Cane tuba instar præconis, vt populum conuoces, deinde voce sonora hæc mea edicta eis propone (ita enim facit præco Principis) scilicet annuncia populo meo scelera eorum. Notent hoc concionatores, inquit Cornelius, se non esse ad tibias, ad voluptatem, & plausum modulantes; sed tubas, vt clasicum canant ad arma, ad bellum contra peccata, & concupiscentias iugiter ineundum. Audiant S. Augustinũ [b] quasi tuba exalta vocem tuam. Clamare iubemur, & vehemen-

hementer clamare. Ne parcas, inquit, id eſt, peccatoris iniquitati; ne tacendo pereas, & dum verecundiæ eius conſulis, non conſulas ſanitati; ne vulnera illius, quæ clamando reſecare poteras, reticendo in peius enutrias. Scitis quia tuba non tam oblectationis eſſe ſoleat, quam terroris, nō tam delectationem præferre, quam inferre formidinem.

a, cap. 58. V. 1. b, Serm. 106.

2 De Tuba in extremo Iudicio ſonitura, de qua Paulus c Cornelius a Lapide notat, quod non erit ſpirituale imperium Chriſti, vt voluerunt nonnulli ex S. Gregor. ſed erit ſenſibilis clangor, & vox tubalis formata ab Angelo in aeris colliſione, vel potius per realem tubam, vult Anſelmus, & alij; nam Chriſtus, Paulus, & Patres ſemper vocant tubā, tubaque aptiſſimum eſt inſtrumentum etiam Angelo, vt maxime ſonoram, ex aeris ad latera tubæ impulſu, & colliſione vocem edat. Ex qua materia ſit hęc tuba futura, an ex argento, an ex aere, vt opinatur Franc. Suarez, an ex nube, & meteoris, an ex alia materia magis ſonora, quam homines ignorant, ſed norunt Angeli, incertum eſt. Quomodo autem mortui poterunt hanc vocem audire, legatur Concilius hic, & Iuſtinianus.

c, in 1. epiſt. ad Theſſal. cap. 4. verſ. 15.

SE-

SECTIO XXIV.

SYNOPSIS.

1. Locus Psalmi declaratus. 2. Fides Christi viget præcipue in populis occidentis. 3. Ministri Sueuici ad orientem Apostolicam Sedem transferre voluerunt. 4. Ministrorum inuentio perijt. 5. Censura orientalis Ecclesiæ de præcipuis nostri seculi hæreticorum dogmatibus. 6. Nouatores etiam in Ecclesia regimen probant monarchicum. 7. Spalatensis monarchicum regimen tollere nititur. 8. Borcerij responsio ad Spalatensem.

AVDITE HÆC OMNES GENTES, AVRIBVS PERCIPITE, QVI HABITATIS ORBEM.

1 ID sumptum est ex Psal. [a] per omnes gentes, inquit hic Lorinus, intelliguntur omnes populi, & nemo trepidet, nemo desperet, iuxta Ambros. vbi nullus excipitur, sed omnis anima inuitatur ad gratiam. Nyssenus [b] vult innui cōcordiam ecclesiæ, quæ sit velut labij vnius. Auribus percipite. Discrimen Ambros. August. alijque afferunt, quasi hoc sit plus, quam audire, nempe non transeunter, sed auribus cordis, & spiritualibus, quas exigebat Christus [c], qui habet aures audiendi audiat.

a, *Psal.* 48. b, *Tract.* 2. *in Psal.* 2. c, *Matth.* 11. 15.

2 Omnes, qui habitatis orbem. In editione Mariani Victoris, & apud Thomam Aquinatem, vniuersi

uersi habitatores occidentis. Putat Thomas iuxta versionem illam Hieronymi videri prophetiam esse, qua fides Christi præcipue viget, inquit, in populis occidentis; In Aquilonari sunt adhuc multi gentiles, in orientalibus multi schismatici, & infideles. Id nonnulli etiam indicatum putant, cum Christus in Cruce faciem conuersam habebat versus occidentem.

3 Voluerunt ministri Sueuici ad orientem transferre Apostolicam sedem, quando Patriarcham solicitarunt, vt vellet esse corũ Papa. Videbant enim hi Saxonum commilitones nullã esse spem conciliandæ inter se ipsos pacis, nisi vnus quispiam esset, qui cum auctoritate gereret in Ministrorum Ecclesiæ capitis vices; quem ceteri tanquam supremum reuererẽtur, ad quem recurrerent in rebus dubijs, cuius sententiam firmam haberent per omnia; quærebatur quidam aliquis talis diligenter, sed nemo reperiebatur Prædicans, cui reliqui hoc munus conferre vellent, aut valerent. Poterant ij sane rursum hac opportunitate se Pontifici Romano subijcere, petita venia priorum erratorum Sed placuit magis cum Hieremia Constantinopolitano Patriarcha de negotio pacisci. Mittebant ergo eidem confessionem Augustanã Græce redditam, orantes vt ipsam vellet calculo suo comprobare, ac nationem, quæ fidem ibi descriptam profitetur, in suum patrocinium suscipere. Arbitrabantur isti omnino mox fore, vt Patriarcha confessioni subscriberet, atque idipsum

Aa omnes

omnes hæretici, ſchiſmaticique confluerent, velut arenæ maris innumerabiles. Tunc aiebant, cogemus generalia Concilia Conſtantinopoli, Nicææ, Antiochiæ, apud Memphim, & in ipſis Hieroſolimis. Nam reliqui Patriarchæ ſcita noſtra, moreſque facile ſequentur. Et irruemus ſuper Papam veteris Romæ, ſicut cadere ſolet ros ſuper terram, & non relinquemus de Cardinalibus, Epiſcopis, Prælatis, Sacerdotibus, Monachis, Ieſuitis, & reliquis Papiſtis, qui cum eo ſunt, ne vnum quidem. Vrbi Romæ circumdabunt omnes noſtræ vxores, & filij cum filiabus, ac nepotibus, & totus noſter populus funes, & trahemus eam in Tybrim, vt non reperiatur, ne calculus quidem ex ea.

4 Hæc miniſtri iactabant in Romanum Pontificem, quæ olim Abſolon in Patrem ſuum Dauid [d]; ſed vt ſtulte, ſic inaniter, & ſibi ſoli pernicioſe. Dauid enim manſit incolumis [e]; at ipſe inopia, & monſtroſa morte ſublatus eſt: ſic etiam Papa, & Religio, atque Vrbs Romana perſtiterunt; miniſtrorum vero inuentio perijt, ipſa Auguſtana confeſſione perniciē illi inferente. Patriarcha enim vt illam vidit, admiratus eſt ſtuporem iſtorum hominum, dogmataque ipſorum tamquam aliena a ſacris litteris, & aduerſa ſcriptis, atque doctrinis antiquorum Patrū, nec rectæ rationi conſentanea, edito libello refutauit; hortatuſque eos eſt, ne vellent tam abiecte ſibi ſolis ſapere, vniuerſæ fere naturæ iura peruertere, totum orthodoxorum ſcriptorum ordinem cōtemnere, &

re, & venerabilem sacrarum litterarum sensum ad sua fabulamenta infami, atque atroci flagitio detorquere; sed potius id agerét, vt demisse de se ipsis sentientes, relicta via erronea, & perniciosa, magnis animis capescerent consilia meliora. Et hæc quidem legatio talem finem habuit.

d, 2. *Reg.* 17. e, *ibidem* 18.

f Extat Dilingæ impressa hæc orientalis Ecclesię censura de præcipuis nostri seculi Hæreticorum Dogmatibus; d. Hieremiæ Constantinopolitano Patriarchæ, Iudicij, & communionis causa à supradictis Orthodoxę doctrinæ aduersarijs oblatis; ab eodem Patriarcha Constantinopolitano ad Germanos gręce conscripta; A Stanislao autem Socolouio Serenissimi Stephani Polonię Regis Theologo, ex gręco in Latino conuersa, ac quibusdam annotationibus ad proprias Gręcorum opiniones respondentibus illustrata.

6 Ex ijs, quę dicta sunt, colligi potest, Nouatores etiam regimen in ecclesia probare monarchicum, & si non plane, hoc est pure, at cum admixtione ex Aristocratia, & Democratia, vt etiam facit Bellarminus *f* dicens, Doctores catholicos in eo conuenire omnes, vt regimen ecclesiasticum hominibus a Deo commissum sit illud quidem monarchicum, sed temperatum ex Ariſtrocatia, & Democratia. In ecclesia enim est summi Pontificis monarchia, Episcoporum, (qui veri Principes, & Pastores, non Vicarij Pontificis maximi sunt) Aristocratia; ac demum suũ

quemdam in ea locum habet Democratia, cum nemo sit ex omni christiana multitudine, qui ad Episcopatum vocari non possit, si tamen dignus eo munere iudicetur. Videndus Coccius g, qui ostendit ex sacris litteris, Patribus tam grecis, quam latinis, nec non ex gentilibus poetis, & philosophis græcis in omni magistratu monarchicum regimen esse optimum.

f, *De Sum. Pont. cap. 5. lib. 1.* g, *loco citato Art. 2.*

7 Spalatensis h carpit Theologos nostros, quasi ex eo, quod Monarchicum regimen reliquis Reip. formis anteferendum sit, male deducta consequentia, visibilem monarchiam in ecclesiam inuehāt, ita enim scribit; Et quoniam multis nominibus ciuile monarchicum regimen ex philosophicis, politicisq; rationibus, Deo etiā ipso proculdubio hominibus, quod ipsis optimum est, inspirante reliquis Reipub. formis, vt plurimum antefertur; hinc fit, vt nostrates Theologi, satis male deducta consequutione in Ecclesiam quoque Monarchiam visibilem inducant.

h, *in procmio libri primi de Repub. eccl. nu. 1.*

8 Sed Borcerius i non male Theologos nostros in hanc conclusionem collimare, ipsius Spalatensis testimonio, atque ipsa sua argumentandi forma facile ostendit. Maior enim sui argumenti præmissa, proprijs nuper citatis verbis expressa, hæc est. Monarchicum regimen Deo ipso inspirante optimum

est,

est, ac reliquis omnibus Reip. formis longe anteferendum. Hæc ex suis verbis clara est, & perspicua. Alteram vero minorem præmissam exerit [k] his omnino verbis conceptam. Nemini dubium est, neque esse potest; quin & potuerit, & voluerit Saluator noster Iesus Christus ecclesiam suam ea ratione, & modo gubernare, qui sit omnium optimus, & vtilissimus. Hæc sua ipsissima verba sunt, quibus nihil prorsus additum, nihil immutatum est. Iam vero si rectam, ac necessariam ex his conclusionem inferat, quænam illa erit? Non alia profecto, quam ea ipsa, quæ tibi ex verbis tuis colligenda relinquitur, nimirum, ergo nemini dubium est, neque esse potest, quin & potuerit, & voluerit Saluator noster Iesus Christus, ecclesiam suam monarchico regimine gubernari, quod Deo inspirante, omnium optimum est, & vtilissimum.

i, in censura paraenetica in procemium. k, ibid. nu. 3.

SECTIO XXV.

SYNOPSIS.

1. Locus Danielis declaratus, 2. Quomodo Daniel supplicium Nabuchodonosor Dei sententia constitutum auerti posse existimauit, 3. D. Hieronymi explicatio huius quæstionis.

AD-

ADVENIVNT NOBIS DIES POENITENTIÆ, AD REDIMENDA PECCATA, AD SALVANDAS ANIMAS.

1 ITa Ecclesia in Quadragesima: sic Daniel. 4 Regi Nabuchodonosor, *Peccata tua Elemosynis redime*; pro redime chald. est abrumpe q.d. Resipisce, inchoa nouam vitam, mutando crudelitatem in clementiam, & misericordiam, inquit Caluin. additque, ergo male Papistæ ex hoc loco probant actus suos pœnitentiæ, & satisfactionis. Verum S. Hieronym. Theodor. Vatabl. omnesque alij vertunt, redime. Et Chald. perue, non tantum abrumpere, sed & redimere significat, vt scribit hic Cornelius a Lapide; idque patet ex serie orationis Danielis. Vult enim ipse non futura, sed præterita regis peccata ab eo ita dirumpi, frangi, destrui, & redimi, vt pro ijs ipse Deum placet per pęnitentiam, & elemosynas. Vnde Caluinus veritate conuictus, tandem concedit posse sic verti, peccata tua elemosynis redime, sed excepit, hanc redemptionem apud homines intelligendam esse, non apud Deum q. d. Redde pauperibus, quæ illis per vim, & iniuriam eripuisti, vt illis damnum sarcias, & restituas. Verum hic est actus iustitię; Daniel autem suadet actum misericordiæ, subdit enim, & iniquitates tuas misericordijs pauperum. Rursum Daniel

niel non vult hominibus, sed Deo à rege satisfieri. Deum enim excelsum illi hanc plagam inflixisse, ideoque ab eo timendum, & placandum esse docuit, dicens, *b* Donec scias quod dominetur excelsus super regnum hominum.

a, *cap.* 4, *v.* 24. b, *ibid. vers.* 12.

2 Hic Pererius mouet quæstionem, quomodo scilicet Daniel, supplicium Nabuchodonosor Dei sententia, & decreto cōstitutum largiendis elemosynis auerti posse existimauit; & respondet duplex esse genus diuinæ prædictionis, alterum ex absoluta, & efficaci voluntate Dei profectum, quod omnino impletur, & ad effectum peruenit: Hoc vocant Theologi Scholastici propheciam prædestinationis: Alterū genus diuinæ prædictionis pertinet ad promissiones, & cōmunicationes Dei intelligendas, vtique cum quadam conditione, quæ si aderit, prædicta euenient, sin aberit, non euenient: Has prædictiones Theologi appellant prophetias comminationis. Exemplum autem huiusmodi prædictionum, tam ad promissiones, quam ad comminationes Dei pertinentium, extat luculentissimum apud Hierem. *c* fortasse igitur Daniel dubitauit, an diuina prædictio supplicij Nabuchodonosor, ad hoc posterius prędictionis genus pertineret, & similis esset prædictioni illi, quam Isaias de morte Ezechiæ, & ei, quam Ionas de euersione Vrbis Niniuę pronunciauerant.

c, *cap.* 18.

Hanc

3 Hanc sententiam D. Hieronymus, hunc locum Danielis exponens, his verbis expressit; *si prædixit sententiam Dei, quæ non potest mutari, quomodo hortatur ad elemosynas, vt Dei sententia mutetur? quod facile soluitur Ezechiæ regis exemplo, quem Isaias dixerat esse moriturum, & Niniuitarum, quibus dictum fuerat, adhuc quadraginta dies, Niniue subuertetur; & tamen ad preces Ezechiæ, & Niniuitarum, Dei sententia commutata est, non vanitate iudicij, sed eorum conuersione, qui meruere indulgentiam. Alioquin & in Hieremia loquitur Deus, se mala minari super gentem, quæ tamen si bona egerit, minas se clementia commutare. Rursum, bona agenti se asserit polliceri, quæ tamen si mala fecerit, dicit se suam mutaturum sententiam, non in homines, sed in opera, quæ mutata sunt. Neque enim Deus hominibus, sed vitijs irascitur, quæ cum in homine non fuerint, nequaquam punit, quod mutatum est.*

SECTIO XXVI.

SYNOPSIS.

1. *Quomodo dicatur Deus dissimulare peccata hominum.* 2. *Semper in hac vita haberi potest gratia pœnitentiæ.* 3. *Quod peccator expectetur a Deo, vt corrigatur, eximia est ipsius Dei misericordia.*

AP-

APPROPINQVAT TEMPVS, QVO DEI MISERICORDIA EOS TANDEM CONVERTAT, QVOS SERA EIVS VLCISCENDI VOLVNTAS DIV TOLERAVIT.

1 DEus ſuam commendare volens patientiam, *Tacui*, inquit, *ſemper, ſilui, & patiens fui* [a] quaſi non poſſet eam aptius laudare, quã ex ſilentio diuturno, quo diſſimulabat peccata hominum propter pęnitentiam. [b] Diſsimulatio Dei, vt ait Lorinus, [c] eſt non punire, vel æterna pęna, ſimul atque quis commeretur, vel etiam temporali; certe, non quanta debetur. Propter pœnitentiam, aut ſuperuenientem, ita vt idcirco pœna æterna commutetur in tẽporalem; aut vt detur tempus pęnitendi. Porro ſequitur, peccati mortalis remiſsionem eſſe ſingulare gratiæ beneficium, quod confertur homini pęnitentiam agenti, diuerſum a pęnitentia, hoc eſt, a gratia contritionis, ſiue dilectionis Dei ſuper omnia, per quam diſponitur ad ipſam remiſſionem ſuſcipiendam. Hoc, inquit ipſe Lorinus, quod veriſſimum eſt, & a S. Thoma probatum, & fuſe a Suarez alijſq; paſſim traditum, ac probatum, ſequitur ſi *diſſimulare* hic ſumamus pro remittere, & *propter pœnitentiam*, pro diſpoſitione, atque pro cauſa, quę moueat Deum ad remittendum. Quod ſi alius teneatur

neatur sensus, fiet solum, vt intelligatur dilatio pęnæ, vt sit homini locus ad pęnitendum iuxta illud. b *Benignitas Dei ad pęnitentiam te adducit, & expectat Dominus, vt misereatur vestri.*

a, *Isai.* 42. b, *Sap.* 11. c, *in eundem locum*, d, *Isa.* 30.

2 Præterea colligi potest, sequendo præsertim secundum sensum, semper in hac vita haberi posse gratiam pęnitentię sufficientem ad remittenda peccata, quamlibet multa, & grauia sint; licet aliqui sint arbitrati eum esse posse cumulum, vt iam quis non valeat eam sufficientem pęnitentiam agere, qua exeat a statu peccati, quia non detur ad hoc sufficiens gratia personæ alicui particulari, quamuis alteri in æqualibus peccatis constituto, vel etiam in maioribus tribuatur; *quoniam cuius vult Deus miseretur, & quem vult, indurat*, vt ait Apost. e Explicat, & refellit sententiam istam diligenter Suarez f demonstrans illam, quæ hinc deducitur, estque omnino melior, & tenenda. Similia sunt Isaiæ, & Pauli allata testimonia: qui Paulus directe loquitur de duro, ac impęnitente corde, quod tamen Deus adducit ad pœnitentiam. Laudat Petrus g eandem Pauli sententiam de tanta Dei longanimitate, atque quod patienter agit Deus nolens aliquos perire, sed omnes ad pęnitentiam reuerti. S. Thomas citatus a Lorino oppositam opinionem erroneam vocat, fortasse si vel cumulo, & qualitate peccatorum obrui liberum arbitrium quis putaret; vel gratiam non habere tantam vim, vt per eam possit aliquis pœnitere;

tere; vel Deum decreuisse negare etiam sufficientem gratiam ad pœnitendum cuilibet ad certum numerum, aut qualitatem peccatorum peruenienti.

e, *Rom.9.* f, *3.p.Tom.4.Disput.8.sect.2.* g, *2.ep.3.*

3 Certe cum peccator expectatur a Deo, vt resipiscat, & corrigatur, eximia quædam, ac singularis Dei misericordia censenda est, de qua Hieremias h: *misericordia Domini quia non sumus consumpti, quia nõ defecerunt miserationes eius.* Atque hac miseratione Dauid, alijque eius similes, & ipse Paulus Apostolus salutem consequuti sunt, qui hac seclusa misericordia omnino perituri erãt. Quanti autem hæc misericordia facienda sit, luculenter docet Bernardus i; & licet illic paruam nominet huiusmodi misericordiam, tamen non paruã dicit in se, sed aliarum comparatione; quia hæc siquidem sola fuerit, nullatenus sufficit ad salutem.

h; *Tren.3.* i, *Serm.de tripl.miser.ex quat.miser.*

SECTIO XXVII.

SYNOPSIS.

1.& 2. *Locus Eccl. declaratus.* 3. *Opinio Copernici de terre motu perenni ab Ecclesia damnata.* 4. *Olim vita longa magnum iustorum premium.* 5. *Impijs Deus vitam, quæ longa alioqui esse debebat, breuem efficit.* 6. *Cur vita Principum breuior.* 7. *Causa breuitatis vitæ summorum Pontificum.* 8. *Locus libri Reg. explicatus.* 9. *Locus Cant. Ezechiæ declaratus.*

· HVMANÆ VITÆ BREVITATEM VOBIS IPSI OB OCVLOS PROPONITE: COGITATE NOS INSTAR AQVÆ DILABI, AC VITAM NOSTRAM, VELVT A TEXENTE PRÆCIDI.

1 *Eneratio vadit, & generatio venit, & terra in seculum stat* [a]. Declarat Hieron. *Alijs morientibus, nascuntur alij, & quos videras, non vides; incipis videre, quos non videras. Quid hac vanius vanitate, quam terram manere, quæ hominum causa facta est, & ipsum hominem terræ Dominum in puluerem repente dissolui?* O cæci, ò miseri, quos fucatus terrenorum bonorum splendor & voluptas ita seducit, vt Deum terræ posthabeant? stultorum infinitus est numerus, ait Salomon [b] & D. Hieron. *Tantus est numerus stultorum, vt supputatione non queat comprehendi.* LXX. vertunt, imminut, aut verius, imminutio non poterit numerari. Etenim qui se a terræ blandimentis sinunt seduci, sunt imminuti, quos latini vocant capite imminutos.

a, *Eccl.* 1. b, *ibidem.* v. 15.

2 *Terra autem in seculum, vel æternum stat.* Lorinus. Non est per se de quiete sermo, quæ motui locali opponitur, sed de quadam quasi incorruptione, qua secundum se tota non corrumpitur, ac veluti commune receptaculum, siue diuersorium, abeuntes,

tes,redeuntesque res generabiles, & corruptibiles excipit. In Hebræo habetur: Terra autē in æternum fixa, & consistens est. Et sic hæc editio consistentiam,ac statum motui oppositum significat.

3 Hinc colligitur,opinionem illam,quæ auctores habet Pythagoricos, & sectatores Copernicum, & alios citatos a Lorino [c],terram scilicet naturali perēni motu moueri,periculosam, & fidei repugnantem videri posse. Hanc sententiam falsitatis, ac temeritatis conuincit inter alios Clauius [d],& Pineda. [e] Hęc opinio nouissime damnata est a Sancta Ecclesia.

c, *In Act. Apost. cap.* 4. d, *in sphær. capit.* 1. e, *in Iob. cap.* 9.

4 Longa olim vita magnum iustorum erat præmium. Iob. [f] *Ingredieris in abundantia sepulchrum;* seu, vt Vatablus,& Pagnin. ex Hebreo transferunt, In senectute, quæ est veluti quædam bonorum omnium abundātia; vnde ex tribus illis fratribus Moyse, Aarone,& Maria, primo loco Maria, secundo Aaron, tertio Moyses obierunt; ordine scilicet sanctitatis,interprete Procopio; vt quo quis maiorem sanctitatem colebat, eo longiorem vitam propagaret, quæ in lege veteri magni loco præmij dabatur; ita plane impijs mors immatura contingebat, iuxta illud [g]: Viri sanguinum, & dolosi non dimidiabunt dies suos. Sic Mendoza. [h]

f, *Cap.* 5. g, *Psal.* 54. h, *Com. in 1 lib. Reg. cap.* 2. *num.* 31.

5 Qui etiam ad hanc rem illustrādam exemplum aptissimum ex D. Bernardino refert in Catalonia, nempe iuuenē quendam annos natum viginti duos,

pa-

parentis monitionibus rebelle, tandem ob commissa latrocinia ad capitale supplicium damnatum; sed suspensum è patibulo, qui erat imberbis, subito barba, & capite non minus, quā senem nonagenarium incanuisse; editumque ab Vrbis Episcopo, eum, si parenti obtemperasset, & a latrocinijs abstinuisset, ad nonagesimum ætatis annum fuisse peruẽturum. Vides, vt malefacta vitæ telam præscindant, & antequam ad senectutem perueniatur, iuuentutis fila interrumpant. Recte igitur Seneca.[i] Non accepimus, inquit, breuem vitam, sed facimus; non inopes temporis, sed prodigi sumus.

i, lib.6.de breuitate vita, c.1.

Sicut Deus Ezechiæ ob pietatem adiecit 15. annos, ita eosdem impijs dēpsit. Sic Anastasius Imperator, ait Zonaras, vidit virū terribilē cum libro, qui ei dicebat, ecce ob peruersitatem fidei tuæ, annos quattuordecim vitæ deleo. Cumque oraculo didicisset sibi in igne pereundum, cisternam, quæ frigida dicitur, multis meatibus in palatio aperuit, vt ea ignem, si ingrueret, restingueret, sed frustra, nam igne celesti, puta fulmine, extinctus est. Cornelius a lapide. [k]

k, In cap. 38. Isa.

6 Quæri hic posset, cur vita Principum breuior esse soleat, iuxta illud Ecclesiast. [l] *Omnis potentatus uita breuis*. Vnde Iosephus, qui inter fratres penultimo loco natus est, primo loco obijt, vt patet Gen.[m] quia omnium princeps fuit. Respondet idem Mendoza

doza, id accidere, vel quia cupiditatibus habenas laxant, vel quia pluribus hostium insidijs patent, vel quia grauioribus curis exeduntur.

l, *cap.* 10. m, *cap.* 50.

7 Quod autem spectat ad summos Pontifices, Rodericus n ex Petro Damiano refert, ipsum respondisse Honorio summo Præsuli, qui eum interrogauerat de causa breuitatis vitæ summorum Pontificum, se credere diuinam prouidentiam ita disponere, vt humano generi mortis metum incutiat, & quã despicienda sit temporalis vitæ gloria, in ipso gloriæ principatu ostendat, quatenus dum præcipuus, & supremus omnium hominum, tam angusti temporis compendio moriatur, tremefactus quisque ad prestolandi sui obitus custodiam prouocetur. Et arbor humani generis, dum cacumen, & verticem suũ tam facile corruisse considerat, flatu concussa formidinis, in suis vndique ramusculis contremiscat. In Papa præcipue id, & non in alijs Regibus ita frequenter accidit, quia cum Rex quilibet moritur, solum eius Regnum destituitur administratione; cum vero sedis Apostolicæ Pontifex diem suum claudit, vniuersus veluti communi patre mundus orbatur. Sed legat ipsum Rodericum, qui plura scire exoptat.

n, *In speculo humanæ vitæ, De statu populi cap.* 4.

8 Nos instar aquæ dilabi verba Bullæ sumpta ex lib. Reg. o prolata a Thecuitide, quæ aquarum similitudine significauit, vel Absalonis mortem non accelerandam, cum cito aquarum instar omnes mor

te

te dilabamur, vel non posse ad vitam reuocari Amnonem mortuum, sicuti neque aqua effusa rursum cogitur, vt e Procopio scribit hic Serarius.

o, *Lib.2.cap.14.*

9 Ac vitam nostram velut à texente præcidi, ex cant. Ezechiæ. *p* Non inepta, inelegansve est hæc similitudo telæ cum vita nostra: nam fila, quibus texitur, torquent, & nent Parcę, & non tantum annis, sed horis, minutissimisque particulis, atque momẽtis, veluti tenuissimis filis constat, non semper ęqualibus; cuius enim vita hominis non est plerumque, aut multoties dispar, dissimilisq; sui, nunc crassior, nunc tenuior, nunc in diuitijs, mox in paupertate, modo in salute, deinde in ægritudine? Textor igitur tempus, quod, non sicut Penelope, quod interdiu texit, retexit noctu; sed non minus texit noctu, quam interdiu, nunquam interquiescẽs. Sic Paez, *q* quod totum prosequitur D.Greg. *r*

p, *v.5.* q, *in Com. dicti cant.* r, *8.moral. c.7.*

SECTIO XXIIX.

SYNOPSIS.

1. Iubileus in centesimo, quinquagesimo, trigesimotertio, & in vigesimoquinto celebratus. 2. De Iubileo centesimi anni dici potest quod de ludis secularibus.

ET

ET QVAMVIS NONNVLLI EX ROMANIS PONT. PRÆDECESSORIBVS NOSTRIS EIDEM IVBILEI ANNO CONCELEBRANDO PRÆSCRIPTVM OLIM TEMPORIS SPATIVM PROVIDE ARCTANTES, IAM SOLEMNEM CVLPARVM REMISSIONEM, DIVINÆQVE IVSTITIÆ DEBITARVM POENARVM RELAXATIONEM INTRA ANGVSTIORES ANNORVM LIMITES CONTRAXERINT, NIHILOMINVS OB PAVCITATEM DIERVM NOSTRORVM PAVCIS ILLAM REDITVRAM PVTANTES.

1 IVbileus centesimo quoque anno celebrandus, vti vidimus, a Bonifacio VIII. institutus est: A Clemēte VI.ad quinquagesimum annum; Ab Vrbano VI.ad trigesimum tertium; & tandem a Paulo II. ad vigesimum quintum reductus; sed ante Bonifacium hanc centenariam remissionem,quę conceditur Romam venientibus, & visitantibus honorabiles Basilicas Principum Apostolorum fuisse concessam, & vsu receptam, ac frequentatam probat Benzonius, vt dictum est supra; vbi etiam vidimus, tempore Bonifacij octaui

 mul-

multos seniores repertos esse, qui de antecedenti Iubileo, & eius causa, de concursu ad Vrbem in prælapso cētesimo perhibuerunt. Adducit Benzonius [a] pulchras congruentias, cur Iubileus in centesimo, & quinquagesimo, & in vigesimoquinto anno celebratum fuerit, atque etiam in trigesimo tertio.

a, *lib.3.cap.6.*

2 Terminus centum annorum erat nimis longus, & vita hominum tam breuis, vt de Iubileo idem dici, quod olim de ludis secularibus, potuerit; quod eos præsentium nec spectarit quisquam, nec spectaturus sit. Preco namque, vt ait Suet. [b] hos ludos seculares Romæ publicare hisce verbis solebat. *Conuenite ad ludos spectandos, quos neque spectauit quisquam, neque spectaturus est.* Affirmat Zerola [c] se audiuisse a Prælatis fide dignis, quod Gregor. XIII. sæpius dixerit se reducturum annum sanctum Iubileum ad decimum quintum quoque annum, nisi morte præuentus fuisset, propter vitæ humanę breuitatem.

b, *in Claud.* c, *De Iubileo lib.2.cap.9.*

SECTIO XXIX.

SYNOPSIS.

1.2.& 3. *Locus Isaiæ, Quæramus Dominum, dum inueniri potest, inuocemus eum, dum prope est, diuersimode explicatus.*

QVÆ-

QVÆRAMVS DOMINVM, DVM INVENIRI POTEST, INVOCEMVS EVM, DVM PROPE EST.

1 Erba sumpta ex Isaia *a*, quæ a S.Hieronymo referuntur ad Iudæos, qui erant tempore Isaiæ; q.d. Vos ô Iudæi, qui non estis Christum audituri, eiusque fœdus accepturi, audite me, aliosque Prophetas suadentes vobis pœnitentiam, sanctamque conuersationē in hac vita, vt per eam inueniatis Deum, dum tempus habetis pœnitentiæ. Forer. hæc refert ad Iudæos, qui fuerunt tempore Christi, & Apostolorum, vsque ad eorum excidiū per Titum. Toto enim hoc tempore prope eos erat Christus Dominus, vt salus; q.d. Prope est Christus, nam inter vos viuit, & conuersatur; ergo eum audite, & acceptate, ne, eum transierit, frustra requiratis eum.

a, *cap*. 55.

2 Cornelius a Lapide hic asserit, prophetam loqui omnibus hominibus, tam Gentibus, quam Iudæis. Omnibus enim a Deo propositus est Christus, & salus. Tempus ergo, quo hæc inueniri possunt, & prope sunt, est tempus legis nouæ, quod proinde Apostolus *b* vocat tempus acceptabile, & diem salutis, de quo & Christus ait, Regnum Dei intra vos est. Hoc etiam iussit Apostolos prædica-

re, dicendo pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum Dei. Quocirca recte ecclesia vsurpat hęc Isaiæ verba tempore Quadragesimę, ijsque quotidie monet fideles, vt quærant Dominum, cuius passio, redemptio, & resurrectio instat, & prope est. Recte etiam his eisdem verbis vtitur S.D.N. in hac Bulla sancti Iubilei, vt fideles quærant Dominum, cuius passionis applicatio per sanctum Iubileum instat, & prope est.

b, 2. Corint. 6.

3 Chaldæus denique, tempus quo Deus prope est, & inueniri potest, accipit tempus huius vitæ, vsque ad mortem enim pœnitere, Deoque reconciliari possumus. Totum enim hoc tempus est misericordiæ; quod sequetur, erit iudicij. *Neque enim tunc erit inuocandi tempus, quando nemini proximus erit Deus; sed alijs quidem præsens, alijs uero nimis ualde remotus*, ait S. Bernard. c

c, *Serm. 3. de Quadragesima.*

SECTIO XXX.

SYNOPSIS.

1. Ecclesia non ab Apostolis, sed a Christo Primatum obtinuit. 2. Romanæ Ecclesiæ fortitudo speciosa, & pulchra, & pulchritudo eius duplex. 3. Non minor Ecclesiæ fortitudo, quam pulchritudo. 4. Quot modis Romana Ecclesiæ fortitudo splendeat.

VE-

VENITE ERGO AD LOCVM, QVEM ELEGIT DOMINVS, ASCENDITE AD MYSTICAM HANC HIERVSALEM, TOT, TANTISQVE A DEO BENEFICIIS AVCTAM, TOT MVNERIBVS CVMVLATAM.

1 ANacletus a docet, quod Romana ecclesia, non ab Apostolis, sed ab ipso Domino Saluatore primatum obtinuit, & eminentiam potestatis super vniuersas ecclesias, ac totũ christiani populi gregẽ assecuta est. Gelasius, de hoc primatu præclara scribens, sic ait: Cuncta per mundum nouit ecclesia, quod sacrosancta Romana ecclesia de omni ecclesia fas habet iudicandi; neque cuiquam de eius liceat iudicare iudicio, si quidem ad illam de qualibet mundi parte appellandum est; ab illa autem nemo est appellare permissus; sed nec illa prætermimus, quod Apostolica Sedes sine vlla Synodo præcedente exoluendi quos synodus inique damnauerat, & damnandi, nulla existente synodo, quos oportuit, habet facultatem; & hæc nimirum, pro suo principatu, quem B Petrus Apostolus Domini voce, & tenuit semper, & retinebit. Vigilius Papa habet, nulli, vel tenuiter scienti, vel pleniter scienti dubium est, quod ecclesia Romana fundamentum, & forma sit ecclesiarum, a qua omnes ecclesias principium

pium sumpsisse, nemo recte credentium ignorat; quoniam licet omnium Apostolorum par esset electio, B. tamen Petro concessum est, vt ceteris præmineat, vnde & Cephas vocatur, quia caput, & primus est omnium Apostolorum; & quod in capite præcessit, in membris sequi necesse est. Quamobrem S. Romana ecclesia eius merito, Domini voce consecrata primatum tenet omnium ecclesiarum; ad quam tam sancta Episcoporum negotia, atque querelæ, & iudicia, quam & maiores ecclesiarum quęstiones quasi ad caput, semper referendę sunt.

a, *Epist.* 3.

2 Filius Altissimi Christus Dominus sponsæ suæ Ecclesiæ, catholicę, Apostolicæ, & Romanæ fortitudinem speciosam, & pulchram exprimere volens, *eam pulchram, & decoram sicut Hierusalem* appellat, quia pulchritudo Hierusalem ciuitatis, maximę iuncta fortitudini, terribilis simul, & mirabilis omnib. apparebat. Adeo vt ipse Titus Imperator huius captæ Vrbis inexpugnabilia munimenta, atque propugnacula nulli mortalium virium robori cedentia circumspiciens, exclamare stupendo coactus fuerit, Iosepho teste [b]: Vere Deus pro nobis contra Iudęos pugnauit, alias qua ratione inexpugnabilem hanc ciuitatem viribus nostris capere, atque domare potuissemus? sed vt fortissima, & inexpugnabilis viribus hominum, sic & formosissima, & pulcherrima omnium gentium, tamquam miraculum mũdi oculos in sui admirationem rapiens habebatur. Sed hęc spe-

speciosa facies, atque pulchritudo Hierusalem terrestris, vmbra, & figura tantum erat Romæ Sanctæ, atque spiritualis, Ecclesiæ dico Romanæ, sedisque Apostolicæ. Cuius pulchritudo admirabilis, planeque diuina in sanctitate vitæ, rectitudine fidei, doctrinæque christianæ puritate collocata, tanta omni æuo existit, floretque semper, nunquam desitura, vt ad eam turpitudo erroris cuiuscunque, atq; deformitas improbitatis vitæ nullo vnquam momento temporis accedere potuerit. Pulchritudo hęc duplex, sanctitas vitæ, & veritas doctrinæ diuinæ.

b, *lib.5.de bello.Iud.c.32.lib.6.c.21.l.7.c.10.*

3 Sed nō minor est Ecclesię fortitudo, quam pulchritudo; vtriusque virtutis maxima societas, & amica coniuratio; *Hoc habet auctoritas matris Ecclesiæ, hoc fundatus veritatis canon, contra hoc robur, contra hunc inexpugnabilem murum quisquis arietat, ipse cōfringitur*, clamabat Aug. c sagittæ paruulorum factę sunt plagæ eorum d, quia sicut paruuli brachiorū robore, & fortitudine neruorum destituuntur, quibus sagittas, telaque fortiter contorqueant, & eiaculentur; sic hæretici, sic schismatici, sic nefarij reliqui hostes Ecclesiæ contra eius robur, ac fortitudinem, non nisi languidis, & irritis conatibus arietāt, sagittasque furoris, atque dementiæ sine vllo roboris neruo iaculantur. Non aliter quam miserabilis ille Priamus e grauis annis, senioque confectus, in Pyrrhi clypeum, *imbelle telum sine ictu coniecit, rauco quod protinus ære repulsū, et summo clypei nec quidquam*

quam vmbone pependit. Sic Mauclerus *f*; apud quem Lector videre potest plura alia de fortitudine, & pulchritudine Ecclesiæ Romanę.

c, *Serm.* 15. *de verbis Apostoli* d, *Psal.* 63. e, 2. *Aeneid.* f, 2. *p. lib.* 8. *cap.* 12.

4 Splendet Romanæ Ecclesiæ fortitudo, vt notat Stapletonus, g Primo, aduersũ persecutiones Ethnicas. 2. aduersus hęresum persecutiones. 3. contra schismata, & cruces domesticas. De persecutionibus ethnicis; quis non videt Romanos illos Imperatores, qui totis primis trecentis Imperij Romani annis orbi imperarunt, in hanc maxime ecclesiam Romanam, eiusque Pontifices totis quasi collectis viribus, ac copijs sęuijsse? viginti septem Pontifices a B. Petro, & Paulo auspicati trucidarunt. Nec ciues tantum Romani, sed & celebriores alij Christiani Romam mactandi mittebantur. Ita vt vna Roma mactandis Christi ouibus generale quasi macellum erat. Nec vsquam terrarum Christianus sanguis vberius effusus est, quam in vna vrbe Roma; sedata hac persecutionis ethnicæ tempestate, & per christianos Principes pace Ecclesijs reddita, Hæreses postea, & atroces, & variæ, & Imperij Romani viribus armatæ, sequentibus seculis ipsam Romanam Ecclesiam certatim infestarunt, & erat hæc pugna acerbior, quia aduersus domesticos, & sub specie communis fidei latentes hostes. *Persecutor, quippe Paganus*, vt scribit S. Augustinus *b*, *aperte sæuit, ut Leo, hæreticus insidiatur, vt draco. Ille cogit negare Christum, iste docet;*

cet; ille ingerebat violentias, iste insidias; aduersus illum opus erat patientia, aduersus hunc opus est vigilantia. Sed ecclesia Romana qua aduersus paganos patientia inuicta, eadem aduersus hæreticos vigilantia solerti vsa est; & quæ vicit leoné, vicit & draconem, iuxta illud Propheticum *i*: *Conculcabis Leonem, & Draconem*. Dracones iugulatos ab ecclesia Romana numerat Stapletonus. Præter hanc duplicem rabiem Leonis, ac Draconis a Romana ecclesia per sexdecim iam secula conculcatam, super aspidem, quoque, & basiliscũ ambulauit, seculi ambitionem variam, a qua multa quoque, & acerba passa est, fortissime superauit; Patriarchas scilicet Constantinopolitanos, Imperatores, & ipsius ecclesiæ Romanæ schismata, vt videre licet apud ipsum Stapletonum.

g, *De magnitudine Rom. Eccl. lib. 1. cap. 6. 7. & 8.* h, *Ennarat. in Psal. 39.* i, *Psalm. 90.*

SECTIO XXXI.

SYNOPSIS.

1. *Locus Psalmi declaratus.* 2. *Alius explicatus.* 3. *In fine Psalmorum dicebatur olim gloria, & honor Patri.* 4. *Abbas Ioachim scripsit contra Magistrum sententiarum, non tamen hæreticus.* 5. *Quomodo accipiatur adoratio.* 6. *Locus adorationi, & orationi opportunior.* 7. *Cur in Templo potius orandum.* 8. *De adoratione Romani Pontificis.* 9. *Fridericus stratoris officium exhibuit Adriano IV.* 10. *Cur Papa gestet sandalia Cruce insignita.* 11. *Eleuatio Romani Pontificis antiquissima.* 12. *De tribus coronis, quibus Pont. Max. coronatur.* 13. *Quid Constantinus donauerit Syluestro Papæ.* 14. *Huius donationis argumentum.* 15. *Ammianus Marcellinus quid de honore exhibito Rom. Pontificibus.*

VT VERE DE EA DICATVR FLVMINIS IMPETVM LÆTIFICARE CIVITATEM DOMINI, COELESTIVM NEMPE FLVMINIS GRATIARVM, CVIVS OPPORTVNA IRRIGATIONE FIDELIVM ANIMÆ FOECVNDANTVR. VENITE, ET AFFERTE DOMINO GLORIAM, ET HONOREM, AFFERTE DOMINO GLORIAM NOMINI EIVS, ADORATE DOMINVM IN ATRIO SANCTO EIVS.

1 FLuminis impetus lætificat ciuitatem Dei, Dauid [a]. Ecclesiam Dei Patres interpretantur, quæ dici solet ciuitas, quam Spiritus Sanctus gratiæ fluentis suis lætificet, ita vt flumina etiam de credenti *fluant aquæ viuæ*, id est anima illius omni gratiæ copia abundet, ac nihil ei desit, sed alijs etiam communicare valeat. Flumen verbi Anastasius Sinaita [b] interpretatur, quo irrigetur ecclesię paradisus. *Velociter currit sermo Dei*, ima petit, humilitatem docendo, fęcundat aridam animę terrã, quadam velut alluuione corrodit, & consumit, quod in corde terreum est. Sitim extinguit peccandi, expletque appetitum, submergit profunda scrutantes, munit, & circumuallat tanquam muro.

a, *Psal.*45. b, *lib.*3. *in Hexam.*

Quod

Quod attinet ad vim gratię, de qua communior est expositio, & in quo sensu accipitur hic in Bulla, Carthusianus citatus a Lorino,[c] innuit illius impetu lætificatam Ciuitatē Dei, quæ est Maria, ita vt ab ea fugaret originale peccatum, nec impetum illum for tissimum ferre posset, ignauum timidumque peccatum videlicet, quo etiam non præueniretur. De cœlesti Ciuitate locus hic quoque intelligi mystice potest, sicut & in ea describitur flumen esse chrystalynum, propter beatorum copiosam voluptatem.

c, *in Psalm. dictum.*

2 Afferte Domino gloriam, & honorem, Dauid[d]. Magna gloria hominis, honorque, quod magnus Dominus gloriam sibi, & honorem dignetur afferri ab eo, qui terra, & cinis est; immo quod exigat etiā dicens; filius honorat Patrem, si ergo Pater ego sum, vbi est honor meus. Malac.[e]

d, *Psal.*28. e, *cap.*1.

3 In Concilio Toletano IV. decernitur sub communionis iactura, idest sub excommunicationis pœna, vt in fine Psalmorum, non sicut eo vsque a quibusdam, Gloria Patri, sed Gloria & honor Patri diceretur, quia sic Dauid dixisset; *Afferte Domino gloriam, & honorem*, & quoniam Ioannes Euangelista[f] audisset vocem cęlestis exercitus, dicentem; *Honor, & gloria Deo nostro, sedenti in throno;* vt propterea, hæc duo sic oporteat in terris dici, sicut in cœlis resonant. Eodem vero modo dicitur in missa Mozarabum, quæ appellatur etiam S. Leandri, & qua vsa

est Hispania vsque ad tempora Alphonsi VI. Sed Concilium fuit prouinciale, & ecclesia nunc omnis omisit nomen honoris.

f, *Apoc. cap. 5.*

4 Verbum, *Afferte*, reperitur quater, vt ait Hugo Cardinalis, ob tres personas Trinitatis, & essentiam vnam. Damnatus fuit ab Innoc. IV. g & reprobatus libellus, seu tractatus, quem Abbas Ioachim edidit contra magistrum Petrum Lombardum, de vnitate, seu essentia Trinitatis, appellans ipsum hæreticum, & insanum; pro eo quod in suis dixit sententijs, quoniam quædam summa res est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, & illa non est generans, neque genita, neque procedens, vnde asserit, quod ille non tam Trinitatem, quam quaternitatē astruebat in Deo, videlicet tres personas, & illā cōmunem essentiā quasi quartam; manifeste protestans, quod nulla res est, quæ sit Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, nec est essentia, nec substantia nec natura, quamuis concedat, quod Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus sunt vna essentia, vna substantia, vnaque natura. Verum vnitatem huiusmodi, non veram, & propriam, sed quasi collectiuam, & similitudinariam esse fatetur; quemadmodum dicuntur multi homines vnus populus, & multi fideles vna ecclesia iuxta illud. h *Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna*, sed tamen ipse Abbas non fuit condemnatus in illo Concilio, vt hæreticus, quia protestatus fuit ipse Ioachim se tenere fidem

ecclе-

ecclesiæ. Proteſtatio ipſius extat in Directorio Inquiſitorum. *i*

g, *in Conc. Lateran.* h, *Act.*4. i, *com.in cap.*2.*p.*1.

5 *Adorate Dominum, &c.* Adoratio præter genuum, & corporis incuruationem ſumitur etiam pro reliquo cultu religioſo, & pro ſacrificijs. Triplex eſt adoratio ſacra, Latria, Dulia, & Hyperdulia. Adoratio Latriæ eſt, quæ tribuitur propter excellentiam increatam, & diuinam, & hac adoratione adoratur Deus. Adoratio dulię eſt, quę tribuitur alicui propter excellentiam creatam, ordinis tamen ſuperioris, & ſpiritualis, & hac adoratione adorantur homines, & Angeli ſancti. Quod ſi hęc excellentia fuerit excellens, & longe alias ſuperans, res, quę propter illam adorabitur, adoratione hyperdulię dicitur adorari; hyper. enim in compoſitione auget apud Gręcos ſignificationem, quemadmodum per aut quam apud Latinos; vnde hyperdulia idem erit quod excellens dulia; ſic Puiol. *k* qui etiam reſpondet hęreticis, & Vallę ipſis hęreticis fauenti, qui huiuſmodi diuiſionem adorationis irrident.

*k, de ſacro adorationis cultu diſput.*2 *.ſect.*4.

6 *In atrio ſancto eius.* Hinc diſcimus opportuniorem adorationi, & orationi locum eſſe religioſe ad hoc ipſum conſecratum. Nec eſt dicendum eſſe ſuperſtitionem orare in templo potius, quã alibi, quia Salomon ad hunc finem non inſtituiſſet templum; neq; Deus approbaſſet factum eius; ſuperſtitio enim nunquam fuit licita. Pręterea legitur, *l Domus mea*

domus

domus orationis vocabitur, & confirmat hoc ipsum Dominus. [m] Neque obstat verbum Domini; *Intra in cubiculum tuum*, vel *venit hora, quando nec in monte hoc, nec in Hierosolymis adorabitis, &c.* Nam post illa omnia Dominus dixit de templo Salomonis; *Domus mea domus orationis vocabitur*. Sic Bellarminus. [n]

l, *Isai.56.* m, *Matth.21.* n, *De cultu sanct.lib.3.c.4.*

7 Qui etiam id probat exemplis scripturarum, ex Patribus, & his rationibus. Prima ratio: Deus est in templo magis, quam alibi. 2. Deus in templo citius exaudit, vt patet ex promissione Dei *o* 3. quia oratio est res nobilissima, & proinde ei debetur locus nobilissimus, qualis est locus sacer. 4. quia in Ecclesia sunt omnia accommodata ad excitandam deuotionem, quæ orationi maxime necessaria est, nam altaria, cruces, imagines, reliquiæ, ipsi etiã parietes Deo dicati mouent ad pietatem, quæ certe alibi non inueniuntur. 5. quia in templis ordinarie præter Dei præsentiam, quæ est vbique, est etiam præsentia mediatoris Christi corporaliter in Eucharistia; quę certe auget spem, & fiduciam orantis; & præterea non potest non incutere menti religiosæ honorem, & reuerentiam; nam vt Ioannes Chrysostomus docet *p*: *vbi est Christus in Eucharistia, ibi etiam non deest Angelorum frequentia; vbi autem est talis Rex, & tales Principes, ibi est cæleste palatium, immo cælum ipsum.*

o, *3.Reg.9.* p, *Homil.36.in 1.ad Cor.*

8 Quod ad adorationem Romani Pontificis, quæ modo

modo osculario pedum appellatur, spectat dicendum; esse perantiquum huiusmodi ritum in Ecclesia ab Apostolorum seculo reuerenter obseruatum, vt latissime probat Mauclerus [q], Valētinus, [r] & etiam Mazzaronus; [s] Mauclerus [t] ostendit inductione exemplorum summum honorem, reuerentiam, & obedientiam Prælatos Ecclesiæ, Imperatores, Reges, ac Principes Romanis Pontificibus præstitisse, eorum pedes reuerenter osculādo, & equorum, quibus vehebantur, fręna per deuotam humilitatem propria manu stratoris instar regendo. Memini me legisse apud Pangolium; [u] loci non recordor, Abissinos populos, qui Presbyteri, siue pretiosi Ioannis, vulgo Prete Gianni, subditi sunt, solitos exosculari pedes illorum, qui ex Romana peregrinatione ad ipsos redeunt.

q, *4.p.lib.6.cap.10.* r, *De osculatione pedum Summi Pontificis* s, *De osculo pedum Pont. Rom.* t, *cap.11.* u, *in lib. Reg.*

9 Fridericus, Romam adueniens, prætermisit officium stratoris exhibere Adriano IV. quamobrem, cum post oscula pedum ad pacis osculum deinceps accedere voluisset; Adrianus illum non admisit, causam addens; quandoquidem tu mihi illum, & consuetum honorem subtraxisti, quem orthodoxi omnes Imperatores prædecessores tui, pro Apostolorum Petri, & Pauli reuerentia, prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus exhibere vsque ad hæc tempora consueuerunt; donec mihi satisfacias, ego te ad pacis osculum non recipiam. Rex respōdebat,

se

se hoc facere non debere; Eapropter, remanente ibidem exercitu, totus sequens dies sub istius rei variatione decurrit. Tandem requisitis antiquioribus Principibus, qui cũ Rege Lothario ad Innocentium Papam venerant, & prisca consuetudine accurate, ac diligenter inuestigata, ex relatione illorum, & veteribus monumentis, iudicio Principum decretum est, & communi fauore totius regalis Curiæ roboratum, vt idem Rex pro Apostolorum Petri, & Pauli reuerentia prædicto Papę Adriano exhiberet stratoris officium, & eius suppedaneum teneret ad conscendendum equum. Die sequenti, motis ex condicto castris, Fridericus appropinquãti Adriano stratoris officium pręstitit, & sic ad osculum pacis admissus est. Coriolanus. x

x, *Loco cit. ad An. Domini* 1156.

10 Gestat Romanus Pontifex sandalia Cruce insignita, ex qua re in primis ipsius humilitas, atque demissio maxime commendari debet, qui cum omnes populos communi voto ad suos pedes adorandos propensos agnosceret, Cruci Christi osculationem potius, quam sibi ipsi tantum honorem deferri maluit, vt omnes christianos benigne ad oscula pedum exciperet. Itaque vt expressam Christi imaginem referret, & Saluatoris passionem in hominum memoriam redigeret, crucem Sandalijs affixit, vt Christiani homines eos honores, quos debitos, & necessarios Pontifici deferebant, Cruce perspecta, alacrius exhiberent. Valẽtinus y, qui etiam cum eis pu-

pugnam init, qui hanc crucem, quam Romani Pōtifices pedibus gestant, sibilis, atque conuicijs insectantur. Legatur etiam Mauclerus. z

y, loco citato. cap. 18. z, vbi supra cap. 12.

11 Eleuatio vero Rom. Pont. vt antiquissima, sic honorificentissima, argumento a minori ab eodem Mauclero iustificatur, etenim, inquit, si pro manifestanda terrenæ maiestatis excellentia, electi in Reges, & Imperatores apud gentiles, prophanosque populos in humeris eleuati portarentur; quanto iustius illud erit, si pro cælestis, spiritualisque gloriæ manifestatione id in Rom. Pontifice, ad maiorem Christi Domini reuerentiam, & honorem, cuius ille Vicarius est, cum puræ abundantia deuotionis obseruetur. Huius superstitionis, superbæque apud Ethnicos, & infideles eleuationis exempla affert ipse Mauclerus, qui a probat hanc eleuationem, atq; portationem significare fideles omnes, vt salui fiāt, Christum Dominum eiusque, salutare iugum in corporibus cordibusque suis debere portare. Valentinus b de hac eleuatione probat ex ordine Romano vetustissimo, ante Gelasium Papam conscripto, Rom. Pontifices præter vehicula, & carpenta, quib. publice per vrbem deferebantur, gestatoriam quoque sellam habuisse, quam lecticarij homines, suis humeris sustentabant.

a, cap. 13. b, vbi supra.

12 De tribus coronis, quibus sacratissimum Pont. Max. caput coronatur Mazzaronus c has rationes ex Cæsare Costa refert: Quia scilicet imperiũ Christi tribus floret linguis, Hebraica, Græca, & Latina. Solidatur per Chrys. d dicentem, ideo Sanctissimæ Crucis inscriptionem tribus his linguis fuisse explicatam. Et quoniam S. Pontifex Max. vnam ex illis coronis gerit, vt summus Sacerdos; aliam dono acceptam à Constantino, in quo subscribitur Innocen. III. e vltimam vti traditam a Clodoueo Francorum Rege, quod sequitur etiã Anastasius bibliothecarius Rom. Pontificis. Multæ aliæ mysticæ significationes excogitari possunt, vt illa ex Ægyptiorũ monumentis desumpta, vbi, vt legitur apud Pier. Valerianum f cernitur quædam mulier caput habẽs tribus regijs coronis insignitum, vt filiam, vxorem, & matrem magis repræsentet. Summus Pont. Ecclesiæ sanctæ præest, quæ eius filia itidem, vxor, & mater dici potest, & ideo tribus ipse coronis coronari debet. Dicitur siquidem filia, quoniam Pontifex Max. ratione prælationis, & auctoritatis, qua vt gubernator præest ipsi Eccl. eius pater dici debet. Dicitur mater deinde, quoniam cum Pont. Max. sicut ceteri fideles sit per baptismum regeneratus, & in Ecclesiæ gremio salutem obtineat, merito eius filius dici debet. Dicitur postremo vxor, & ipse sponsus appellatur, quia sicut quilibet Prælatus dicitur spõsus Ecclesiæ suæ particularis, g & a B. Callist. vxor Episcopi eius Ecclesia dicitur, in cuius signũ annu-

lum

lum portat; ergo a fortiori, Pont. Rom. vniuersalis Ecclesię sponsus dici debet.

c, *De Tribus Coronis Rom. Pont. cap. 3.* d, *super Ioan. 19.* e, *serm. 1. de B. Syluestro* f, *lib. 41. ad verb. Annulus* g, *cap. sicut alterius vxor 7. quæst. 1.*

13 Constantinus Magnus Imp. non in extrema senectute ab Ariano quodam Episcopo, sed ætate adhuc vegetiore a Syluestro Rom. Pont. Romæ baptizatus est, & a lepra miraculose curatus. Probat Coccius h ex Græcis, & Latinis Patribus, & etiam ex scriptoribus Ethnicis; qui etiam probat eundem Cõstantinum eidem Syluestro magnum honorem, & reuerentiam exhibuisse, eique, & successorib. eius Romam cum multis alijs donasse. Hanc donationẽ confirmant etiam Iudæi veteres. Abraham enim Leuita i sic scribit: *Ipse exijt Roma, & dedit eam sacrificis Idumæorum* (sic Christianos per contemptum appellat) *ad hanc diem ædificata Constantinopoli*. R. Abrahã Aben Esra, ad illa verba Danielis, *& super vllum Deum non intelliget*, sensum esse ait; decorauit locũ Romæ, quæ erat sedes eius, & reliquit eam iniquitati, quæ vocatur Petrus; sic impie de sanctis Apostolis loquitur. Affert denique Coccius diuersorum veterum testimonia de diuitijs Romanæ Ecclesię, ad confirmandam Constantini Magni donationem, cum ante illa tempora ecclesia illa pauperrima fuerit.

h, *De Hierarchia eccl. lib. 7. art. 9.* i, *in Chronico Iudaico, seu traditionibus memorabilium, de traditionib. secundæ domus, de Constantino.*

14 Huius donationis magnum est plane argumentum, inquit Coriolanus, k quod Francorum Christianissimi Principes suis ipsorum Diplomatibus, ea a Longobardis oblata, se Romanæ ecclesiæ restituere professi sunt, si enim Romana ecclesia ante collata illa a Francorum Regibus priuilegia iam potiebatur rerum dominio, vnde illud sibi nisi iure debitum potuit vendicasse, cum certum sit, nulla id factum armorum vi, atque violenta grassatione; silentibus præsertim, nec minimum quidem reclamantibus, qui tum regnabant in Oriente, Imperatoribus, alioquin in Rom. Ecclesiam parum æquis, quam ausi fuerunt (quod queritur S. Gregorius) redigere sub tributo.

k, loco cit. ad an. 324.

15 Ammianus Marcellinus Ethnicus scriptor tempore Valentis, & Valentiniani senioris de honore incredibili sacerdotibus, quos cælibes vocat, Romæ maxime exhibito, inuidiose scribens, de Prætextato orientis aliquando Proconsule, & Vrbis Præfecto narrat, cum B. Damasus Papa ad Christianam fidem amplectendam eum adhortaretur, ei respondisse; *facite me Romanæ Vrbis Episcopum, & protinus ero Christianus*; tactus videlicet honorum cupiditate, quos videbat non a plebe tantum, sed ab Imperatoribus ipsis, tunc christianis, Romanis Pontificibus deferri.

SE-

SECTIO XXXII.

SYNOPSIS.

1. *Locus Psalmi explicatus.* 2. *Totus terrarum orbis, veluti in prouincias ab Apostolis distributus.* 3. *Hæretici dicunt Ecclesiam in orbe perijsse.* 4. *Quid significet, in populo graui.*

HIC FILII DILECTISSIMI, VERE CONFITEBIMINI DEO IN ECCLESIA MAGNA; IN POPVLO GRAVI LAVDABITIS EVM.



1 Oc desumptum est ex Psal. 34. In ecclesia magna, idest Christiana, catholica, siue vniuersali, locis, & personis, & dignitate, ac virtute longe magis præstanti, quam Synagoga, vt ait hic Lorinus. Romanæ ecclesiæ, id est catholicæ, magnitudinem Stapletonus *a* patefacit, dum inquit: Romanæ ecclesiæ amplissimi fines, & in ipso statim exordio latissime propagati fuere, & vniuersum terrarum orbem iuxta certissima prophetarum oracula occuparunt. Nec ea loca tantum, vbi Romanorum arma leges dederunt, sed ad vltimos vsque terræ fines, qui de Romana potentia nihil vnquam audierunt. Vere, & animose, non superbe scripsit Prosper, *b* *Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris facta caput mundi, quidquid non possidet armis,*

mis, religione tenet. Verum quippe, & indubitatum est, quod de Apostolicis laboribus suo adhuc tempore Paulus c affirmauit, *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*.

a, *loco cit. lib. 1. c. 3.* b, *lib. de ingratitudine.* c, *Rom. 10.*

2 Verum, & indubitatum est toto terrarum orbe, veluti in prouincias distributo, facta primum in Iudæa, & Samaria diuini Euangelij prædicatione, iuxta ordinem a Christo præscriptum, Petrum in Italia, Paulum in Græcia, Andream in Achaia, Ioannem in Asia, Philippum in Phrygia, Bartholomæum in Schythia, Thomam in vtraque India, tam orientali, quàm occidentali, Matthæum in Æthiopia, Simonem in Persia, Thadæum in Mesopotamia, Iacobum in Hispania, hoc Christi regnum, cuius caput Roma, latissime propagasse. Scribit idem Stapletonus, in quodam volumine, cui titulus est Gloria mundi, d omnium totius mundi Archiepiscopatus cum suis ecclesijs suffraganeis tanto numero recenseri, vt eorum tantum cõmemoratio Clepsydram nobis ad dicendum datam penitus exhauriret. Sufficit in illo catalogo centum, & triginta Archiepiscopos, & mille septem, & decem Episcopatus numerari, quibus nunc adde in sola India occidentali viginti Episcopatus de nouo erectos, & teste Bozio, e templa illic constructa circiter septuaginta millia. Taceo Indiç orientalis insulas permultas, Sinarum populos, & toto penitus diuisos orbe

Iam-

Iampanos, vbi Christi regnum mirifice hodie propagatur. Vtriusque huius Indię amplissima regna Romano Imperio penitus incognita fuerunt. Videat Lector Descriptionem Religionis nouissimam factam a Mirẹo vere miram, quam tanquam auream, & pretiosam super aurum, & topazion, maxima cum deuotione, & lætitia perlegi.

d, *Chassanæus auctor. c, de signis Eccl. lib. 4. c. 3.*

3 Lutherus *f*, & Caluinus *g*, & quotquot vtriusque sectas profitentur, veram ecclesiam in orbe perijsse docuerunt. Spalatensis *h* non funditus deletam, sed inter rudera, & ruinas, (hæc eius verba sunt) inter cinerem, & fauillas, inter nigredinem, & fuliginem obscuram, corruptam iacere, ac delitescere affirmat. At non animaduertit ipse, vt scribit Bouerius *i*, se omnem prorsus ecclesiam e medio tollere, cum eam delitescentem, ac corruptam sibi persuadeat. Si Ecclesia, sequitur Bouerius, post tot secula erroribus, & hæresibus corrupta, inter rudera, ac ruinas sepulta est, quomodo etiam Isaias *k* multo ante illius ortum nullo vnquam tempore corrumpendam esse prænunciauit illis verbis. *Respice Sion ciuitatem solemnitatis nostræ Hierusalem, habitationem opulentam, tabernaculum, quod nequaquam transferri poterit, nec auferentur claui eius in sempiternum, & funiculi eius non rumpentur.* Præclare Procopius antiquissimus Pater in Isaiam scribens, hunc locum edisserit, his verbis. Nam quid Propheta sibi vellet

let; si diceret; oculi tui videbunt Hierusalem, si de Hierusalem antiqua, & veteri intelligeret? longe maius aliquid a Propheta intelligitur, quod sequentia verba demonstrant; describitur enim stabilis, & immota; at vetus Hierusalem corruit, & ante vltimam vastitatem armis hostilibus semper fuit peruia. Noua Hierusalem immota manet, manebitque semper, vtpote quæ sita est in petra, aduersus quam porte Inferi non præualebunt.

f, In libro de abroganda Missa priuata g, lib.4. Instit. cap.2. §.1. h, in Præfat. ad Episcopos i, in censura in d. Præfat. k, cap.33.

4 In Populo graui, id est, multo, aut plurimæ multitudinis; sic ex multis Patribus explicat Lorinus. Iam & nos vidimus, quam ingens populi multitudo ad Iubileum promerendum Romam confluxerint semper. In populo graui, id est populo stabili, & cōstanti, non plumbea, & iniquitatis, ac obstinati cordis grauitate, sed aurea, & iustitiæ, vt non sit leuis ad peccandum, non proijciatur, vt a vento puluis; *non circumferatur omni vento doctrinæ*; [l] qui fundatus sit super firmam petram; firmiterque præcepta custodiat, non sit palea inanis, sed solidum frumentū; quemque aura tentationis, seu ventilator potius purgat, quam longe proijciat. Lorinus.

l, *Eph.4.*

SÆ-

SECTIO XXXIII.

SYNOPSIS.

1. Vera Ecclesia qualis habeat doctrinam. 2. Quomodo Ecclesia sit columna, & firmamentum veritatis. 3. In Ecclesiam Romanam, tanquam in Solem, respiciunt Catholici omnes. 4. Quid Cyrillus Alex. de Rom. Pontificum auctoritate scripserit. 5. Id omne corraserunt, & extirparunt hæretici a libris ipsius Cyrilli. 6. De Hieronymo Donato multa egregia.

QVANDOQVIDEM HÆC EST CETERARVM ECCLESIARVM MAGISTRA.

1 SOla enim, vt ait Bellarminus [a], vera Ecclesia habet doctrinam, non solum *immaculatam, sed etiam conuertentem animas*, vt dicit Dauid, [b] & *sermonem viuum penetrantem vsque ad diuisionem animæ, ac spiritus.* [c] Philosophi antiqui tametsi magnam sapientiam ostentarent, & summa eloquentia leges suas populis suaderent, nunquam tamen vel vicina oppida ad suas leges trahere potuerunt, vt docet Athanasius [d], & Theodoretus, [e] quia non erant verba eorum viua, sed mortua, non spiritus Dei, sed spiritus hominum. Mahumetani autem traxerunt quidem multos, sed terrore armorum, nō vi, & efficacia doctrinæ, quare ipsemet Mahumetus in Alcorano [f] docet bello cogendos homi-

nes ad fidem. Porro Hæretici nunquam leguntur conuertisse vllos Ethnicos, aut Iudęos ad fidem, sed solum peruertisse Christianos.

a, *De notis Eccl. lib. 4. cap. 12.* b, *Psal. 18.* c, *Heb. 4.* d, *lib. de humanitate Verbi* e, *lib. de legibus* f, *c. 18. & 19.*

2 Paulus g asserit Ecclesiam esse columnam, & firmamentum veritatis, hoc est, veritatis diuinę prę-sidium, & substentaculũ. Ergo impossibile est, quod veritas diuina, hoc est veritas fidei corruat in ea, alias non esset columna illius, sed potius arundo quassata, vt ait Perez *h* Nec valet dicere cum Caluino apud Bellarm. citatum ab ipso Perez, Ecclesiã dici columnam, & firmamentum veritatis, quia diligenter custodit Sacras litteras; non, inquam, valet: Primo quoniam, vt ibi notat Bellarm. Paulus eo loci non agebat de scripturis, sed tantum de Ecclesia. Secundo, quia antequam Scripturæ Sacræ essent in rerum natura, Ecclesia erat columna, & firmamentum veritatis; antiquior enim est Ecclesia, quam scriptura. Tertio quoniam alias idem encomium prædicari posset de librariorum scriniis, & officinis, in quibus sacra volumina studiose asseruantur, atque reconduntur. Quarto quia alias potius Arca, vel Theca, quam veritatis columna Ecclesia dicenda veniret, quia securius in arca, quam in columna quiduis custoditur.

g, 1. *ad Timot. 3.* h, *de Eccl. dubit. 23. cap. 2. Conclus. 2.*

3 Propter hoc sic S. Damasum S. Hieronymus *i* affabatur; *quoniam vetusto oriens inter se populorum*

furo-

furore collisus indiscissam Domini tunicam, & desuper textam per frusta discerpit, & Christi vineam vulpes exterminant; & inter lacus contritos, qui non habent aquam, difficile vbi fons signatus & hortus ille conclusus sit, possit incalligi, ideo mihi Cathedram Petri, & fidem Apostolico ore laudatam censui consulendam. Et post multa in eandem veritatis inclinantia confirmationem, ita concludit, *Quicumque tecum nõ colligit, spargit, hoc est, qui Christi non est, Antichristi est.* S. Maximus, k *omnes fines orbis,* inquit, *qui Dominum sincere receperunt, & vbique terrarum Catholici veram fidem confitentes, in Ecclesiam Romanam, tanquam in solem respiciunt.* Et ex ipsa lumen Catholicæ, & Apostolicæ fidei recipiunt, nec immerito. Nam Petrus legitur primo perfectã fidem esse confessus, Domino reuelante, cum dixit. l *Tu es Christus filius Dei viui,* vnde, & idem Dominus dixit, *ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua.*

i, *Can. quoniam vetusto* 24. *quæst.* 1. k, *Epist. ad orient.* l, *Matthæus.*

4 Diuus Cyrillus Alexandrinus. m Vt membra, maneamus in capite nostro Apostolico Throno Romanorum Pontificum, à quo nostrum est quærere, quid credere, & quid tenere debeamus; Ipsum venerantes, ipsum rogantes præ omnibus, quoniam ipsius solius est reprehendere, & corrigere, statuere, soluere, disponere, & loco illius ligare, qui ipsum ædificauit: Item Christus nulli alij, quod suum est, sed ipsi soli dedit, cui omnes iure diuino caput

inclinant, & primates mundi, tanquam ipsi Domino Iesu obediunt.

m, Lib. 1. Thesaurorum.

5 Hæc sententia a S. Thom. n producta nunc in his de thesauro libris non reperitur; sed mirum non est; Hæretici enim hunc locum ab illis libris auulserunt, & quæcunque in illis ad Romani Pontificis auctoritatem confirmandam, stabiliendamque spectare videbantur, omnia corraserunt, & extirparunt. Quod idem hæreticos fecisse in Theophilato o viros doctissimos, fide catholica clarissimos deprehendisse asserit Mauclerus. p Hanc ipsam Cyrilli auctoritatem recordor me legisse apud Hieronymum Donatum, q qui D. Petri, eiusque successorum Primatum plurimis, & auctoritatibus, & rationibus defendit, & confirmat, dum ipse Cretam pro Rep. Veneta summo cum imperio teneret.

n, opusc. contr. errores Græc. o, in commentarijs super S. Ioannem. p, loco cit. 2. p. lib. 4. cap. 4. q, in tractatu de Primatu Petri.

6 De Hieronymo scribit Ignatius, r quod iuuenis adhuc Lusitanica legatione functus, cum in patriam rediisset summa sua cum laude, mox Gallicam legationem suscipiens, Francorum Regi gratissimus semper est habitus, cum propter morum præcipuam elegantiam, tum propter corporis, orisque ipsius maiestatem. Interim vero accidit, vt Iulius Pont. Max. Veneto nomini infestissimus, societate cum Christianis Principibus, ac Regibus inita, Venetam rem, Imperijque maiestatem oppresserit. Legatus

ad

ad Pont. profectus, cum Clarissimo viro Dominico Triuisano Procuratore, & reliquis, non modo irati Iulij Pont. faces in Venetos extinxit, sed eundem amicum factum ita sibi reconciliauit, vt paullo post ipse Pont. in eos Principes arma pro Venetis mouerit, Venetaque Resp. magna ex parte iura sua receperit: fuit autem Hieronymus ipse sic Latinis, Græcisque litteris instructus, sic eloquentia ornatus, vt non facile quempiam alium suæ ætatis hominem illi præferas. Reliquit ingenij sui monimenta non pauca, quæ profecto non sine admiratione a nobis legi poterant, nisi publicis curis, varijsque negotijs districtus absoluere non potuisset. Extat tamen hodie liber aduersus Græcos scriptus, quo gentis leuitatem in primis arguit, qui Pontificis Max. sacrosanctę potestati abrogare ausint, & libellus è Græco in Latinum versus Alexandri Aphrodisei de intellectu. Supersunt, & duæ eius epistolæ, & prior quidem illorum ad Maximilianum Cæsarem, qua illum adhortatur, vt Gallorum regem dimittat, altera terræmotum Cretæ insulæ Latius describit, cui tum ipse præesset.

r, *De exemplis illustrium virorum Venetæ ciuitatis, lib.3.c.1.*

SECTIO XXXIV.

SYNOPSIS.

1. *Quæ Ecclesiæ fuerint habitæ primæ.* 2. *Causa numeri Patriarcharum sedium.*

PRI-

PRIMA CATHOLICÆ RELIGIONIS SEDES.

1 Illæ solę Ecclesię semper sunt habitæ, & primę, quas Petrus fundauit; siquidem apud veteres tres ecclesias tantum fuisse proprie Patriarchales, & primas, Romanam, Alexandrinam, Antiochenã, patet ex Conc. Niceno[a], & alijs, vt refert Bellarminus [b], qui etiam probat Hierosolymitanam quartam Patriarchalem fuisse nomine, non re; seu honore, non potestate. His accessit postea Patriarchatus Constantinopolitanus, qui tempore Iustiniani vna cum Hierosolymitano, tum Imperatoris opera, tum Pontificum Romanorum permissione, cępit in numero Patriarcharum haberi, nullo amplius reclamante.

a, *Can.6.* b, *De Rom.Pont.cap.24.*

2 Vera, & sola causa numeri Patriarcharum sedium fuit dignitas Petri; solæ enim illæ ecclesię habitę sunt Patriarchales proprie, in quibus Petrus, tanquam Episcopus sedit. Petrus autem Antiochię, & Romę per se ipsum sedit. Alexandrię autem sedit vel per se, vt Nicephorus testatur [c], vel per discipulum suum Marcum, quem eo misit, vt nomine suo fundaret ecclesiam, vt docet, D. Gregorius: [d] Qui affirmat Episcopum Alexandrinum super cathedrã Petri

Petri ſedere, quia nimirum nomine Petri Alexandriæ Marcus primus Epiſcopus fuit.

c, lib. 14. c. 3. d, lib. 6. epiſt. 37. ad Eulogium Alexandrinum.

SECTIO XXXV.

SYNOPSIS.

1. S. Athanaſius quibus honoris titulis Rom. Pont. exornet. 2. Quid Hypatius de Romana Eccleſia.

MATER CREDENTIVM.

1 SAnctus Athanaſius, vna cum omnibus Epiſcopis Ægypti ad Marcum ſummum Pontificẽ litteras ſcribens, his eum honoris titulis, atque inſigni compellatione exornat; *Domino ſancto Apoſtolici culminis venerando Marco, ſanctæ Romanæ, & Apoſtolicæ Sedis, atque vniuerſalis Eccleſiæ Papæ, Athanaſius, & vniuerſi Aegyptiorum Epiſcopi ſalutem*. Et ſub finem earum litterarum, cum omni animi demiſſione rogaſſet mitti ſibi veros canones, & laudata Concilij Niceni decreta, agnoſcit vna cum Clero, & Antiſtitum omnium cœtu per Ægyptum, Romanam ſedem eſſe matrem, & caput omnium eccleſiarum.

2 Hypatius Protothronius Vulodimirienſis Epiſcopus in profeſſione fidei ſic loquitur: *Sanctam catholicam, & Apoſtolicam Romanam eccleſiam omnium*

eccleſia-

ecclesiarum matrem, & magistram agnosco, Romanoque Pontifici B. Petri Apostolorum principis successori, ac Iesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo, ac iuro.

SECTIO XXXVI.

SYNOPSIS.

1. Roma Sedes Petri, & caput mundi. 2. Spalatensis nullum capitis visibilis munus exercuisse Christum audet scribere. 3. Idem asserit Spiritum Sanctum in regimine Ecclesiæ proprie esse Vicarium Christi. 4. Sententia Spalatensis circa Primatum Petri. 5. Nihil a Spalatensi contra Pontifices dictum, cui non sit etiam contradictum. 9. Petrus habuit Primatum potestatis, & iurisdictionis ecclesiasticæ præ aliis. 7. Patres clare, diserte, & rotunde loquuntur de Primatu Petri. 8. Romanus Pontifex legitime electus verus est B. Petri successor. 9. Quid Ricardus Rex Angliæ de Romanæ ecclesiæ Primatu. 10. Nec Catholici constituunt caput Ecclesiæ aliud, quam Christum. 11. Asserunt tamen alias esse personas a Christo distinctas, quæ sub ipso capitis nomen obtineant. 12. Declaratus locus Euang. Nolite Rabbi, &c. vocari. 13. Vt regia potestas, quam Christus tribuit regibus, non pugnat cum ipsius regia maiestate, sic ratio capitis hominibus attributa, ei, quæ in Christo est, non aduersatur.

CAPVT ORBIS, VERTEX RERVM.

1 PRosper [a] vti supra dictum est. *(ris*
Sedes Roma Petri, quæ pastoralis hono-
Facta caput mundi, quidquid non possidet armis
Religione tenet, &c.

Hic respondet Sibrandus etiam Bethleemum vocari a Prudentio caput orbis; At non ob pastoralē honorem,

nore, inquit Gretſerus [b], & quod quidquid nō poſſidet armis, religione tenet; ſed quia ibi natus eſt Chriſtus. Reſpondet ſecundo Sibrandus ſedem Petri eſſe caput, non dominatu, ſed ordine. Primo poteſtate, velis, nolis, ſequitur Gretſerus, quia huic capiti dictum eſt, *Et tibi dabo claues Regni cælorum*. Sutliuius dicit, Proſperum non loqui de Petro, ſed de Vrbe Roma, quæ facta ſit ſedes Petri. An non loquitur de Petro, ait Gretſerus, qui de ſede Petri loquitur? Vocat Proſper Romam caput mundi; cur, niſi quia caput totius mundi, quo ad imperium eccleſiaſticum, in ea ſedem obtinet? Certe olim Roma aliam ob cauſam non dicebatur caput mundi, niſi quia ſedes erat Imperij, & eorum, qui mundo iura dabat. Mendacium Sutliuianum eſt, Proſperum non plus tribuere Romæ, quam Chryſoſtomum Antiochiæ. Monſtra, ſodes, locum, vbi Chryſoſtomus vocet Antiochiam caput mundi, idque ob paſtoralem honorem, & quod Antiochia religione, hoc eſt iuriſdictione eccleſiaſtica teneat, quidquid non poſſidet armis.

a, *lib. de ingratis.* b, *Ref. cap. 25. Bellarm. de Rom. Pont. lib. 1.*

2 Spalatenſis vt ſcribit Becanus [c], ait caput Eccleſiæ eſſe inuiſibile, non viſibile, quia Chriſtus cœpit eſſe caput Eccleſiæ poſt Aſcenſionem, & tunc reſpectu noſtri inuiſibilis eſt; Negans abſolute ipſum Chriſtum nullum capitis viſibilis vnquam munus in ſua Eccleſia exercuiſſe; ſed reſpondens Becanus, probat & Eccleſiam Chriſti eo tempore, quo

Gg Chri-

Christus vixit in terris fuisse gubernatam a visibili capite, nempe ab ipso Christo, qui tunc visibiliter præsens erat: Et eamdem Ecclesiam nunc etiam debere gubernari a visibili capite, alioquin forma gubernationis esset mutata, & consequenter non esset nunc eadem Ecclesia, quæ tunc fuit, sicut non censetur manere eadem Respublica, quando forma gubernādi, prius fuit monarchica; & postea incipit esse Aristocratica. Hæc tria pro eodem vsurpari solemus: Petrus est visibile caput totius Ecclesiæ: Petrus est Vicarius Christi in regimine totius Ecclesiæ: Petrus habet Primatum totius Ecclesiæ.

d, *De Repub. Eccl. contra ipsum Spalatensem lib. 1. cap. 3.*

3 Nihil horum admittunt aduersarij. Vidimus Spalatensem sic statuisse, nullum esse caput Ecclesię præter Christum. Idem asserit non Petrum, sed spiritum Sanctum proprie esse Vicarium Christi in regimine Ecclesiæ. Sed Theologi Parisienses hanc suam assertionem censent esse erroneam, periculosam, & hæresin Macedonij expresse redolentem. Et sic est, vt ait Becanus. [e] Nam Vicarius, proprie loquendo, sicut ipse Spalatensis loquitur, minor, seu inferior est eo, cuius est Vicarius; Si ergo asserit spiritum sanctum proprie esse Vicarium Christi, sicut re vera asserit, consequenter debet asserere spiritum sanctum esse minorem Christo. Hæc autem est hæresis Macedoniana. Legatur Becanus f, qui clare demonstrat aliud caput visibile præter Christum admitti oportere, & spiritum sanctum non esse pro-

pric

prie Vicarium Christi in regimine Ecclesiæ. Vide quoque Bouerium, & Coeffeteau contra Spalatensem, qui plura circa hanc materiam videre desiderat.

e, *Lib, 2. c. 1. contra ipsum Spalatensem* f, *& locis citatis, & etiam in Manuali controuersiarum, de capite Ecclesiæ.*

4 Quod ad Primatum Petri denique spectat, Spalatensis fingit ipsum in eo consistere, quod fuerit primus ætate, vocatione, & feruore inter omnes Apostolos g: sed Becanus h contra contendit, Primo, maiorem illi Primatum deberi, qui consistit in potestate, & iurisdictione; Secundo primatum, quem Spalatensis fingit, partim incertum, partim falsum, partim insufficientem esse. Primo incertum est, an Petrus fuerit ætate senior, quam alij, deinde Petrus, & Andreas eodem tempore vocati sunt a Christo, tanquam Discipuli cum illo permansuri; & postea ex numero Discipulorum idem Petrus electus est ad Apostolatum, simul cum alijs vndecim, vt habetur in Euang. i *Et cum dies factus esset, vocauit Discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominauit*. Denique incertum est apud bonos Auctores, an Petrus habuerit Primatum charitatis præ alijs Apostolis, vt inquit Becanus, k & in suo de Rep. Eccl. respondet rationibus, & auctoritatibus a Spalatensi allatis, pro primatu Petri a Marco Antonio confiсto.

g, *Lib. 1. cap. 5. n. 7.* h, *de Republica Eccl. lib. 2. c. 2. nu. 2.* i, *Luc. 6.* k, *de capite Ecclesiæ.*

5 Sed Spalatêsis, vt ait Annosus, *l* Romani Pontificis primatum verum non sæpius negat, quam asserit; nihil est enim ab eo contra Pontifices dictum, cui non sit etiam contradictum; & id non semel, aut iterum, sed toto opere perpetuo secum ipse pugnans mirabili cæcitate, quo quid turpius excogitari potest? A se ipso in tam longa scriptione perpetuo dissidet; nihil asserit in vno loco, quod alio vel eodem non neget; nihil negat, quod non affirmet; in rebus omnib. maximis, & minutissimis sibi ipsi contrarius est, atque ita contrarius, vt perfectior contradictio, vel magis in terminis ne fingi quidem possit.

l, *In Hypocrisi M. Antonij detecta, in Præfatione ad ipsum.*

6 Dicamus ergo cum ipso Becano, *m* Petrum habuisse primatum potestatis, & Iurisdictionis Ecclesiasticæ, præ alijs omnibus, seu quod idem est, fuit Vicarius Christi, caput Ecclesiæ, Pastor ouium Christi. Probatur primo ex verbis Christi, *Pasce oues meas*, hoc est gregem meum, Ecclesiam meam, etiam reliquos Apostolos, cum sine dubio & ipsi pertinerent ad gregem, & Ecclesiam Christi; vt ait Becanus *n*; qui etiam ex mente ipsius Spalatensis probat hæc verba soli Petro a Christo dicta fuisse, sed distinguit illas duas particulas, quas fraudulenter connectit ipse Spalatensis, singulariter, & personaliter; tametsi enim Christus, cum dicit, *Pasce oues meas*, soli Petro singulariter id dixerit, excludendo reliquos Apostolos, quibus id non dixit, non ideo concedendum est soli Petro personaliter dixisse, ex-

cluden-

cludendo successores Petri, quia id falsum est. Non enim dixit Petro, vt priuatæ personæ, sed vt publicæ, sicut & illud, *Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua.*

m, *De Rep. Eccles. lib. 2. cap. 3.*

7 Secundo probatur ex Patribus, qui tam clare, diserte, & rotunde loquuntur de Primatu Petri, vt clarius, disertius, & rotundius loqui non possint. Nam aliqui expresse vocant illum, *Vicarium Christi*, alij *Caput ecclesiæ*, alij *caput omnium Apostolorum*, alij *Principem Apostolorum*, alij *Pastorem Pastorum*, alij *Coryphæum Apostolorum*, alij *verticem Apostolorum*, alij *apicem Apostolorum*, alij *Antesignanum Apostolorum*, alij *Petram*, & *crepedinem Ecclesiæ catholicæ*, & *certæ fidei fundamentum*, alij *Principem Ecclesiæ Christianorum*; alij *Ducem Discipulorum Christi*; vt est videre apud ipsum Becanum [n], qui etiam hunc Petri Primatum ex prærogatiuis ipsius Petri confirmat, respondens simul obiectionibus Spalatensis, & aliorum Hæreticorum.

n, *De capite ecclesiæ.*

8 Quod autem Romanus Pontifex legitime electus, verus sit B. Petri successor, & eadem cum illo in omnibus vbique ecclesijs ligandi, & soluẽdi potestatẽ obtineat, Coccius [o] tam ex Græcis, quam Latinis Patribus probat; sicut etiã [p] demonstrat Romanos Pontifices inde vsq; ab initio semper hunc Primatum agnouisse, defendisse, & in alijs ecclesijs exercuisse, & insuper [q] Christianos Imperatores, Reges,

Prin-

Principes, & Magistratus seculares semper Romanæ ecclesię Primatum agnouisse, seque eius Pontifici, tanquam Patri filios subiecisse ostendit.

o, *in suo Thesauro catholico de Hierarc hia Ecclesiæ art.6.* p, *art. seq.* q, *artic.8.*

9 Libet hic afferre Ricardi Regis Angliæ de Romanæ ecclesiæ primatu sententiam, sic enim scribit Clementi Papæ: Reuerendissimo Domino, & Beatissimo Patri Clementi, Dei gratia sanctę ecclesię Apostolicæ summo Pontifici, Richardus eadem gratia Rex Angliæ, salutem, & sinceræ in Domino deuotionis affectum. Iustum exitum facta Principum sortiuntur, cum a Sede Apostolica diriguntur, & ab ecclesia Romana robur, & fauorem accipiunt, &c.

10 Ministri Agri Parisiensis nouissime & ipsi r asserunt non esse aliud caput vniuersalis ecclesię, nisi Christum; & nos etiam, respondet Cardinalis Plessęus s, non constituimus caput ecclesię vniuersalis aliud, quam Christum; quod hinc patet, nam ipsi Romani Pontifices, quorum id dicunt ipsi Ministri interesse, vnicum esse declarant. *Itaque*, ait Bonifacius VIII t *Ecclesiæ vnius, & vnicæ vnum corpus, vnum caput, non duo capita, quasi monstrum, Christus videlicet, & Christi Vicarius, Petrus eiusque successor.*

r, *in libello ad Christianissimum Regem Galliæ dato.* s, *in Def.præcip.capitum fid.cath.c.31.sect.2.* t, *in Extrauag. vnam sanctam de maio. & obedientia.*

11 Illud nihilominus verum eſt, ſequitur ipſe Pleſſæus, nos aſſerere alias eſſe perſonas a Chriſto diſtinctas, quæ ſub ipſo, eiuſque vi, ac virtute, capitis nomen, & rationem obtinent, ſed hoc non obſtat, quominus Chriſtus vnicum ſit eccleſiæ vniuerſalis caput, cum nos ſcriptura, Patres, ratioque doceant plurimum intereſſe; vtrum dicas nullum eſſe caput quam Chriſtum, an vero nullum alium a Chriſto eccleſiæ caput eſſe cum ipſo; quandoquidem hæc poſterior propoſitio (nullus alius a Chriſto eſt caput eccleſiæ cum ipſo) excludit quemuis alium hominem, ne capitis rationem cum Chriſto participet. Prior autem, quæ ait, (nullum aliud eſſe caput, quam Chriſtum) hoc tantum innuit, ſi plures participent de nomine, & ratione capitis, id tantum fieri per ordinem quendam eorum inter ſe.

12 Et hanc diſtinctionem probat ex ſcriptura, Patribus, & ratione, immo & ex ipſo Caluino; qui in illud Euang. u *Nolite vocari Rabbi, vnus eſt enim magiſter veſter Chriſtus*, Non eſt, ait, cur de voce quiſpiam laboret. Non moratur Chriſtus, quo titulo vocentur, qui docendi partes obeunt. Sic vnicus eſt Paſtor, ſed tamen multos ſub ſe admittit Paſtores, modo ſupra omnes emineat, & per eos ſolus eccleſiam gubernet. Et paullo poſt, verus ſenſus eſt, paternum honorem falſo tribui hominibus, ſi Dei gloriam obſcurat. Id autem fit, quoties mortalis homo ſeorſum a Deo cenſetur Pater.

u, *Matth.* 23.

Tandem

13 Tandem cum Christus Rex sit, vt patet [x], neque minus fidelium Rex, quam caput Ecclesiæ, vt inquit Plessæus, quomodo regia potestas, quam ipse tribuit regibus in fideles, non pugnat cum ipsius Regia maiestate, si ratio capitis hominibus attributa, ei, quæ in Christo est, aduersatur? Cur cum ipse sit Pastor, [y] Episcopus [z], & lux mundi [a] non detrahit ipsius honori, si alij sub ipso pastores sint, Episcopi, & mundi lumina, si absurdum est alium ab eo caput Ecclesiæ nominari? Ad hæc cum in scripturis non habeatur, solum Christum caput esse Ecclesiæ, sed tantum, Christum caput esse Ecclesiæ [b], cumque Deus sit solus bonus [c], solus iustus [d], solus pius [e], cur admittitis boni, iusti, & pij, & nomen, & rationem alteri, quam Deo posse competere, non autem rationem, & nomen capitis, alijs quam Christo conuenire? quare cum Christus non tantum dicatur pastor, sed etiam vnus pastor, *Erit vnum ouile, & unus pastor*, [f] quod perinde est, ac solus pastor, & vnus Deus solum Deum in scripturis significat, cur pastoris rationem alijs adscribitis, non autem rationem capitis?

x, *Ps.* 2. y, *Ioan.* 10. z, 1. *Pet.* 3. a, *Ioan.* 8. b, *Coloss.* 1. & 2. c, *Matth.* 19. d, 2. *Mach.* 1. e, *Apoc.* 15. f, *Ioan.* 10.

SECTIO XXXVII.

SYNOPSIS.

1. Locus Isaiæ explicatus. 2. Peregrinationes ad loca sancta damnant sectarij. 3. Lutherani ex zelo reformatæ religionis peregrinatio-

nes

nes suscipiunt. 4. Sanctæ peregrinationes ante Constantini tempora susceptæ. 5. Locus Ioannis declaratus. 6. Quomodo Indulgentia potest dici fieri fons aquæ salientis in vitam æternam.

QVAPROPTER, ET CÆLESTES BENEDICTIONES, QVAS SITITIS, HIC NON EX RIVVLIS PETETIS, SED HAVRIETIS AQVAS IN GAVDIO DE FONTIBVS SALVATORIS, AQVAS VIDELICET SALVBERRIMAS, QVIBVS HAVSTIS, EFFICIETVR IN VOBIS FONS AQVÆ SALIENTIS IN VITAM ÆTERNAM.

1  Aurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris, sumptũ ex Isaia [a]. S. Cyrillus, & Hieron. hic, & Origen. [b] & Procop. [c] per aquas has accipiunt sacram Scripturam, & doctrinam Euang. quam haurimus à Christo. S. Ambros. [d] per aquas has intelligit Ecclesiæ sacramenta, quæ de vulneribus Christi, quasi de fontibus fluxerunt, maxime calicem Eucharisticum; Vnde & Origen. intelligit Baptismum; hæ enim sunt aquæ salutiferę. Summus Pontifex vero hic accipit aquas pro fructibus Iubilei, qui manant de Christi meritis, & fonte sanguinis eius. Hac de causa Benzonius [e] ait, aquas cisternę, quæ erat in porta Bethlehē, fuisse figuram Indulgentiarum, quę in Porta sancta, anno Iubilei hauriuntur. Sicut igitur ad hauriēdam aquam

de cisterna Bethlehem, quæ erat in porta, ter illi robustissimi, ac fortissimi viri per media Philistinorum castra perrexerunt, sic nos christiani, vt aquam gratiarum, & remissionem ex ipsius portæ sanctæ quasi cisterna hauriamus, nulla mala, nulla aduersa, non gladium, non famem, non nuditatem, non persequutionem timere debemus; sed forti animo, omni timiditate expulsa, sanctam peregrinationem suscipere, atque ad Romanam Bethlehem accedentes, ex cisterna meritorum Christi, & sanctorum aquas Indulgentiarum in nostrorum peccatorum solutionem Deo offerre debemus.

a, *cap.* 12. b, *tom.* 12. *in Num.* c, *in ca.* 1. *Gen.* d, *in Psal.* 4. & 37. e, *loco cit. lib.* 5. *cap.* 12.

2 Peregrinationes ad loca sanctitate, & Diuorum reliquijs illustria pie, & religiose susceptas damnant sectarij; & Lutherus etiam paullo vehementius harum vsum, & consuetudinem ait esse vndecimam faciem Antichristi. Claudius vero Taurinensis citatus a Catono f omnium sannis, atque ludibrio obijciebat Romipetas, eos nimirum, qui ad sepulchra beatorum Apostolorum inuisenda religioso ardore confluebant. Dicunt enim hi omnes huiusmodi peregrinationes esse superstitiosas, cum Deus sit vbique.

f, *Lib.* 1. *Inst. cath. cap.* 24.

3 . Respondet Lancellottus g petens ab his Reformatis, quare ante annos plus minus quadraginta nouem, ab extremis Germaniæ finibus, Lutherani, ex

solo

solo reformatæ Religionis zelo, longiuscula peregrinatione suscepta, Mechliniam sunt prolapsi, ibique cum suspirijs, oculorum in cœlos eleuatione, ploratibus, & mutuæ fidei commemoratione, venerati sunt locum (forum intelligit) in quo propter Hæreticæ perfidiæ, ac vitæ impietatem, meritissimas iustitiæ pęnas dederat Ioannes Boors, alias Lepeler? quinimo terram, incinerato per vulcanum corpore, substractam, Reliquiarum loco, in Patriam tulerunt? An non hæc idololatrica superstitio? quam tamen hæretici non reprehendunt.

g, 30. *Quare*.

4 Benzonius [b] etiam ante tempora Constantini has sanctas peregrinationes a Christianis susceptas fuisse, ex factis multorum illustrium virorum ex historijs petitis demonstrat. Lancellotus vero probat per Patres, Concilia, & rationem in fide fundatam, peregrinationes, vt pias, religiosas, & sacræ scripturæ consonas esse amplectendas. Et fatetur vbique esse Deum, at in omni loco miracula edere nolle; vti patet in probatica piscina, vbi non extra, & statutis quidem temporibus, Deo placebat, illius, non alterius aquæ motu, sanare *multitudinem languentium, cæcorum, claudorum, aridorum* [i] Cur autem virtutem suam vni potius, quam alteri loco alligarit, vt puta suo sepulchro, probaticæ piscinę, liminibus Apostolorum Petri, & Pauli, domui Lauretanæ, si nolis errare, noli indagare. Tibi suffi-

ciat id eum velle, id ei placere; quis enim eius consiliarius fuit? k

h, *Loco cit. lib. 6. cap.* 2. i, *Ioan.* 5. k, *Rom.* 11.

5 *Efficietur in vobis fons aquæ salientis in vitam æternam:* l id est, Aqua gratiæ, quam dabo vobis, fiet in vobis fons aquæ gloriæ salientis, & scaturientis, & ebullientis in vitam æternam, hoc est, in sempiternum, ita vt sitire non possitis in æternum. Dicitur autem, vt hic dicit Bernardus, in cęlo aqua gratiæ fieri fons gloriæ in homine, quoniam ex gratia emanat gloria hominis. D. Cyrillus aquam salire ait in vitam æternam, quoniam gratia hominem ad vitam æternam ducit. *Illum*, inquit, *in se fontem continebit, qui possit eum ad vitam æternam ducere, &c.* Aqua fontis modicum salit, at aqua gratię vsque in vitam ęternam salit. Aqua ad suum locum ascendit. Tantum ascendit, quanta est altitudo loci, vnde fluit. Gratia ex Deo fluit, ad Deum ascendit, & salit.

l, *Ioan.* 4.

6 Sed Indulgentia per se nō valet ad remissionem culpę mortalis, vt dictum est; quomodo ergo potest dici fieri in eo, qui eam acquirit, fontem aquæ salientis in vitam ęternam? Respondetur, verum esse Indulgentiam non valere alicui immediatę, & per se ad culpam mortalem remittendam, non tamen hinc probari, quin mediate valere possit, impetrando saltem peccatori bonum motum, quo se disponat sufficienter

cienter ad remiſſionem peccati mortalis; hic enim fructus indulgentię non includit in ſe repugnãtiam, quia vnus homo iuſtus poteſt alteri impetrare, & mereri de congruo, remiſſionem peccati mortalis dicto modo, ergo ex parte effectus non repugnat idem fieri per indulgentias Eccleſię: Suarez [m]: qui [n] etiam ex D. Thom. probat in eccleſia eſſe poteſtatem ad huiuſmodi conceſſionem. Poſſumus etiam dicere per indulgentiam fieri in eam lucrante fontem aquę ſalientis in vitam ęternã, quia etſi per ſe & immediate non habeat Indulgentia aliquem ſpiritualem effectum poſitiuum in eo, cui conceditur, habet tamen priuatiuum moraliter, qualis ablatio alicuius pœnę, & ſic citius ſalit ad vitam ęternam.

m, *Tom. 4. Diſput. 56. ſect. 1. num. 6.* n, *num. ſeq.*

SECTIO XXXIIX.

SYNOPSIS.

1. Romanorum Pont. cum paterna ſolicitudine charitas. 2. Proprium Rom. Pont. hoſtes Chriſtianæ religionis detegere. 3. Rom. Pont. vt dignitate, ſic & ſanctitate ceteros Eccleſiæ Paſtores præcedere debet. 4. Rom. Pontifex in Porta ſancta ſedens vultum ſuum benigne etiam ad hæreticos conuertit.

HÆC

HÆC IGITVR NOS PRÆ OCVLIS, ATQVE IN VOTIS HABENTES, ROMANORVMQVE PONTIFICVM PRÆDECESSORVM NOSTRORVM VESTIGIIS INHÆRENTES, ET EORVM PIVM, AC SALVBERRIMVM INSTITVRVM RETINENTES.

1 
Vit semper Romanorum Pontificum prouida cum paterna solicitudine charitas nunquam a laboribus, vigilijs, assiduis corporis, & animi contētionibus pro omnium ecclesiarum pace, saluteque conquiescere, & illis vicarios, legatosque prouidere, qui quod ipsi per se ipsos præstare nō possent, suo nomine diuersis in orbis Christiani partibus, ad maiorē salutis animarum profectum, sapienter, ex ardore charitatis exequerentur.

2 Ex hoc purę, sanctæque charitatis ardore fons zeli Dei zelantis honorem, eiusque salutem ecclesiæ, viuus emanat, cuius aquæ deuotionis æstu, generosaque fortitudine feruentes, de corde puro, opereque perfecto Romani Pontificis generalis Christianarum ouium pastoris, impetu magno salire debent, & exundare; quibus omnia scandala de domo Dei radicitus euulsa confundat, conspirationes nefandas, errores damnatæ doctrinæ pestiferos, omnium Dei, ecclesięque hostium furores viriliter extermi-

terminet. Fuit hoc enim Romanis Pontificibus ab omni æuo proprium, perniciosas hæreticorum, schismaticorum, aliorumque christianæ religionis hostium machinationes detegere, fraudulentas conatus in ipsa radice suffocare; in apertos postea furores, abominationes fraudulentas, in ruinam veritatis catholicæ, salutisque publicæ, pro nefandæ persuasionis, pestiferæ doctrinæ regni luciferi rabie, prorumpentes, insanientesque sua sapientia, constantia, fortitudine, vitæ sanctitate, nec non pijs ad Dominum intercessionibus interimere, atque confringere. Sic Mauclerus.[a]

a, 4.par.lib.9.cap.1.

3 Hoc loco etiam probat, Romanum Pontificem, vt dignitate præstat ceteris ecclesiæ pastoribus, sic & eos sanctitate, sapientiaque præcedere debere. Et ex Beda admirandas Romani Pontificis virtutes per pretiosas vestes summi legis antiquæ Pontificis repræsentat. S. Gregorius[b] id hoc verborum tenore complexus est. *Superhumerale recte ex auro, hiacyntho, purpura, cocco bis tincto, & bysso retorta fieri præcipitur; vt quanta sacerdos* (Magnus) *clarescere virtutum diuersitate debeat demonstretur. In sacerdotis habitu, aurum fulget, vt in eo intellectus sapientiæ principaliter emicet; cui hyacinthus adiungitur, vt per omne, quod intelligendo penetrat, non ad fauores infimos, sed ad amorem cælestium surgat. Purpura permiscetur, vt sacerdotale cor in semeptipso suggestiones vitiorum reprimat, eisque veluti ex regia potestate con-*

contradicat. Bis tinctus coccus adiungitur, vt omnium virtutum bona ex charitate decorentur, quæ quia Deum, & proximum diligit, quasi ex duplici tinctura fulgescit. Quid vero per byssum nisi candens decore munditiæ castitas designatur, quæ byssus torta pulchritudini superhumeralis innectitur; quia tunc castimonia ad perfectum munditiæ candorem ducitur, cum per abstinentiam caro fatigatur. Hæc Pater sanctissimus more suo de sacrarum cortice literarum diuina mysteria mirabiliter educit. Quas omnes virtutes, Vrbane beatissime Pater in summo gradu, excelsoque perfectionis christianæ vertice, cũ in te splendescere, rutilareque maxime collustremus, & intueamur; magnopere consolati lætamur, & ad spem reformationis ecclesiasticæ cito futuræ sub sanctitatis vestræ Pontificatu, iustius, atque confidentius exardemus.

b, *in Pastor. par. 2. cap. 3.*

4 Vt olim, teste Tertulliano c, Ecclesia publicis affixis edictis delinquentes ad veniam inuitare consueuit; & sicut imagines Pastoris super humeros ouem portantis in sacris vasibus exculptas, vel pietas ante oculos proponere solebat, vt facilius ad pænitentiam improbi allicerentur: Sic hodie summus omnium Christianorum Pater in Porta sancta sedens, vultum suum benigne etiam ad Hæreticos resipiscentes conuertit, vt tandem in Romanum ouile per ostium, quod Christus est, illos introducat ad suauissima pascua catholicæ veritatis degustanda. Est plane Ecclesia in Anno sacro tota in hoc posita.

ſita, vt benignitatem, manſuetudinem, atque clementiam etiam in ſuos hoſtes oſtendat, dummodo illi non doceant, vel ſeducant; quæ ratio benignitatis in præterito Iubilei anno, vti vidimus, pleroſque inſignes hæreticos, qui tunc temporis Romam acceſſerat, abiuratis, deteſtatiſque hæreſibus, ad veritatem catholicam amplectendam adduxit. Quod etiam in hoc præſenti anno ſacro Dei gratia, & fieri audimus, & etiam futurum ſperamus.

SECTIO XXXIX.

SYNOPSIS.

1. Caluinus temere, & ignoranter ſcribit ſe nomen Cardinalis apud nullum antiquum ſcriptorem inueniſſe. 2. Triplex Cardinalium munus. 3. Petrus Damianus quid de primo. 4. Quid Canoniſtæ de ſecundo. 5. Ad ſolos Cardinales modo pertinet eligere ſummum Pontificem. 6. Cardinales ſummo Pontifici a Concilijs adſunt. 7. Spalatenſis contra Cardinalitiam purpuram clamat. 8. Cardinalis Tuſcus multa de Cardinalibus. 9. Quid hic ſignificetur per aſſenſum.

DE VENERABILIVM FRATRVM NOSTRORVM S. R. E. CARDINALIVM ASSENSV.



1 CAluinus a ait, nuſquã ſe nomen Cardinalis inueniſſe apud vllum antiquum ſcriptorem, qui ſit magno Gregorio vetuſtior; ſed hæc ſua obiectio inſolentis ignorantiæ, & temeritatis plena eſt, vt probat Cotonus. b Cum in

Romano Concilio reperiatur Syluestri Papæ, & Constantini Magni temporibus celebrato, hoc est trecentis prope annis ante Gregorium; legatur ipse Coronus, qui antiquitatem, & numerum Cardinalium, munus, atque officium patefacit. Videat & Lector Hieronymum Platum, c qui disertissime, & copiosissime agit de hac materia.

a, *Lib.4.Instit.cap.7.* b, *lib.2.cap.16.* c, *In Tractatum de Cardinalis dignit.& officio.*

2 Mauclerus d triplex Cardinalium munus in ipsa institutione antiqua radicatum facit. Primum est commune cum Episcopis, pastoribus, presbyteris, alijsque animarum cura sollicitis, earum saluti vehementer inuigilare, secundum in summi Pontificis electione canonica consistit. Tertium Romano Pontifici semper assistere, vigilando, eique vniuersalis Ecclesiæ solicitudine vexato, omni officio, opera, studio, industria, laboreque succurrere.

d, *Lib.4.2.p.cap.12.*

3 De Primo loquitur Petrus Damianus e, cum collegas suos Cardinales ita cohortatur, & vt animarum lucro studeant æstu charitatis accensi vehementer inflammat. *Nunc præterea Romana Ecclesia, quæ sedes est Apostolorum, antiquam debet imitare Curiam Romanorum, sicut enim tunc terrenus ille Senatus ad hoc communicabat omne consilium, in hoc dirigebat, & subtiliter exercebat communis industriæ studium, vt cunctarum gentium multitudo Romano subderetur imperio, ita nunc Apostolicæ sedis Aeditui,*

qui

qui spirituales uniuersalis Ecclesiæ Senatores sunt, huic soli studia debent solerter insistere, ut humanum genus ueri Imperatoris Christi ualeant legibus subiugare. Et sicut tunc Romanorum Consules ex diuersis mundi partibus reportabant, peracta hostium cæde; uictorias; sic isti nunc animas hominum de manu diaboli debent liberare captiuas. Ad hos quippe uictoriarum titulos, ad hos debent semper inhiare triumphos, uidelicet ut antiquo prædoni animarum pereuntium manubias rapere; & Regi suo Christo signa gaudeant uictricia reportare.

e, *Epist. ad Alex. 2. & Hildebrandum.*

4 De secundo munere loquuntur Canonistæ, atq; Theologi, vt Augustinus de Ancona f, & S. Antoninus g Canonum Ecclesiasticorum auctoritate fulti, cum secundum prisca, & antiqua iura Romanis ciuibus, principibusque secularibus Papam eligendi fas aliquando fuisset, vt patet *h*, Imperatoribus vero, atque Principibus propter eorum pietatem in Ecclesiam, nec non deuotam, strenuamque fortitudinem in ea contra omnes hæreticorum, barbarorum, infidelium, aliorumque Dei inimicorum impetus, atque furores tuenda, atque ad summę gloriæ, felicitatisque apicem prouehenda, ipsa fidelium mater Ecclesia hanc eligendi, postulandi, requirendiq; Pontificis auctoritatem induxit. *i*

f, *L. de potest. Eccl.* g, *par. 3. tit. 21. ca. 2. §. 6.* h, *in can. Ego Ludouicus, dist. 63. Can. in nomine, dist. 23.* i, *In nomine dist. 23. can. Hadrianus dist. 63. & can. in Synodo eadem dist.*

5 Postmodum vero, quia abutebantur tali priuilegio, inquit Antoninus, fuit illis ablatum, sic ecclesiæ decernentibus Canonibus k, indeque factum, statutum, & firma ordinatione obseruatum, vt ad solos Cardinales ius, & auctoritas eligendi, creandique Pontificem, vniuersali consentiente, atque probante ecclesia, pertineret. Hoc iura pontificia, & ecclesiastica definierunt, l clarissimeq. comprobarũt; in quibus decreuit ecclesia duas cętus, congregationisque Cardinalium partes ad legitimam Romani Pontificis electionem desiderari, atque requiri; secus manca, debilisque talis electio foret. Idipsum alius canon, lexque ecclesiastica confirmat. m Huic statuto, magnum Patres Concilij Lateranensis sub Alexandro III. robur sua determinatione contulerunt; atque sic a Cardinalibus hanc Romani Pontificis electionem fieri prudenter, sapienterque magnis ad id inuitata, permotaque rationibus ecclesia censuit, sanctoque impulsa spiritu decreuit.

k, Can. quia sancta Rom. ecclesia §. verum dist. 63. can. cum Hadrianus eadem dist. l, *can. 1. & seq. dist. 79. Hoc can. licet de electione Rom. Pont.* m, *Can. vbi periculum de electione, in sexto.*

6 Adesse denique Dominos Cardinales a consilijs summo Pontifici formula illa fidem facit, quæ in libello, *Diurnum bibliothecæ Vaticanæ*; inscripto habetur, & in recompilatione canonum Cardinalis Deus dedit; in qua sic Pater sanctissimus ecclesiæ vniuersalis pastor œcumenicus, moderatorque protestatur; *Si qua uere emiserint contra canonicam disciplinam*,

plinam, Ego cum filiorum meorum S. R. E. Cardinalium consilio, directione, & rememoratione ministerium meum geram, & emendari curabo.

7 Spalatensis clamat, & cruciatur, quod Romæ ad purpuram deuentum sit, & audet dicere, quod Hieronymo viro sanctissimo iniuriam fieret, si is inter Cardinales, vt passim depingitur, purpuratus collocaretur. Sed inter Cardinales quamplurimi sanctissimi enumerantur, qui Cardinalitiam purpuram minime refugerunt, cum eam nō ad pompam, ac fastum, sed ad dignitatis honorē, ac excellentiam declarandam datam agnoscerent, vt inquit Bouerius.[n] Habemus enim Petrum Damianum notę sanctitatis Cardinalem, Petrum Igneum maximi miraculi patratorem. S. Bernardum Parmensem Episcopum, Guarinum Bononiensem, Galdinum Mediolanensem, Bonauenturam Albanensem, Ioannem Fischerium Roffensem, ac martyrem; atque vt alios taceam, en nostra tempestate Sanct. Carolum Borromeum Cardinalem, & Archiepiscopum Mediolanensem innumeris prope miraculis clarum. Hi cum illustrissima sanctimonia, ac miraculis Cardinalitiam dignitatem purpura ornatam decorauerint; id plane testantur, Cardinalitiam purpuram adeo exhorrendam non esse, vt ea Hieronymus tegi erubesceret, si Cardinalis fuisset; neque enim an Cardinalis fuerit, attingere lubet; cum plurimas non ignorem hinc inde altercationes exurgere, & plures vtrinque Patronos erumpere; quanquam Augu-

Auguſtinus, o vel alter nomine Auguſtini, Hieronymum Cardinalem nominet titulo S. Laurentij inſignitum. Recenſere hic poſſem Caietanos, Turrecrematas, Toletos, Valerios, Bellarminos, Baronios, Perronios, Tuſcos, Pleſſæos, & multos alios, qui olim atque etianum eccleſiam ſua doctrina eximia, & dignitate illuminant.

n, *Cenſuræ Parænet. p. 2. lib. 4. c. 5.* o, *epiſt. ad fratres in heremo.*

8 Cardinalis Tuſcus p multa de Cardinalibus affert, nempe, Cardinales magis eſſe familiares Papæ, quam alios ſeruientes; & dici partem corporis, & Collaterales Papæ, quia ſunt vocati in partem ſolicitudinis; & ideo non minus debere eos gaudere priuilegijs, vt percipiant fructus in abſentia, quam alij familiares, & eccleſiæ ſeruientes. Dicit etiam idem Tuſcus, ipſos Cardinales habere quandam communionem cum Papa, tanquam membra cum capite; & horum collegium eſſe honorabilius membrum, quod habet Eccleſia. Spalatenſis contendit initio non fuiſſe tantum illuſtriſſimorum Cardinalium fulgorem, & ideo non debuiſſe poſterioribus ſeculis ſummis honoribus a Pontifice augeri. Sed ſtulte, quia ſic ſunt comparatæ res humanæ, vt Coeffeteau ſcribit, q vt haud quaquam vno momento, ſed ſenſim, ac paullatim, & morate ſuum ſplendorem, & dignitatem, vt plurimum conſequantur. Ipſa Regum potentia ex paruis initijs creuit, nec principio erat is Regius fulgor, qui poſtea ſecutus eſt; Id in reliquis ſeculi dignitatibus ſpectandum

ctandum proponitur, & constat, vt ita dicam, vires acquisijsse eundo, si modo solidis fundamentis nitebantur. Sane quemadmodum ad corporum lationem superficies mouentur, superficiesq; ipsas lineę æmulantur, sic crescente ecclesiæ Christi gloria, creuit nobilissimorum ministrorum, scilicet Purpuratorum Patrum dignitas; quos iam mœnibus sanctæ Hierosolymę impositos custodes Ecclesia catholica tota veneratur, ac suspicit. Scilicet nec ipsa ecclesia Christi sponsa statim eximios consequuta est honores, sed primum sub cruce fuit, indigne ab infidelibus habita, ac misere vexata, cuius rei gratia adductus cœlestis sponsus, conuersione rerum facta eam honoribus augere statuit, priore opprobrio detracto.

p, *in suis Pract. conclusionibus iuris.* q, *in discussione.* 5 *.cap.lib.*4.

9 *De assensu*, posset hic aliqantulum quis inhærere, quare summus Pontifex dicat de assensu, & non consensu: Zerola [r] sic respondet ex multis DD. quia consensus pōt dici, quando quis tenetur facere aliquid de cōsensu alicuius, & non pōt illud facere sine expresso consensu illius, immo illo nō consentiente nō valet factū. Assensus vero est, quando quis debet facere aliquid de assensu alicuius, tamē si facit illud sine illius assensu, valet, quod facit, & hinc patet resolutio illius quæstionis, an Papa possit aliquid determinare, vel constituere absq; assensu Cardinalium.

r, *in Com. Bullæ Indict. sancti Anni Iubilei Clem. VIII.*

SE-

SECTIO XXXX.

SYNOPSIS.

1. Iubilei publicatio quando fieri solet. 2. & 3. quæ cærimoniæ adhibentur, quando incipit Annus Iubilei. 4. Quo die Iulius III. & Clemens VIII. Portam Sanctam aperuerint. 5. Ritus aperiendi, & claudendi Portam Sanctam antiquus. 6. Initium lucri Anni Sancti. 7. An necessarium sit ingredi per Portam Sanctam. 8. An Sede vacante liceat Decano Cardinalium aperire Portam Sanctam. 9. Hæc Indulgentia Iubilei incipit ineunte Anno Sancto, absque noua alia concessione. 10. Doctores non faciunt Pontificem Deum. 11. Constantinus Magnus quo sensu dixerit Papam Deum. 12. Sed satius est ab hac appellatione abstinere. 13. Quo sensu Paulus per antonomasiam Apostolus dicatur. 14. Quomodo Paulus iudicarit se nihilo inferiorem esse summis Apostolis. 15. Qua in re Paulus præferendus omnibus Apostolis. 16. De imaginibus Petri, & Pauli. 17. Non semper dextera fuit honoratior. 18. Locus Suetonij explicatus. 19. Sectarij negant ab Apostolica Ecclesia fuisse imagines. 20. In adoratione imaginum nulla a Pontificijs committitur idolatria. 21. In huiusmodi adoratione non tribuitur diuinus cultus creaturæ, vt Deo. 22. Nouatores Regum, & Principum statuas curant erigi. 23. Hæretici soli imagini Diaboli pepercerunt. 24. Vmbra Petri imago corporis eius. 25. Vmbra Christi in Cruce latronem percussit. 26. & 27. Ex Petri vmbra infirmos curante colligitur Primatus eius. 28. Sancti cum Christo regnantes pie possunt a nobis inuocari. 29. Christus nō inhonoratur a nobis, dum in sanctorum memoriam templa erigimus. 30. De imaginibus a Syluestro Constantino ostensis. 31. Resp. Veneta arma contra Imperatores iconoclastas sumpsit. 32. Certa regula cognoscendi quænam sit vera Ecclesia. 33. Populus, qui fuit tempore Apostolorum, cum eo, qui illorum tempora est subsecutus, & subsequetur, per continuam successionem facit vnam Ecclesiam. 34. Sola Ecclesia, quæ Rom. Pont. subest, est vera Ecclesia. 35. Ea religio præferenda est, quæ fauet sanctitati vitæ. 36. Externa sanctitas non est Ecclesiæ vera nota, sed interna, & sincera. 37. Pontificij pueros, & puellas in monasteria indiscretè non intrudunt. 38. & 39. Ecclesia Catholica credit, & fatetur Monachatum esse opus Deo gratum. Id credidit Africa, Asia, & Europa. 40. Cælibatus obseruatu necessarius eis, qui eum Deo promiserunt, contra Spalatensem. 41. Quid sacræ litteræ de cælibatu Episcopi iubeant. 42. Explicatus locus Matthæi.

IV-

IVBILEI CELEBRATIONEM IN ANNVM PROXIMVM M.DCXXV. A PRIMIS VESPERIS VIGILIÆ NATIVITATIS DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI PROXIME FVTVRÆ INCHOANDAM, ET PER TOTVM ANNVM IPSVM FINIENDAM AVCTORITATE DEI OMNIPOTENTIS, ET BEATORVM APOSTOLORVM PETRI, ET PAVLI, AC NOSTRA, QVANTO MAXIMO POSSVMVS ANIMI NOSTRI GAVDIO, AD IPSIVS DEI GLORIAM, ET CATHOLICÆ ECCLESIÆ EXALTATIONEM INDICIMVS, ET PROMVLGAMVS.

1 Publicatio Iubilei fieri solet in die Ascensionis Domini nostri anno præcedente, in Ecclesia S. Petri Vaticana per duos Presbyteros, in duabus diuersis Cathedris bene paratis; Vnus legit Bullam Latine, alter Italice, exemplaria dein mittuntur per vniuersas in orbe Ecclesias.

2 Adueniente vigilia Natiuitatis Domini Nostri Iesu Christi, in qua Iubilei Annus, eiusque sollemnia incipiunt, huiusmodi cærimoniæ adhibentur, vt notat Bezonius. Primo maxime sollemnis processio instituitur, ad quam præter incredibilem, &

numerosam virorum, & mulierum multitudinem, conueniunt omnium Principum oratores, omnes Vrbis magistratus, Penitentiarij minores, qui apud Vaticanum resident, Prælati in Vrbe commorantes, sacrum illustrissimorum Dominorum Cardinalium Collegium, ac denique Summus Pontifex; Ordo, & ritus, qui seruatur in ea, videatur apud ipsum Benzonium.

a, *Lib.4.cap.13.*

3 Pontifex in fine processionis accedens ad Portam Sanctam, præferens manibus malleum, ter ipso percutit murum portæ aperiendæ, & aliquos versus præcinit. Et statim murarij, fabri, & ministri suis artificijs Portæ Sanctæ murum demoliuntur. Aperta porta Sancta, Pontifex Crucem in manu gestans, genuflexus ante ipsam portam sanctam præcinit Te Deum laudamus, & intrat portam sanctam. Eadem die, & hora Papa mittit tres Cardinales Legatos ad aperiendas alias portas sanctas Ecclesiarum S. Pauli, S. Ioannis Lateranensis, & Sanctæ Mariæ maioris; qui singuli easdem omnino cærimonias, & preces adhibent in earum reseratione: quæ portæ per totum annum Iubilei apertæ permanent, vt omnes Christi fideles assidue consequi valeant veniam, & Indulgentiam, ac plenariam suorum delictorum remissionem. Mysticas significationes, diuinaque arcana, quæ in huiusmodi cærimonijs celantur, latissime aperit Benzonius.

Iulius

4 Iulius III. Papa vero aperuit portam Sanctam in die S. Matthiæ, eo quod Sedes vacaret, nec citius potuerit implere. De Cleméte VIII. scribit Petrus Mattheus [b] licet ex podagra extreme laboraret, tamen e lecto se proripuit, etiam dissuadentibus medicis, & feliciter peregit hanc secularem pompam, sed solum in die S. Syluestri.

b, *Loco citato*.

5 Ritum hunc aperiendi, & claudendi Portam Sanctam antiquum esse, nõ recentem, vt male Panuinius scripsit, vel ex hoc apparet, cum de ipsa aperienda in principio anni Sancti mentionem faciat Alexander VI. in sua Bulla, quę incipit; *Inter curas multiplices*, &c. his verbis, *Portam dictæ Basilicæ Beati Petri centesimo quoque anno Iubilei pro maiori fidelium deuotione aperiri solitam, adstante venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Collegio, ac maxima Prælatorum, Cleri, & Populi multitudine proprijs manibus aperiemus, faciemusque aperire alias Basilicæ S. Pauli, ac Lateranensis, & Beatæ Mariæ Maioris de dicta Vrbe Ecclesiarum portas, etiam de more anno Iubilei aperiri consuetas.*

6 *A primis Vesperis Vigiliæ Natiuitatis*, & sic sublata est ambiguitas circa initium lucri Anni Sancti, de quo initio multa differit Zerola. [c] Nam portæ Sanctæ aperiuntur ante Vesperas, & sic ab illorum referatione incipit lucrum Thesauri anni Sãcti. Hęc dies, & hora sicut principio, ita etiam fini ipsius Anni Sancti dicata est; In qua clauditur porta Sancta,

adhibitis ritibus, & cærimonijs, quæ licet videre apud Benzonium. d

c, *In suo Tract. de Iubileo lib. 2. c. 10.* d, *cap. 16.*

7 Pium, & Sanctum est ingredi per portas Sãctas, non tamen necessarium ad consecutionem Iubilei; sicut etiam nullum peccatum est egredi, & transire cum peccato mortali per illas, remoto contemptu. An vero sede vacante, ob Summi Pontificis mortem liceat Decano Cardinalium, Episcopo videlicet Ostiensi aperire portam sanctam, Respondet Benzonius, si Iubileus iam fuerit indictus ante mortem Papę, posse, si autem non erat indictus, tunc etiam accedente tempore, quo solet Iubileus indici, existimat Benzonius e a nemine, qui non sit Papa, posse indici, & promulgari Iubileum, solus enim Papa, & Concilium generale in Dei Ecclesia Indulgentiam plenariam elagiri possunt, vt communiter DD. f docent.

e, *vbi supra Dub. 8.* f, *in 4. dist. 21.*

8 At vero, quoniam hæc Indulgentia Plenaria sancti Iubilei a proxime defuncti Pontificis prædecessoribus ita videtur enunciata, & promulgata, & non solum pro eo anno, in quo dicitur, sed etiam successiue, statis illis temporibus, scilicet vigesimoquinto quoque anno, concessa esse videatur, vt ex Bullis summorum Pontificum nõ obscure colligitur; cum narrent, hanc indulgentiam iubilei pro vigesimo quinto quoque anno a prædecessoribus concessam esse, & se eam confirmare, & approbare, atq; etiam

inno-

innouare; constanter pro resolutione dubij sic Benzonius respondet, sede vacante in Vigilia Natiuitatis Domini eius Anni, in quo incipit celebratio iubilæi, præsupposito quod indulgentia plenissima a prædecessoribus iam enunciata sit, recte posse ab illustrissimis Cardinalibus, vel de eorum commissione a quocunque alio Prelato Archiepiscopo, vel Episcopo suppleri functiones illarum actionum, videlicet reserationis Portę sanctæ, & aliarũ. Immo posset quoque Cardinalis Decanus ceteris assentientibus, litteras, & epistolas publicas ad vniuersos Christianos populos dirigere, illis significando inchoationem, & aduentum sancti iubilei a superioribus Pontificibus concessi instare; eosque ad sanctam peregrinationem inuitare.

9 Quod autem absque noua alia concessione hęc indulgentia iubilei ineunte anno sancto incipiat, declarãt expresse verba Iulij III. g Hic enim cũ post aduentum temporis Iubilei, qui currebat anno Domini 1550. creatus fuisset Pontifex, Bullam circa huius iubilei celebrationem edidit, datam anno Incarnationis Dominicæ 1549. Sexto Kal. Martij anno sui Pontif. primo, in qua dicit, Annũ iubilei tunc inchoasse, & incepisse a vigilia Natiuitatis D. Nostri Iesu Christi proxime præterita.

g, *In eius Constitutione, quæ incipit, Si pastores.*

10 *Auctoritate Dei omnipotentis, & beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac nostra.* Hic notandum

est,

est, Doctores Romanum Pontificem Deum minime facere, cęloque locare, si quãdo per excessum a nonnullis Deus nuncupetur. Glossa §. Deus dictus est Papa, ad summam scilicet, ac diuinã eius dignitatem declarandam. Ex hac glos. occasionem sumpsit Spalatensis crepitandi multa contumeliosa aduersus Romanum Pontificem, illum Deum videlicet, seu vice Deum appellans; cui Bouerius [h] sic respondet, si recte in scripturis Moyses appellatur Deus Pharaonis, & supremi Iudices Dij quoque nuncupantur, vt constat [i]; Dauid quoque eodem nomine, & sanctos viros insigniuit, cum ait, *Ego dixi, Dij estis*, [k] vt explicat Christus ipse; [l] quid est, quod tam graues furias despumas, cum audis Papã Deum appellari; cum is solus velis, nolis, supremus sit ecclesiæ Iudex, ac vice Christi Dei in ecclesia præsideat, quo sensu Deus in glos. d. nuncupatur.

g, *in extrauag. Cum inter. de ver. sig.* h, *Par. 2. cap. 6.* i, *Exod. 7. & 22.* k, *Psal. 81.* l, *Ioan. 10.*

11 At cur grauius in Constantinum magnum non excandescis, qui Syluestrum Deum hoc sensu dixit, vt testatur Nicolaus: [m] In Iustinianũ, qui [n] Petrum Apostolum diuinũ appellat, immo in ipsum Conc. Chalcedonẽse, in quo leguntur hæc verba Beronici ances vir deuotus, secretarius diuini Consistorij, vt habetur in concilijs veteris impressionis. Sed hæc auersum tuum a pietate animum potius, quam religionis zelum ostendunt; neque enim ignoras Papam respectu officij, non ratione personæ Deum appellari;

pellari; quod tamen olim tantum, ac rariſſime factum eſſe conſpicitur, quo fit, vt Diuinitas quidem in Pontificia auctoritate, quæ Chriſti Dei in terris Vicaria eſt, effulgeat; perſonæ vero, quæ Diuina huiuſmodi dignitate ornatur, & ſanctiſſimi nomen, & geniculationes, & pedum oſcula, in reuerentiæ, & ſubiectionis ſignum, velut Chriſti Dei Vicario debeantur.

m, *in can. ſatis euidenter. diſt. 96.* n, *in Decreto, quod eſt in init. noui Cod. de ſumma Trinit. & fid. cath.*

12 Veruntamen quidquid huius Gloſſæ, ac aliorum, qui Papam interdum Deum appellarunt, pietas, & ſumma in Romanum Pontificem Chriſti Vicarium reuerentia in ea appellatione exceſſerit; id nos libenter fatemur, ſatius eſſe ab hac appellatione abſtinere, ex qua rudibus, & ijs, qui legitimum illius ſenſum ignorant, ſcandalum oriri queat, quã ob ipſius vſum Hæreticorum tragedias excitare. Attamen non blaſphemiæ, vt garrit Spalatenſis, non Hęreſes, non Ethniciſmi ſunt, quæ ſcribit Petrus Bertrandus Cardinalis; cum Rom. Pont. tanquam Vicario Chriſti, eam poteſtatem tribuit, quam Chriſtus, vt Pontifex ſummus, & Eccleſiæ caput in ipſa eccleſia exercuiſſet; eam enim poteſtatem excipit, quæ vel Dei propria eſt, vel per excellentiam Chriſto, & Deo homini tribuitur. Neque inde elicere poteſt Spalatenſis, Papam Diuinam ſibi omnipotentiam vſurpare velle, cum eam tantum poteſtatem ſibi vendicat, quæ Vicarij capitis eſt, & quam Domi-

Domino deferente, ac præcipiẽte in ecclesiam exercendam suscepit.

13 Ex comparatione Petri cum Paulo colligunt sectarij, Paulum potius, quam Petrum Apostolorum Principem fuisse, sic enim Sibrandus argumentatur, vt scribit Gretserus: [a] qui ex omnibus Apostolis solus per antonomasiam Apostolus dicitur, ille est eximius inter Apostolos, & reliquis præfertur. Sed Paulus dicitur sic Apostolus; ergo. Aduersarius respondet, inquit Sibrandus, Paulum per antonomosiam dici Apostolum, quod plura scripserit, quã ceteri. Recinit Sibrandus. Hoc falsum est: Nam ex patribus plurimos libros scripsit Origenes, & similiter Augustinus, & tamen neuter per antonomasiam dicitur Pater. Respondet Gretserus, in Antonomasia spectandam esse loquentium consuetudinem, quæ in Apostolo Paulo obtinuit, vt absolute dicatur Apostolus ob multitudinem scriptorum, quibus omnes alios Apostolos numero superat. In ceteris extra hanc tribum scriptoribus, quos Caluinista nominat, vsus non obtinuit, vt ob monumentorum multitudinem, & varietatem per antonomasiam commune nomen fecerint suum.

a, in Defens. cap. 27. Bellarm. de Rom. Pont.

14 Quod Paulus postea iudicarit se nihilo inferiorem esse summis Apostolis, non sequitur tamen quod vult Sibrandus, quod ipse scilicet non fuerit inferior Petro, quo ad primatum, licet quo ad labores in Euangelio promulgando susceptos, & exhaustos,

stos, non fuerit ipsis summis Apostolis inferior. Nec his inferior fuit gratia, & vocatione ad Apostolatum, & alijs cœlestibus donis, excepto primatu, in quo vtique Petro inferior fuit.

15 Præferendus est ergo reliquis omnibus Apostolis Paulus, vt ait Gretserus, quo ad laborem, non quo ad Primatum. Aliud enim est primatus in potestate, iurisdictione, & præsidentia; aliud primatus, vt sic loquar, in labore. Sępe fit, vt gregarius miles, vel vnus ex ducibus non simpliciter supremis, plus laboris exhauriat, & subeat, quam ipse supremus Imperator. Num propterea illi supremo Imperatori simpliciter anteponitur, vel etiam æquatur?

16 Quod autem obijcitur de imaginibus Petri, & Pauli, quæ ita disponi solent, vt Paulus ad dexteram Petri conspiciatur, multis modis solui potest, vt est videre apud Bellarminum. p Dicit enim ipse Bellarminus, Paulum non semper ad dexteram conspici: & fortasse priscos consulto hoc fecisse, vt ex duobus summis Apostolis modo vnum, modo alterũ anteponerent, vt significarent hos Apostolos vel pares esse inter se, vel ignorari vtrum alter alteri præstet.

p, *loco citato.*

17 Respondet etiam Bellarminus, non semper dexteram fuisse honoratiorem, & probat hoc multis testimonijs, quod itidem facit Lipsius in Electis. Adhibet etiam aliam responsionem. Nam, vt annotauit Antonius Nebrissensis, q cum duo simul incedebant, olim id obseruabatur, vt senior, & honora-

tior ad læuam esset; iunior autem latus ei dextrum clauderet, & nonnihil præcederet in signum obsequij. Inde enim dicti sunt laterones, qui dexterum latus nobiliorum hominum defensionis causa tegebant. Ouidius. r

Et medium iuuenum, non indignantibus illis,
Ibat, & interior, si comes vnus erat.

Interior autem dicebatur, ait Gretserus, qui erat ad sinistrã teste Senico in illud, Radit inter læuum interior &c. Clamat Sibrandus, Hoc pro nobis est; Hoc ab ipso probari debet, non absque probatione asseri. Interior, & exterior sunt contraria omnino. At exterior est ad læuam; immo ad dexteram, velit, nolit; Nam interior ire dicitur, qui alteri it ad læuam, seu, vt Seruius loquitur, qui alteri it sinisterior. Necessarium ergo est, vt exterior huic interiori sit ad dexteram; neque enim fieri potest, vt quis eat mihi ad læuam, cui ego ad dexteram non gradiar. Et prorsus stulte arbitratur Sibrandus, exteriorem comitem, ad læuam secum euntis incedere. Et tamen hanc suam insipientiam semel effutiuisse non contentus absque vlla probatione garrit, latus tegere nihil aliud esse, quam ad læuam ire; cum qui latus tegere dicebatur, semper esset ad dexteram, vt ostendunt auctores citati, licet is, cuius latus tegeretur, tanquam honoratior esset ad sinistram tegentis.

q, *in annot. ad quinquaginta scripturæ loca.* r, *lib.* 5. *Fastorum.*

18 Nec quidquam iuuat Sibrandum Suetonius, qui ait,

ait, Claudium Imperatorem Aulo Plautio latus texisse; nam nihil aliud vult, quam Claudium ad dexteram Plautij iuisse, vel paullulum præiuisse; Plautium autem honoris causa interiorem fuisse; hoc est, Claudio iuisse ad sinistram. Nec obstat Eutropius, qui dicit, Claudium Plautio triumphanti læuum incessisse; læuus ei incessit, quia honoris causa læuo lateri suo dexterum Plautij latus texit: & hinc honestatus est Plautius, quod Claudio ad læuum iret. Hæc mens Eutropij, ait Gretserus, quam syllogista, vel potius Alogista Sibrandicus, ne vidit quidem, tantum abest, vt attigerit.

19 Iunius nihili facit hoc suorum argumentum, pro quo, Symmysta Iunij, Sibrandus vsq; adeo delirat. Imaginarium, inquit, est argumentum (eo minus causæ nostræ officit) non enim a prisca illa, & Apostolica Ecclesia sunt imagines. Tu dicis, vbi probatio? Danæus contra sentit; & ex argumento, ex picturis, & sigillis sumpto liquere existimat, primitiuam Ecclesiam omnibus modis Paulum antetulisse Petro. Et tamen tam ipse, quam ceteri sectarij perpetuo vociferantur, iudicio primitiuę Ecclesiæ omnes Apostolos fuisse æquales. Quomodo igitur maior Paulus Petro, si primitiua omnes duxit pares? Quomodo item primitiua Ecclesia his imaginibus sensum suum testari potuit, cum vt Iunius ait, Ecclesia primitiua imaginibus caruerit; cumque non semper Paulus dextram teneat, sed & aliquando sinistram? Sic Gretserus. Si mysticam huius rei

causam, & explicationem desideras, lege Epistolam hac de re Petri Damiani. ſ

ſ, *Epist. 16. Tom. 1. lib. 2.*

20 Cultum sacrarum imaginum idololatriam esse volunt Nouatores; voluerunt idem Nouatorum Patres, Heterodoxi veteres; sed quibus hi ceciderunt armis, cadunt & illi. Vide Bellarm. t Breuiter ostendit Vauthier u in imaginum veneratione nullam admitti a Pontificijs. Idololatriam, & proinde Heterodoxos calumniari Idololatria tunc committitur, cũ diuinus honor vsurpatur, & tribuitur creaturæ, sicut Deo; sed Pontificij in cultu imaginum non tribuunt creaturæ Cultum Deo debitum: ergo non admittunt Idololatriam: maior vt clara supponitur; minor declaratur; supponendo primo in adoratione imaginum, id quod directe, primario, ac per se venerantur Pontificij, esse personam in imagine repręsentatam; secundo, rationem huius venerationis esse excellẽtiam Prototypi, quæ & prototypum, & imaginem adoratione dignam reddit; illud per se, & propter, se hãc propter prototypum. Ita docet Trid. x dicens imaginibus debitam venerationem impertiendam, non quod credatur in ijs aliqua inesse diuinitas, sed quia honor refertur ad prototypũ, vnde omnis adoratio imaginum est respectiua.

t, *Lib. 2. de Sanctis.* u, *vbi supra quæst. 21.* x, *sess. 25.*

21 Minor ergo sic declarata ostenditur; Venerantur Pontificij pro maiorum ritu, Christi, & sanctorum imagines, at in huiusmodi veneratione diuinus cultus,

cultus non tribuitur creaturæ, vt Deo; quia siue honorent imagines Christi, siue sanctorum, tota ratio adorationis est prototypum, seu persona in imagine repræsentata, vt dictum est; ergo cum honorant imaginem Christi, licet vsurpent honorem diuinum, nunquam tamen imagini, secundum seipsam (quæ aliud non est, quam lignum, colores, figura) illum vendicant vt Deo, in quo consistit ratio idololatrię, sed totum in Christum referunt, quem in imagine repræsentatum cultu latriæ adorant. Nec etiam, cum venerantur imagines sanctorum, iniurij sunt in sanctum sanctorum Christum, quia non vsurpant honorem diuinum, tantum abest, vt illum imaginibus tribuant, sicut Deo; quia imagines non venerantur propter aliquam, quæ insit ipsis, excellētiam, sed propter eam, quæ inest sanctis, quos repræsentant imagines; quæ vt creata est, cultu non alio, quam qui creaturæ debetur, honoratur. Ergo Pontificij nullam in cultu imaginum admittunt idololatriam, quod sine ratione, sola calumniandi libidine, in vulgus spargunt Nouatores. Nec scripturæ loca, quæ ab ijs contra cultum imaginum adferuntur, imagines orthodoxorum impugnant, sed vel illas solas, quæ vel per seipsæ diuinis afficiuntur honoribus, vel per quas creaturæ alię, tamquam Dij coluntur.

22 Si Nouatores, quia cęci sunt, hæc non vident, agnoscant saltem, quid ipsi facere consueuerunt. Ipsi curant erigi statuas Regum, & Principum, for-

formari, ac artificiose depingi imagines suorum parentum, vxorum, liberorum, immo & prædicantium, vt Caluini, Bezæ, & aliorum. Nec solum erigi, & formari, sed etiam magno studio conseruari. Quæ ergo insania est, has tueri, ac pretio habere, & imaginem Christi conspuere, confringere, abolere? Nimirum volunt memoriam Christi abolitam, Caluini, & Bezæ conseruatam. O Tempora, ò mores. Multo aliter antiqui, & sancti Ecclesiæ Doctores, quorum testimonia videri possunt apud Bellarminum, Coccium, Valentiam, Cotonium, & præcipue apud Maiolum. *y*

y, in suo opere pro defensione sacrarum imaginũ aduersus Iconomachos.

23 Lancilottus *z* scribit Hęreticos in Vrbe Antuerpiensi omnibus imaginibus fractis Christi, & Sanctorum, soli latronis Christum blasphemantis statuæ pepercisse, eamque pristino loco palã donasse. An non impia hac factione, latronem Christo præferendum iudicarunt? & quid dico latronem? Non ne in Ciuitate Buxellensi cum in certam tabulam pictam, cuius medium Saluatorẽ iudicio extremo præsidentem, dextera, cęcum Tobiam cum vxore, sinistra, patientissimum Iob, vna cum Diabolo a tergo percutiente præferebat, incidissent; Saluatore, ac gemino patientiæ exemplari, Tobia, ac Iobo, scalpris clauis, aut cuspide ferrata erasis; soli diabolo pepercerunt, ipsum solum intactum reliquerunt?

z, 29. Quare.

24 Imaginum pius cultus in vmbra Petri a Deo primi-

primitus in primori illa Ecclesia tot, tantisq; miraculis est diuinitus cōsecratus. Nam quid vmbra Petri nisi imago expressa corporis eius? certe quidem non aliunde quam ex eiusmodi imaginibus vmbra formatis, picturam duxisse originem ferunt, vt ex Clem. Alex. Baronius a. Rursus veró cum eandem vmbræ Petri virtutem inditam videmus, quam & ipsi corpori Petri; illud certe typice expressum esse videtur, tantam a Deo Principi Apostolorum gratiarum copiam esse collatam, vt eandem in ipsius successores feliciter propagari voluerit, nimirum vt quamuis non omnes æque sancti, ac Petrus, tamen quia eius gererent personam, eandem etiam retinerent a Deo illi traditam potestatem, scirentque omnes, respectu Petri in honore habendos esse, qui vmbram saltem Petri hac ex parte referrent. Sic Baronius.

a, *ad an.* 34. *Christi.*

25 Refert B. Vincentius Ferrerius b quosdam putasse Christi in cruce vmbram percussisse latronem, qui dexter erat, eique sanctitatem contulisse, quando & sanitatem nunc contulit vmbra Petri. Non tñ vmbra per se operabatur, cum sit priuatio; sed præsentia Petri, propter quam curabantur infirmitates, siue ipse esset causa moralis tantum, siue etiam physica instrumentalis, vt Lorinus c scribit.

b, *Serm. in Parasceue.* c, *Act. cap.* 5.

26 Ceterum ex hac vmbra Petri, siue ex tam proprio vni illi curandi modo, Primatum illius collegit

Glossa

Gloſſa interlinearis, & Aluarus Pelagius. [d] Arator quoq; ſubindicat [e], quoniã quod hic in vmbra geritur per illũ, *In imagine enim pertranſit homo,* [f] re ipſa geratur in cęlo, hoc eſt, vt quod ſuprema, quam habet, poteſtate ligatur, & ſoluitur in terra per ſacramenti quaſi vmbram, ratum, firmumque ſit in cœlo. Haud multum ab Aratore abludit Beda, vt notat Lorinus.

d, *de planctu Eccleſiæ c.* 55. e, *lib.* 1. *in Acta.* f, *Pſ.* 38.

27 Leo IX. [g] indidem argumentatur eundem Primatum Petri, eum rectorem fuiſſe vtriuſque eccleſiæ præſentis, & futuræ, ac in ſe portendiſſe ſtatum eiuſdem, ita vt per ſecuram viam ſacramentorum viſibilium ſolidam tribueret ſpeciem in cœlo, quoniam *nunc videmus per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* [h]

g, *Epiſt.* 1. *ad Michaelem Conſtantinop. c.* 18. h, 1. *Cor.* 1.

28 Sancti cum Chriſto regnantes pie poſſe inuocari a nobis probat Becanus, [i] & huiuſmodi ſanctorum inuocationem non cedere in iniuriam Dei, nec Chriſti. Probat etiam nec ipſam eſſe ſignum diffidentiæ, nec eſſe inutilem, eo quod ipſi non audiant noſtras preces, neque ſciant, quid apud nos geratur; cum ſint in cœlo, & videant Deum, & in illo videant, & cognoſcant noſtras miſerias, & noſtras preces.

i, *vbi ſupra de inuocatione ſanctorum cap.* 7.

29 Non inhonoramus Chriſtum, dum in ſanctorum memoriam oratoria, monimenta, templa ergimus,

mus, sacra facimus, festa instituimus, vota nuncupamus, quia templa, sacra, festa, vota ipsi Deo cedunt; in templis, sacris, festis, memoria singularis, & veneratio congrua absque Dei iniuria cum Dei gloria tribuitur sanctis. Vide Aug. k

k, *lib.8.de ciuit.Dei.c.27.*

30 De imaginibus a Syluestro magno Imp. Constantino ostensis loquitur Hadrianus Papa l in causa maximæ illius controuersiæ de Imaginibus, quæ totum ferme eo tempore pessumdedit Oriẽtem. Iterum eorundem Apost. Petri, & Pauli, nec non ipsius Saluatoris imagines antiquitus effigiatas, ad sua quoque tempora esse in Palęstina conseruatas oculatus testis Eusebius m nos docet. Quod si ea visebãtur in Palæstina, vt ait Baronius n, tot prælijs sæpe deuastata, quanto magis Romæ asseruari potuerũt, vbi ijdem Apostoli diutius vixerunt, & martyrium passi sunt? Denique eadem ipsa tabula tunc a Syluestro Imperatori ostensa, hactenus magna ueneratione asseruatur in eiusdem Petri Basilica Vaticana.

l, *Epist.ad Imp.Const.& Irenem.* m, 7.*hist.*14. n, *ad an.*324.

31 In dicta controuersia de imaginibus Veneta Resp arma etiam aduersus Imperatores Iconoclastas, licet ipsi ipsam Remp. Imperij consortem vocarent, pro sacrarum imaginum cultu, & veneratione, ingenti, & præstanti animo sumpsit. Testis est ipse Baronius; loci non recordor.

32 *Ad catholicę Ecclesię exaltationem*; Sacroboscus tradit breuem, & certam regulam cognoscendi,

quænã sit vera Dei Ecclesia. Dicit. n. primo, veram extitisse ecclesiam tempore Apostolorum. Hoc negabit nemo, & luculentis nititur sacrarum litterarum testimonijs; vnde Vvhitakerus ait, Apostolorum memoriam omnes ecclesias, omnes Vrbes, omnia oppida, familias omnes eandem fidem, ac religionem coluisse, quam nunc profitentur Parlamentarij; idemque de se dicere solent alij sectarij. Secundo ait, ecclesiã hanc fuisse corpus heterogeneum, id est, constans membris diuersæ rationis; adeo vt alij fuerint superiores, alij subditi; alij pastores, alij oues; alij præditi potestate dirigendi, & coercendi, alij necessitatem habentes parendi, & obsequendi. Hac de re nullus, qui alicuius sit nominis, contendit sectarius, & probatur manifestissime ex scripturis. Tertio inquit, Ecclesiam hanc siue corpus heterogeneum sic distinctum durasse a tempore Apostolorum, vsque ad nostram ætatem, & deinceps duraturam vsque ad finem mundi, & probat id ex D. Pauli verbis; p & etiam ex ipsismet sectarijs.

o, *in suo Tract. de inuestiganda vera, ac visibili Christi Ecclesia, cap. 2.*
p, *Ephes. 4.*

33 Sumit insuper, populum, qui fuit tempore Apostolorum, cum eo, qui illorum tempora est subsecutus, & subsequetur deinceps, facere vnam ecclesiam per continuam successionem; & successioné pastorum (ex quibus de populo fertur iudicium) in Christi ecclesia fieri per visibilem propagationem posteriorũ a prioribus, & tandem pastores, qui subsequen

tibus

tibus seculis successerunt Apostolis, & pastoribus ab Apostolis proxime creatis, directe petendos esse ex fide digna historia. Hæc enim est testis temporũ, & sacræ litteræ per modum narrationis non progrediuntur vltra tempora Apostolorum.

34 Ex his collegit, & Ecclesiam Catholicam, siue eam, quæ Romano Pontifici subest esse veram Ecclesiam, & alias omnes congregationes sectariorum esse sathanæ synagogas. Legatur Northusius de vera Ecclesia, vbi adducit hanc eandem quęstionem, vbinam scilicet vera Ecclesia sit, apud catholicos ne, an apud Ministros; eligens quattuor signa vtrinque approbata ad hanc rem inuestigandam; quæ sunt vnitas, sanctitas, vniuersalitas, & Apostolica successio.

35 Leonardus Lessius scribit q eam religionem præferendam esse, quæ fauet puritati, & sanctitati vitæ; quæ ab affectu terrenorum mentes euocat, & ad cęlestium amorem traducit. At talis est sola Religio Catholica. Hæc enim suadet abstinere a voluptatibus carnis, & illecebris huius vitæ; hęc docet diuitias, & honores contemnere, & ijs, cum possidentur, propter Christum renuntiare. Hęc suadet ieiunia, cilicia, chaumeniam, & alias corporis afflictiones, quibus caro dometur, & spiritui subijciatur. Ergo, &c.

q. *De vera fide capescenda. lib. 2.*

36 Meisnerus huic considerationi lessianæ se opponit, dicens, si infallibile veritatis signum esset ex-

terna illa peculiaris sanctitas, tum Essenorum; & Pharisęorum doctrina improbari non potuisset, &c. Sed Hugo hanc Lutherani Ministri oppositionem refutat hoc modo, ipsum Meisnerum scilicet mala fide supponere, a Lessio allatam esse externam sanctitatem pro Ecclesiæ veræ nota, id enim esset hypocrisim laudare pro signo veritatis. Lessius expresse assumpsit pro maiore primi sui argumenti hanc propositionem; Ea religio prçferenda est, quę ab affectu terrenorum mentem euocat, & ad cęlestium amorem traducit, vbi de interna, & sincera sanctitate eum loqui est manifestum. Qui enim mentem habet ab omni terreno affectu auocatam, traductāque in amorem cœlestium, is vere, & sincere sanctus est, non externa tantum hypocrisi personatus.

37 Calumniosum item erit illud eiusdem Meisneri, Pontificios scilicet indiscretè pueros, & puellas in monasteria intrudere, parentibus etiam eripere, & ad vitam solitariam cogere. Pontificij enim docent, vota coacte edita, seu vel graui metu, vel etiam reuerentiali extorta, ea ipsa re esse irrita. Et Conc. Trid. r grauissime in eos consulit, qui puellam aliquam compulerint in monasticę vitę Claustra: sed Lutheri sectator id asserit, vt sic monastica vota, & præcipue Ecclesiasticum cęlibatum improbet, & damnet.

r, Sess.25.cap.18.

38 Sed Ecclesia Catholica monachatum credit, & fatetur bonum opus esse, ac Deo gratum. Item olim credi-

credidit Africa; Id testatur exéplo suo Augustinus, qui et se ipsum monachum fuisse, monasteriumque, ac genus viuendi proprium instituisse, Petiliano sibi frustra ore maledico ogganiente asserit.[ſ] Fuit ipse Augustinus monachorum, & clericorum Institutor, vt probat Stellartus[t]; qui etiam loquens de contentione primatus susceptæ legis, sic cum Iordane de Saxonia dicit: Ego omni scrupulo semoto æstimo, quod illi de ipsius Regulæ primatu dignius glorientur; qui contenta in ea deuotius, & feruentius exequuntur; non enim de primitate collationis, sed de præcipuitate obseruationis est curandum.

ſ In lib. 3. contra Petiliani litteras t, In Nucleo historico Regulæ S. Augustini,

39 Monachatum esse bonum, ac Deo gratum credidit & Asia; & hoc etiam exemplo suo testatur D. Hieronymus; cuius eremiticam vitam in deserto, si litteræ tacuissent, picturę profecto tot seculis communi christianorum consensu vsitatę sufficienter loquerentur. Non enim mollem, aut delicatum hominem, vel in medio foro versantem significant horribile antrum, inter medias cautes, simulachra leonum, & serpentum, saxumque manu prehensum ad sæua pectoris verbera, os exanguę, tabefactum corpus, oculique lacrymarum imbre stillantes. Monastica porrò, quam idem ipse Pater eremiticā est professus, in hodiernum vsque diem Religiosorum Hieronymianorum institutio nobis Hieronymi vi-

uendi

uendi ritum ob oculos ponit. Idem & Europam credidisse docet Ambrosius [u]; ait enim, Eusebium Vercellensem Episcopum instituta Monachorum in ciuitate posita tenuisse, & Ecclesiam rexisse ieiunij sobrietate.

u, Lib. 10. Epist. 82.

40 Quod ad Ecclesiasticum cęlibatum postea spectat, quem Lutheriana cōfessio tamquam Deo odibilem, & hominibus importabilem reprehendit; Nos, & Deo gratum, & hominum generi salutarem, ijsque obseruatu necessarium, qui eum Deo promiserunt, confitemur contra Spalatensem, qui sic scriptū reliquit [x] eos, qui de continentia vera, & perfecta seruanda diffidunt, ipsamque capere nō possunt, clam, & prudenter ad persecutiones superiorum euitandas, vxores ducere posse: ijsque cum sancta benedictione vti, potius quam sordescere. Consilium impium, vt notat hic censura facultatis Theologicæ Coloniensis, scandalosum, perniciosum; quo M. Antonius se ipsum de incontinentia suspectum facit. Cur, inquit hic Bouerius, homines etiam a diuinis præceptis non liberas, Antoni; vt qui vel a fornicatione, vel a nece proximi, vel a rerum alienarum appetitu, atque vsurpatione, ac alijs sceleribus abstinere non possunt, clam, & prudenter ad persecutiones Principum, ac Magistratuum effugiendas, fornicationes, adulteria, incestus exerceant, homicidia perpetrent, aliorum bona inuadant; ac scelera omnia; dummodo id clam, & caute fiat, libere committant?

tant?

tant? Cum enim tam Dei præceptum sit promissa vota Deo reddere, quam non fornicari, non occidere, alienas res non appetere, atque alia, quæ a Deo vel præcipiuntur, vel prohibentur; si ea auctoritate polles, & in votis omnes indifferenter dispensare valeas, cur te ea quoque potestate præditum non prædicas, qua in ceteris elargiri queas? qua tua non sancta, sed impia benedictione fulti, libere, ac tuta conscientia, ea præuaricari queant? Heu scelus! heu impietas! En quo hominis impudentia, ac temeritas sese effert.

x, 1. *lib. de Rep. Eccl. cap.* 11.

41 Orere è venerando sancti præsepis antro, Hieronyme Pater mi, tecumque adfer in lucem, quæ primo aduersus Iouinianum libro scripsisti, vt cognoscat hic noster orbis, quidnam sacræ litteræ de cęlibatu Episcopi iubeant. Non dicit Paulus, eligatur Episcopus (ait vetus iste Pater) qui vnam ducat vxorem, & filios faciat; sed qui vnam habuerit vxorem, & filios in omni subditos disciplina. Certe confiteris, non posse esse Episcopum, qui in Episcopatu filios faciat. Alioqui si deprehensus fuerit, non quasi vir tenebitur, sed quasi ADVLTER damnabitur. Sed & hoc inferendum. Si laicus, & quicunque fidelis orare non potest, nisi careat officio coniugali; sacerdoti, cui semper pro populo offerenda sunt sacrificia, semper orandum est. Si semper orandum est, ergo semper carendum matrimonio.

42 Item super ista verba Christi. x *Non omnes capiunt*

formari, ac artificiose depingi imagines suorum parentum, vxorum, liberorum, immo & prædicantium, vt Caluini, Bezæ, & aliorum. Nec solum erigi, & formari, sed etiam magno studio conseruari. Quæ ergo insania est, has tueri, ac pretio habere, & imaginem Christi conspuere, confringere, abolere? Nimirum volunt memoriam Christi abolitam, Caluini, & Bezæ conseruatam. O Tempora, ò mores. Multo aliter antiqui, & sancti Ecclesiæ Doctores, quorum testimonia videri possunt apud Bellarminum, Coccium, Valentiam, Cotonium, & præcipue apud Maiolum. y

y, in suo opere pro defensione sacrarum imaginũ aduersus Iconomachos.

23 Lancilottus z scribit Hęreticos in Vrbe Antuerpiensi omnibus imaginibus fractis Christi, & Sanctorum, soli latronis Christum blasphemantis statuæ pepercisse, eamque pristino loco palã donasse. An non impia hac factione, latronem Christo præferendum iudicarunt? & quid dico latronem? Non ne in Ciuitate Buxellensi cum in certam tabulam pictam, cuius medium Saluatorẽ iudicio extremo præsidentem, dextera, cęcum Tobiam cum vxore, sinistra, patientissimum Iob, vna cum Diabolo a tergo percutiente præferebat, incidissent; Saluatore, ac gemino patientiæ exemplari, Tobia, ac Iobo, scalpris clauis, aut cuspide ferrata erasis; soli diabolo pepercerunt, ipsum solum intactum reliquerunt?

z, 29. Quare.

24 Imaginum pius cultus in vmbra Petri a Deo primi-

primitus in primori illa Ecclesia tot, tantisq; miraculis est diuinitus cõsecratus. Nam quid vmbra Petri nisi imago expressa corporis eius? certe quidem non aliunde quam ex eiusmodi imaginibus vmbra formatis, picturam duxisse originem ferunt, vt ex Clem. Alex. Baronius a. Rursus verò cum eandem vmbræ Petri virtutem inditam videmus, quam & ipsi corpori Petri; illud certe typice expressum esse videtur, tantam a Deo Principi Apostolorum gratiarum copiam esse collatam, vt eandem in ipsius successores feliciter propagari voluerit, nimirum vt quamuis non omnes æque sancti, ac Petrus, tamen quia eius gererent personam, eandem etiam retinerent a Deo illi traditam potestatem, scirentque omnes, respectu Petri in honore habendos esse, qui vmbram saltem Petri hac ex parte referrent. Sic Baronius.

a, ad an. 34. Christi.

25 Refert B. Vincentius Ferrerius b quosdam putasse Christi in cruce vmbram percussisse latronem, qui dexter erat, eique sanctitatem contulisse, quando & sanitatem nunc contulit vmbra Petri. Non tñ vmbra per se operabatur, cum sit priuatio; sed præsentia Petri, propter quam curabantur infirmitates, siue ipse esset causa moralis tantum, siue etiam physica instrumentalis, vt Lorinus c scribit.

b, Serm. in Parasceue. c, Act. cap. 5.

26 Ceterum ex hac vmbra Petri, siue ex tam proprio vni illi curandi modo, Primatum illius collegit Glossa

mus, sacra facimus, festa instituimus, vota nuncupamus; quia templa, sacra, festa, vota ipsi Deo cedunt; in templis, sacris, festis, memoria singularis, & veneratio congrua absque Dei iniuria cum Dei gloria tribuitur sanctis. Vide Aug. [k]

k, *lib.8.de ciuit.Dei.c.27.*

30 De imaginibus a Syluestro magno Imp. Constantino ostensis loquitur Hadrianus Papa [l] in causa maximæ illius controuersiæ de Imaginibus, quæ totum ferme eo tempore pessumdedit Oriētem. Iterum eorundem Apost. Petri, & Pauli, nec non ipsius Saluatoris imagines antiquitus effigiatas, ad sua quoque tempora esse in Palęstina conseruatas oculatus testis Eusebius [m] nos docet. Quod si ea visebā tur in Palæstina, vt ait Baronius [n], tot prælijs sæpe deuastata, quanto magis Romæ asseruari potuerūt, vbi ijdem Apostoli diutius vixerunt, & martyrium passi sunt? Denique eadem ipsa tabula tunc a Syluestro Imperatori ostensa, hactenus magna ueneratione asseruatur in eiusdem Petri Basilica Vaticana.

l, *Epist.ad Imp.Const.& Irenem.* m, 7.*hist.*14. n, *ad an.*324.

31 In dicta controuersia de imaginibus Veneta Resp arma etiam aduersus Imperatores Iconoclastas, licet ipsi ipsam Remp. Imperij consortem vocarent, pro sacrarum imaginum cultu, & veneratione, ingenti, & præstanti animo sumpsit. Testis est ipse Baronius; loci non recordor.

32 *Ad catholicę Ecclesię exaltationem*; Sacroboscus tradit breuem, & certam regulam cognoscendi,

quænã sit vera Dei Ecclesia. Dicit.n. primo, veram extitisse ecclesiam tempore Apostolorum. Hoc negabit nemo, & luculentis nititur sacrarum litterarum testimonijs; vnde Vvhitakerus ait, Apostolorum memoriam omues ecclesias, omnes Vrbes, omnia oppida, familias omnes eandem fidem, ac religionem coluisse, quam nunc profitentur Parlamentarij; idemque de se dicere solent alij sectarij. Secundo ait, ecclesiã hanc fuisse corpus heterogeneum, id est, constans membris diuersæ rationis; adeo vt alij fuerint superiores, alij subditi; alij pastores, alij oues; alij præditi potestate dirigendi, & coercendi, alij necessitatem habentes parendi, & obsequendi. Hac de re nullus, qui alicuius sit nominis, contendit sectarius, & probatur manifestissime ex scripturis. Tertio inquit, Ecclesiam hanc siue corpus heterogeneum sic distinctum durasse a tempore Apostolorum, vsque ad nostram ætatem, & deinceps duraturam vsque ad finem mundi, & probat id ex D. Pauli verbis; p & etiam ex ipsismet sectarijs.

o, in suo Tract. de inuestiganda vera, ac visibili Christi Ecclesia, cap. 2.
p, Ephes. 4.

33 Sumit insuper, populum, qui fuit tempore Apostolorum, cum eo, qui illorum tempora est subsecutus, & subsequetur deinceps, facere vnam ecclesiam per continuam successionem; & successionẽ pastorum (ex quibus de populo fertur iudicium) in Christi ecclesia fieri per visibilem propagationem posteriorũ a prioribus; & tandem pastores, qui subsequen

tibus

tibus seculis successerunt Apostolis, & pastoribus ab Apostolis proxime creatis, directe petendos esse ex fide digna historia. Hæc enim est testis temporũ, & sacræ litteræ per modum narrationis non progrediuntur vltra tempora Apostolorum.

34 Ex his collegit, & Ecclesiam Catholicam, siue eam, quæ Romano Pontifici subest esse veram Ecclesiam, & alias omnes congregationes sectariorum esse sathanæ synagogas. Legatur Northusius de vera Ecclesia, vbi adducit hanc eandem quęstionem, vbi nam scilicet vera Ecclesia sit, apud catholicos ne, an apud Ministros; eligens quattuor signa vtrinque approbata ad hanc rem inuestigandam; quæ sunt vnitas, sanctitas, vniuersalitas, & Apostolica successio.

35 Leonardus Lessius scribit q eam religionem præferendam esse, quæ fauet puritati, & sanctitati vitæ; quæ ab affectu terrenorum mentes euocat, & ad celestium amorem traducit. At talis est sola Religio Catholica. Hæc enim suadet abstinere a voluptatibus carnis, & illecebris huius vitæ; hęc docet diuitias, & honores contemnere, & ijs, cum possidentur, propter Christum renuntiare. Hęc suadet ieiunia, cilicia, chaumeniam, & alias corporis afflictiones, quibus caro domctur, & spiritui subijciatur. Ergo, &c.

q, *De vera fide capescenda. lib. 2.*

36 Meisnerus huic considerationi lessianæ se opponit, dicens, si infallibile veritatis signum esset ex-

terna illa peculiaris sanctitas, tum Essenorum; & Pharisęorum doctrina improbari non potuisset, &c. Sed Hugo hanc Lutherani Ministri oppositionem refutat hoc modo, ipsum Meisnerum scilicet mala fide supponere, a Lessio allatam esse externam sanctitatem pro Ecclesiæ veræ nota, id enim esset hypocrisim laudare pro signo veritatis. Lessius expresse assumpsit pro maiore primi sui argumenti hanc propositionem; Ea religio pręferenda est, quę ab affectu terrenorum mentem euocat, & ad cęlestium amorem traducit, vbi de interna, & sincera sanctitate eum loqui est manifestum. Qui enim mentem habet ab omni terreno affectu auocatam, traductamque in amorem cœlestium, is vere, & sincere sanctus est, non externa tantum hypocrisi personatus.

37 Calumniosum item erit illud eiusdem Meisneri, Pontificios scilicet indiscretè pueros, & puellas in monasteria intrudere, parentibus etiam eripere, & ad vitam solitariam cogere. Pontificij enim docent, vota coacte edita, seu vel graui metu, vel etiam reuerentiali extorta, ea ipsa re esse irrita. Et Conc. Trid. r grauissime in eos consulit, qui puellam aliquam compulerint in monasticę vitę Claustra: sed Lutheri sectator id asserit, vt sic monastica vota, & præcipue Ecclesiasticum cęlibatum improbet, & damnet.

r, Sess. 25. cap. 18.

38 Sed Ecclesia Catholica monachatum credit, & fatetur bonum opus esse, ac Deo gratum. Item olim credi-

credidit Africa; Id testatur exẽplo suo Augustinus, qui et se ipsum monachum fuisse, monasteriumque, ac genus viuendi proprium instituisse, Petiliano sibi frustra ore maledico ogganiente asserit.[s] Fuit ipse Augustinus monachorum, & clericorum Institutor, vt probat Stellartus[t]; qui etiam loquens de contentione primatus susceptæ legis, sic cum Iordane de Saxonia dicit: Ego omni scrupulo semoto æstimo, quod illi de ipsius Regulæ primatu dignius glorientur; qui contenta in ea deuotius, & feruentius exequuntur; non enim de primitate collationis, sed de præcipuitate obseruationis est curandum.

s *In lib. 3. contra Petiliani litteras* t *In Nucleo historico Regulæ S. Augustini.*

39 Monachatum esse bonum, ac Deo gratum credidit & Asia; & hoc etiam exemplo suo testatur D. Hieronymus; cuius eremiticam vitam in deserto, si litteræ tacuissent, picturę profectò tot seculis communi christianorum consensu vsitatę sufficienter loquerentur. Non enim mollem, aut delicatum hominem, vel in medio foro versantem significant horribile antrum, inter medias cautes, simulachra leonum, & serpentum, saxumque manu prehensum ad sæua pectoris verbera, os exangue, tabefactum corpus, oculique lacrymarum imbre stillantes. Monastica porrò, quam idem ipse Pater eremiticã est professus, in hodiernum vsque diem Religiosorum Hieronymianorum institutio nobis Hieronymi viuendi

uendi ritum ob oculos ponit. Idem & Europam credidisse docet Ambrosius [u]; ait enim, Eusebium Vercellensem Episcopum instituta Monachorum in ciuitate posita tenuisse, & Ecclesiam rexisse ieiunij sobrietate.

u. Lib. 10. Epist. 82.

40 Quod ad Ecclesiasticum cęlibatum postea spectat, quem Lutheriana cõfessio tamquam Deo odibilem, & hominibus importabilem reprehendit; Nos, & Deo gratum, & hominum generi salutarem, iisque obseruatu necessarium, qui eum Deo promiserunt, confitemur contra Spalatensem, qui sic scriptũ reliquit [x] eos, qui de continentia vera, & perfecta seruanda diffidunt, ipsamque capere nõ possunt, clam, & prudenter ad persecutiones superiorum euitandas, vxores ducere posse: iisque cum sancta benedictione vti, potius quam sordescere. Consilium impium, vt notat hic censura facultatis Theologicæ Coloniensis, scandalosum, perniciosum; quo M. Antonius se ipsum de incontinentia suspectum facit. Cur, inquit hic Bouerius, homines etiam a diuinis præceptis non liberas, Antoni; vt qui vel a fornicatione, vel a nece proximi, vel a rerum alienarum appetitu, atque vsurpatione, ac alijs sceleribus abstinere non possunt, clam, & prudenter ad persecutiones Principum, ac Magistratuum effugiendas, fornicationes, adulteria, incestus exerceant, homicidia perpetrent, aliorum bona inuadant; ac scelera omnia; dummodo id clam, & caute fiat, libere committant?

tant? Cum enim tam Dei præceptum sit promissa vota Deo reddere, quam non fornicari, non occidere, alienas res non appetere, atque alia, quæ a Deo vel præcipiuntur, vel prohibentur; si ea auctoritate polles, & in votis omnes indifferenter dispensare valeas, cur te ea quoque potestate præditum non prædicas, qua in ceteris elargiri queas? qua tua non sancta, sed impia benedictione fulti, libere, ac tuta conscientia, ea præuaricari queant? Heu scelus! heu impietas! En quo hominis impudentia, ac temeritas sese effert.

x, 2.*lib.de Rep.Eccl.cap.*11.

41 Orere è venerando sancti præsepis antro, Hieronyme Pater mi, tecumque adfer in lucem, quæ primo aduersus Iouinianum libro scripsisti, vt cognoscat hic noster orbis, quidnam sacræ litteræ de cęlibatu Episcopi iubeant. Non dicit Paulus, eligatur Episcopus (ait vetus iste Pater) qui vnam ducat vxorem, & filios faciat; sed qui vnam habuerit vxorem, & filios in omni subditos disciplina. Certe confiteris, non posse esse Episcopum, qui in Episcopatu filios faciat. Alioqui si deprehensus fuerit, non quasi vir tenebitur, sed quasi ADVLTER damnabitur. Sed & hoc inferendum. Si laicus, & quicunque fidelis orare non potest, nisi careat officio coniugali; sacerdoti, cui semper pro populo offerenda sunt sacrificia, semper orandum est. Si semper orandum est, ergo semper carendum matrimonio.

42 Item super ista verba Christi. *y Non omnes capiunt*

piunt verbum istud; Nemo putet sub hoc verbo vel fatum, vel fortunam introduci; quod hi sunt virgines, quibus a Deo datum sit, aut quos quidam ad hoc casus adduxerit, sed his datum est, qui petiuerunt, qui, vt acciperent, laborauerunt. *Omni enim petenti dabitur, & quærens inueniet, & pulsanti aperietur*. Et postea, quasi hortantis vox Domini est, & milites suos ad pudicitiæ præmium concitantis, *qui potest capere, capiat*. Qui potest pugnare, pugnet, superet, & triumphet.

y, *Matth.* 19.

SECTIO XXXXI.

SYNOPSIS.

1. *Quando terminet Annus Iubilei.* 2. *An toties quoties acquiri possit Indulgentia Anni Iubilei.* 3. *Quando datur Iubileus pro vna ex duabus hebdomadibus, an bis possit lucrari.* 4. & 5. *Quomodo quis eodem tempore possit lucrari diuersas Indulgentias.* 6. *An sanctimoniales priuentur fructu Iubilei.* 7. *Vrbanus VIII. sanctimonialibus omnibus, & nonnullis alijs personarum generibus Iubilei fructum impertiuit.* 8. *Tempore Iubilei etiam sanctimoniales nequeunt eligere confessarium, nisi ad hoc ab ordinario ipsarum specialiter deputetur.* 9. *An ipsi summo Pontifici Anni sancti Indulgentia prosit.* 10. *Lucraturus Indulgentiam debet esse in gratia.* 11. & 12. *An omnes visitationes ecclesiarum in Anno sancto prærequirant confessionem sacramentalem.* 13. *Quid Corduba de hac quæstione.* 14. *Contritio cum proposito confitendi ante postremam visitationem satis est.* 15. *Tutior opinio, vt ante visitationes confessio fiat.* 16. *An resurgens a peccato percipiat fructum Indulgentiarum in statu peccati perceptarum.* 17. *Quando Indulgentiæ reuiuiscere possint.* 18. *An excommunicatus possit indulgentias obtinere.* 19. *Quando Indulgentia est valida concessa excommunicato.* 20. *An habens tantum venialia teneatur confiteri ad lucrandam Indulgentiam.* 21. & 22. *An culpæ venialis im-*

pediat

pediat fructum indulgentiæ. 23. An opus postulatum pro Indulgentia requiratur, quod sit bonum in indiuiduo.

QVO IPSO IVBILEI ANNO DVRANTE, OMNIBVS VTRIVSQVE SEXVS CHRISTI FIDELIBVS VERE POENITENTIBVS, ET CONFESSIS.

1 IAm vidimus annum Iubilei incipere in Vigilia Natiuitatis Domini in primis vesperis duraturum vsque ad Vigiliam in primis ijsdem Vesperis eiusdem festi; ea tantum est diuersitas, quod Vesperæ initio anni dicuntur post apertionem portæ, vnde iam ab earum initio cœptus est Iubileus; at in fine dicuntur antequam porta claudatur, vnde perdurat annus vsque ad finem Vesperarum. Ex quo patet eum, qui confessionem faciendam pro Iubileo differat in diem Natalis Domini sequentem Vigiliam, in qua clausa est porta, non lucraturum Indulgentiam, quia iam annus finitus est in primis Vesperis, vt ex Nauar. Filliucius concludit. *a*

a, cap.10.num.250.

2 An vero toties quoties acquiri possit indulgentia Iubilei in anno sancto, an vero semel tantum, respondet Filliucius *b* probabilius esse toties quoties, per ea, quæ adducit Nauar. *c* præcipue quia beneficium Principis tertio non præiudiciale latissime interpretandum est, & verba concessionis secundum

propriam suam significationem hanc interpretatio-nem patiuntur. Confirmatur, quia fauet magis pietati fidelium, deuotioni, & sensui eorundem. Posset etiam probari ex regulis generalibus Doctorum, vt quod indulgentia in tempus aliquod concessa visitantibus aliquam ecclesiam acquiri potest pluries ab eodem.

b, num. 261. c, not. 32. num. 46.

3 Sic etiam quando conceditur Iubileus pro vna ex duabus hebdomadibus, potest quis bis illum lucrari, in prima scilicet, & secunda hebdomada; sic ex Henriquez Filliucius. Ex quibus patet, sequitur ipse Filliucius, posse quempiam pluries absolui a casibus reseruatis, & vti facultatibus, quæ conceduntur in Iubileo. Tamen aduertit, etsi hæc probabiliter a Doct. dicta sint, tamen mense Maio anni 1626. declarasse S. Congr. Concilij tantum semel acquiri Indulg. per Iubileum, & semel tantum a casibus absolui quempiam posse; quare huic declarationi standum erit. Idem Filliucius d dicit Clem. VIII. respondisse semel tantum sumi posse ubileũ, tam in anno sancto, quam in alijs indulgentijs in forma Iubilei concessis; ideo dum non constet maior lux, sic erit tenendum.

d, num. 278.

4 Vtrum vero quis eodem tempore posit lucrari diuersas indulgentias, verbi causa, habet quis sex diuersi generis imagines sacras, quarum singulas habenti, ac legenti Pater, & Aue confertur indul-

gentia

gentia vnius anni; Vtrum is legendo semel Pater, & Aue lucretur Indulgentiam sex annorum. Quidam id putant, quia talis vere fecit opus præscriptum; sed cõtrarium communiter tenendum esse ait Coninck ex Suarez, [e] quia hæc opera ita præscribuntur, vt singula pro singulis indulgentijs requirantur, alias non essent proportionata indulgentijs.

e, Disput. 12 de indulg. dub. 9. nu. 42.

5 Quod si tamen opus esset tale, vt non posset multiplicari, verbi causa, si essent concessæ communicanti in festo Natiuitatis, tunc nõ esset omnino improbabile, aliquem posse diuersas indulgentias lucrari, si tanta deuotione illud opus obeat, vt sit illis omnibus proportionatum; sic Coninck ex eodem Suarez.

6 An vero sanctimoniales tam externę, quam Romanæ priuentur fructu Iubilei in anno sancto, Benzonius [f] sic respondet, quod si verba Diplomatis Apostolici attendamus, vtique illæ priuantur, cum opera iniuncta adimplere non possint, & quamuis legitimo impedimento detentæ sint, nec enim septa monasterij egredi possunt; tamen quia conditionem concessionis adimplere non possunt, fructum Iubilei non acquirunt. At vero speciali fauore, atq; gratia dignę sunt. Vnde ad illarum supplicationem, & humilimam petitionem solet Pontifex, præscriptis alijs operibus, & visitatis Altaribus, vel oratorijs, quæ inter claustra monasterij continentur, ple-

nissimam Anni sancti Indulgentiam illis impartiri, præsertim Monialibus Romæ existentibus.
f, Lib.5.cap.15.dub.27.

7 Vrbanus VIII. non solum sanctimonialibus in alma Vrbe, & Italia existentibus, sed etiam omnibus, & singulis in alijs regionibus, & prouincijs cōmorantibus Iubilei fructum impertiuit, vt patet ex Bulla ipsius, quę incipit, *Pontificia sollicitudo*. In qua etiam Anachoritis, Eremitis, Carceribus detentis, & diuturna infirmitate impeditis eundem Iubilei fructum Apostolica benignitate concedit; cum facultate eligendi confessarium, qui possit eos absoluere a quibusuis peccatis, criminibus, & delictis quantumcumque grauibus, & enormibus, etiam Apostolicæ Sedi reseruatis, etiam in Bulla Cœnæ Domini contentis.

8 Aduertendum tamen hic est confessiones sanctimonialium, nec hoc tempore amplissimi Iubilei, nullum confessarium, etiam regularem, audire posse, licet quoad alios fideles sit approbatus, sine expressa, & particulari licentia ordinarij ipsarum Sanctimonialium. Cong. Card.

9 Episcopi possunt absque licentia speciali peregrinari ad vrbem anno Iubilei. Sic Clerici sine Episcopi, sic & Regulares sine superioris licentia peregrinantes ad vrbem fructu Iubilei non priuantur. An vero ipsi summo Pontifici Anni sancti indulgentia prosit, affirmatiue cum Benzonio g respondendum est. Vtrum autem ipse teneatur adimplere opera præ-

ra præſcripta in Diplomate Iubilei, alij negant, alij aiunt, cum quibus videtur ſentire ipſe Benzonius.

g, *Dub.* 12.

10 Ad lucrãdum Iubileũ requiritur, vt fidelis ſit in ſtatu gratiæ, ſaltem in illo inſtanti, quo ponitur vltima conditio requiſita ad indulgentiam, ſiue in quo actu debet fieri remiſſio pœnæ, quia eiuſmodi beneficia non præſtantur perſeuerantibus in Dei inimicitia. Tutius tamen eſt omnia opera prȩuia confeſſione præſtare, vel ſaltem contritione.

11 At Benzonius *b* valde probabile putat in Iubileo anni ſancti omnes viſitationes Eccleſiarum prærequirere confeſſionem ſacramentalem, & ſtatum gratiȩ; tum quia omnes illȩ viſitationes apponũtur, & præſcribuntur a Pontifice, vt principalis cauſa, & opus principaliter intentum ad indulgentiam conſequendam, nec remote, vel minus principaliter ſe habent ad illam, ſicut cetera opera, quæ in particularibus Iubileis præſcribuntur; tum etiam, quoniam omnes illæ viſitationes ſunt eiuſdem ordinis, atque opera eiuſdem generis, vnde æque ad fructum Iubilei requiruntur, & ſi vnum debet eſſe viuum, cur non aliud?

h, *dub.* 4.

12 Adde quod incongruum, & turpe quid apparet, vt quis debacchetur per Eccleſias, & viſitet eas per 29. vices in ſtatu peccati mortalis abſq; cõtritione, immo addẽdo in ipſiſmet Eccl. peccata peccatis, & tandẽ ante vltimã viſitationẽ confitendo peccata

fru-

fructum Iubilei consequatur, denique quia verba Pontificis in diplomate posita hunc ordinem videtur exigere, vt homines præmissa confessione Ecclesias visitent.

13 Nec valet responsio Corduben.[i] nempe quod hic ordo verborum ponitur non ad significandum ordinem operum piorum agendorum, sed ad meliorem congruitatem modi loquendi, quia sic melius explicatur, quod intẽditur, & imponitur. Hoc enim gratis dicitur, immo est Glossa contraria textui, vt patet ex verbis Bullæ. Nec est simile de Iubileis particularibus, & Iubileo anni sancti, cum in illis ieiunia, & eleemosinæ non proponantur, vt principalia opera ad indulgentiam consequendam, sed ipsa sumptio corporis Domini nostri Iesu Christi, & mens Papæ explicite in eis describatur, quod antè sumptionem Eucharistiæ, vel in ipso triduo satis sit confiteri. In hoc autem Iubileo anni sancti confessionem præmittendam esse ante inchoationem visitationum aperte indicatur in Bulla.

i. qu. 21. concl. 2. & q. 24. & 25.

14 Addit tamen ipse Benzonius ad tollendas ex animis fidelium dubitationes, & scrupulos, quod satis erit, si tempore, quo visitatio incipienda est, contritio cum proposito confitendi ante postremam visitationem habeatur; quod etiam ex verbis, quæ in Diplomate solent apponi, non obscure colligitur; vt in presenti S. D. N. Vrbani videre licet. Ait enim, vti vidimus, cuo ipso Iubilei Anno durante, omnibus

bus vtriusque sexus Christi fidelibus vere pœnitentibus, & confessis, qui Ecclesiam Lateranensem &c. Vbi videtur imponi, vt quis durante anno sancto hæc tria faciat, nempe, vt sit verus pœnitens, legitime confessus, & impleat visitationes decretas. Videtur igitur satis esse, vt in eo anno confiteatur, quod tamen ex alio capite faciendum erat ante vltimam visitationem.

15 Sed tutior, & magis pia opinio est, vt, antequam quis visitationes Ecclesiarum aggrediatur, tanquam is, qui a Deo summum beneficium recipere cupit, Christique meritorum particeps fieri desiderat, omnino confiteatur. Hoc enim in practica seruandum est, & ad illius obseruationem omnes Christiani exhortandi; licet speculatiuè loquendo, etiam alia opinio probabilis sit, cum illa opera, id est Ecclesiarum aditio, & preces in illis fundendæ, &c. non ad meritum, sed ad pœnalitatem, ad laborem, & ad satisfactionem principaliter præscribantur.

16 Putant aliqui eum, qui in statu peccati posuit omnes conditiones ad Indulgentias lucrandas in Bullis requisitas, postea resurgentem a peccato percipere earum fructum. Palud. & Syluester k. Sed contrarium longe est probabilius, vt ait Sà, l. Primo, quia sic inimico valde liberalis fieret remissio, saltem sub conditione, quod videtur absurdum. Secundo, quia ita reuiuiscere est proprium omnino sacramentorum, quæ efficacius multo applicant merita Christi, quam Indulgentiæ. Tertio, quia ne quidem

dem sacramenta reuiuiscunt ei, qui ea recipiens posuit aliquod impedimentum essentiæ eorum repugnans, vt patet in pœnitentia: atqui perseuerantia in statu peccati repugnat essentiæ Indulgentiarum, quia hæc tota consistit in remissione pœnæ. Sic Coninck.[m]

k, *in 4. dist. 20. q. 4. V. Indulgentia, num. 32.* l, *V. Indulgentia, num. 1.* m, *Disput. 12. De indulg. dub. 7. num. 37.*

17 Dices: Posset Ecclesia concedere Indulgentias omnibus ter ieiunantibus, ita vt existentibus in peccato tunc inciperent valere, quocunque instanti a peccato resurgerent; ergo tunc indulgentiæ reuiuiscerent. Respondet Coninck negando consequentiam, quia respectu horum vltima conditio requisita ad indulgẽtias esset resurgentia a peccato, & consequenter ipsa eodem instanti poneretur, quo homo esset in gratia.

18 Vtrum vero excommunicatus possit indulgentias obtinere, supponimus autem, posse contingere, quod ante quam absoluatur ab excommunicatione habeat contritionem, & sit in gratia, & tunc procedit dubium. Ad quod respondit Nugnus[n] multo probabilius esse, quod non possit indulgentias obtinere, dum est excommunicatus, quia excommunicatio maior priuat omni communione ecclesiastica.

n, *in 3. p. D. Thom. quæst. 27. art. 1.*

19 Tantum ergo est dubiũ, quando summus Pontifex, vel Episcopus, qui potest absoluere ab excommunicatione, nominatim, & in particulari concedit indul-

indulgentiam tali excommunicato, vtrum ſcilicet ſit valida. Ad quod idem Nugnus cum hac diſtinctione reſpondet. Si ſummus Pontifex ſcilicet ignoret illam excommunicationem, non eſt valida conceſſio, forte enim, ſi ſciret, non conferret; ſi vero ſciat excommunicationem, & nihilominus concedat indulgentiam, conſequenter cenſetur abſolui ab excommunicatione quantum ad illum effectum, & ſic eſt valida indulgentia.

20 An qui habet peccata tantum venialia, teneatur confiteri ad lucrandam indulgentiam, quando expreſſe requiritur confeſsio, vt in Anni ſancti Iubileo. Suarez [o] tenet partem negatiuam dicens, intelligendum eſſe tunc, quod homo teneatur confiteri, ſi habeat conſcientiam peccati mortalis. Nugnus tamen [p] dicit multo probabiliorē videri oppoſitam ſententiam. Itaque in tali caſu debet homo confiteri, aliàs non conſequitur indulgentiam. Probatur; indulgentiæ tantum valent, quantum ſonant, ideſt, debent in illis obſeruari omnes conditiones poſitæ a ſummo Pontifice, ſed iſta conditio exigitur, & eſt poſsibilis, & facilis, ergo niſi apponatur, non valet indulgentia. Vnde Nugnus exiſtimat tanquam probabilius, quod etiam ſi homo non habeat peccatum veniale præſens, factum ſcilicet poſt confeſſionem antecedentem, quod debet confiteri de peccatis iam confeſſis ad obtinendam talem indulgentiam; quia verè poteſt confiteri, & con-

fessio simpliciter exigitur ad obtinendam indulgentiam.

o, *disput.52.sect.3.p. vbi supra art.3.dub.2.*

21 An culpa venialis impediat fructum indulgentiæ: pro responsione ponit hanc conclusionem Sylvius q, si peccatum veniale committatur, quando indulgentia est percipienda, & non vitiet opus ad eam consequendam præscriptum, non impedit fructum indulgentiæ, nisi quoad remissionem pœnæ illi peccato veniali debitæ, vt si quis inter ieiunandum pro consequendis indulgentijs officiose mentiatur. Ratio est, quia peccatum mortale potest remitti sine veniali; & vnum veniale sine alio; nullum autem remitti potest, quandiu geritur effectus ad illud.

q, *in 3.p.D.Thomæ quæst.27.art.1.*

22 Si peccatum veniale vitiet opus iniunctum, ita vt illud ipsum sit peccatum, quamuis veniale; impedit fructum indulgentiæ; vt si quis ieiunet; vel oret ob vanam gloriam. Tale enim opus non est dispositio requisita ad indulgentiam, ita Sylvius ex Adriano. r

r, *in tract.de clauibus.*

23 Suarez f tenet, ad hoc quod indulgentia sit valida, non requiri, quod opus postulatum sit bonum in indiuiduo, sed sufficere, quod sit bonum secundum se, licet non habeat omnes circunstantias bonas. Confirmatur hæc sententia, nam istud opus sufficiens est ad implendum preceptum, nō tantum

eccle-

ecclesiasticum, sed etiam diuinum, & naturale; vt si quis det eleemosynam propter vanam gloriam, adimplet præceptum misericordiæ; ergo idem opus erit sufficiens ad obtinendam indulgentiam; patet consequentia, quia sicuti requiritur opus pium ad indulgẽtiam, ita similiter requiritur ad præceptum. Nugnus [f] concedit hoc tantum, quando causa sine opere, quod imponitur; habet sufficientem proportionem cum indulgentia, quæ conceditur.

f, *Disput.52. t, dub.5.*

SECTIO XXXXII.

SYNOPSIS.

1. Ecclesia Lateranensis varijs nominibus appellata est. 2. In hac Eccles. asseruantur capita SS. Apostolorum Petri, & Pauli. 3. In hac etiam Altare ligneum reperitur. 4. In Lateranensi Ecclesia tredecim Concilia celebrata sunt. 5. Epistola Iulij Pont. Max. ad orientales Episcopos. 6. Papa est supra Concilium. 7. Concilium Caiphæ, Pontificum, & Pariseorum an errauerit. 8. Quid actum in Conc. tertio, & quarto Lateranensi. 9. Sextum Concilium Lateranense Contra Monothelitas. 10. In septimo Concilio Lateran. editus præter alia canon de eligendo Summo Pontifice. 11. Multa falsa, & sacrilega de hoc Conc. Mornæus. 12. Quid in Octano, & Nono Conc. Lateran. actum. 13. Quid in Lateran. decimo Conc. Vndecimum omnium, quæ in Europa habita sunt, celeberrimum. 14. De duodecimo, & vltimo Conc. Lateran. 15. Constantinus Romæ baptizatus est. 16. Quid Constantinus a susceptione baptismi egerit. 18. Corpora Apostolorum Petri, & Pauli æqualiter diuisa. 19. Altare Ecclesiæ Vaticanæ bis restauratum. 20. In hoc Altari solus summus Pontifex celebrare potest. 21. Multæ aliæ reliquiæ insignes in Basilica Vaticana reperiuntur. 22. Templum Vaticanum nomini portentosæ vastitatis. 23. Venetijs Patriarchalis Ecclesia D. Petro Apost. Principi consecrata, eam a fundamentis Patriarcha Thenpolus modo readificandam curat. 24. Consuetu-

do concurrendi ad natalem diem Apostolorū Romam, & de muneribus, etiam ab ipsis Barbaris S. Petro Romæ oblatis. 25. S. Bonifacij erga S. Petrum amor, & reuerentia. 26. 27. & 28. S. Petri prærogatiuæ narrantur. 29. Aliæ prærogatiuæ S. Petri enumerantur. 30. Quando constructa Basilica S. Pauli Apostoli. 31. Hanc Basilicam Gothi etiam venerati sunt. 32. Mirabilia huius Basilicæ. 33. Cornelius a Lapide de prærogatiuis Pauli. 34. Venantius Paulum cum Petro pulchrè comparat. 35. De varijs nominibus Basilicæ Patriarchalis S. Mariæ Maioris. 36. Quid Sixtus V. & Paulus V. in hac Basilica præstiterunt. 37. Ab Argonautis ædificatum est Templum in honorem B. Mariæ Virginis, & apud Francos in honorē ipsius Virginis pariturae. 38. De Aede sacra Lauretana. 39. Ioannes Theupolus Ven. Patriarcha Altare erexit in Ecclesia S. Luciæ Altare Expectationis Partus B. Mariæ Virginis. 40. Vtrum effectus Indulgentiæ concedatur in instanti extrinseco, an in instanti extrinseco. 41. An Canonicus, qui tenetur adire Ecclesiam S. Petri ratione distributionum, possit illum actum computare in numerum visitationum, pro Iubileo acquirendo. 42. Non est necesse ad Iubilei consecutionem portas sanctas ingredi. 43. Visitare Ecclesias nocte quis potest, & eques, sed per se ipsum. 44. Quattuor Ecclesiæ omnes vna die visitandæ. 45. Præter accessum ad Ecclesias requiritur etiam effusio precum. 46. Quid lapsus in mortale post visitationem agere debeat. 47. An peccans spe lucrandi Iubileum sit aptus ad illum consequendum. 48. Quid si concedatur Indulgentia visitantibus talem locum, & nulla oratio requiratur. 49. An requiratur ingressus in Ecclesiam ad lucrandam Indulgentiam. 50. An destructo templo remaneat Indulgentia. 51. Nomine Romanorum qui veniant. 52. An curiales, & alij in Curia, & in Vrbe manentes teneantur visitare trigesies Ecclesias. 53. Nomine Peregrini qui significentur. 54. Peregrinis onus dimidiatum iure optimo iniunctum est. 55. Equalem Indulgentiam consequitur vicinus, & de longe veniens. 56. Romanus non habitans in Vrbe, tenetur visitare Ecclesias, sicut si Romæ degeret. 57. Qui deuotius Ecclesias visitant, efficacius lucrantur Indulgentias, de mente Bonifacij VIII. 58. Quæ opera solent iniungi in Indulgentijs in forma Iubilei concessis. 59. In huiusmodi Iubileis duplex, solet concedi potestas. 60. Quæ vota commutari tunc possint. 61. In concessione absoluendi a casibus Bullæ Cœnæ venit etiam casus hæresis. 62. Episcopi in foro conscientiæ non possunt absoluere hæreticum. 63. Absolutum hæreticum in foro exteriori ab Excommunicatione quilibet confessarius absoluere potest. 64. Vtrum hæreticus absolutus in articulo mortis teneatur se præsentare coram superioribus cessante tali articulo. 65. Quæ notitia sufficiat ad consequendum Iubileum, & an possit differri ipsius Iubilei consecutio. 66. Penitens an

possit

possit absolui a reseruatis die dominico secundæ hebdomadæ. 67. An approbatus ad confessiones regularium a superiore proprio eligi possit ad effectum Iubilei. 68. Omnes Regulares possunt eligere quemlibet ex approbatis etiam extra religionem suam. 69. Quæ possunt fieri, transacto Iubileo, in fauorem eorum, qui eum consecuti sunt.

QVI ECCLESIAM LATERANENSEM, BEATORVM PETRI, ET PAVLI APOSTOLORVM, NEC NON SANCTÆ MARIÆ MAIORIS DE VRBE, BASILICAS SEMEL SALTEM IN DIE PER TRIGINTA CONTINVOS, AVT INTERPOLATOS DIES, SI ROMANI, VEL INCOLÆ VRBIS: SI VERO PEREGRINI, AVT IALAS EXTERNI FVERINT, PER QVINDECIM SALTEM DIES DEVOTE VISITAVERINT, ET PRO IPSORVM FIDELIVM, AC TOTIVS CHRISTIANI POPVLI SALVTE PIAS AD DEVM PRECES EFFVNDERINT.



1 Ecclesia Lateranensis varijs nominibus, vt notat a Benzonius, appellata est. A loco enim Lateranensis nuncupata est, quod in ædibus clarissimæ familiæ Lateranorũ, quę a Constantino, cum Regia Domus eius esset, Melchiadi Papæ. & successoribus eius, Anno a Christo nato 312. ad habitandum traditæ fuere; ac deinde, vt Chri-

seruaretur, a tempore enim D. Petri vsque ad Syluestrum, Pontifices, cum certo loco ob persecutiones, & odium Tyrranorum stare haudquaquam possent, huc, atque illuc discurrentes in cryptis, siue Cœmiterijs, aut piorum ædibus super huiusmodi altari ligneo ad arcæ (vt dictum est) similitudinem concauo, diuina faciebant. In quo, cum Princeps Apostolorum, atque alij summi Pontifices sæpius sacrificassent, honoris gratia ex decreto eiusdem Syluestri nemo nisi summus Pontifex missam celebrat.

4 Magnas habet hæc ecclesia prærogatiuas, & excellentias, quas videat Lector apud Benzonium. In hac ecclesia Lateranensi tredecim Cōcilia celebrata sunt. Primum sub Melchiade anno Christi 313. Hic Pontifex inter martyres recēsetur more prisco, quo etiam confessores martyrum vocabulo nominabant. Constantino, & Licinio tertium consulibus, vt Optatus Mileuitanus[b] scribit. Hoc autem in ædibus Faustæ in Laterano, decem, & nouem Episcoporum, quos idem Optatus enumerat, iam a Constantino Melchiadi Romano Pontifici concessis, antequam ecclesia Lateranensis erigeretur, habitum est. Secundum sub Iulio I. centum & sexdecim Episcoporum, tum vt certæ fidei confessionem ipse Iulius ederet, tum etiam, vt Arrianam hæresim antea condemnatam, suo etiam calculo damnaret.

b, *lib. 5. contra Parmenidem.*

5 Iulius Pontifex epistolam scripsit ad orientales Epi-

Episcopos,in qua ex Nicenæ Synodi canonibus demonstrat,pręter sententiam Romani Pontificis nullo modo concilia celebrari, nec Episcopos damnari posse. Mornæus hanc Epistolam cõfictam esse pronunciare non veretur,cum in Synodo Nicæno nihil prorsus tale. Nimirum Mornęus,inquit Coquæus,*c* post tot secula melius nouit, quæ decreta essent in Nicæno Concilio,quam Iulius Pontifex. Apud Sozomenum, *d* cum Iulius Episcopus orientales incusasset, quod inconsulto se de Athanasio, & aliis Episcopis iudicassent, Ecclesiasque perturbassent; cum decretis Concilij Nicæni stare nollent, subijcit, *De rebus,quas contra Concilij Nicæni decreta gesserant, nihil ei rescripserunt;* Ergo satis intellexerunt decretis Nicænę synodi contineri, non esse inconsulto Romano Pontifice,damnandos,aut deponendos Episcopos;alioqui Iulio rescripsissent, eum imponere Patribus Nicęni Concilij, qui nunquam tale sanciuissent, aut confictos canones ad asserendam suam auctoritatem producere.

c, *Antidoto contra oppositionem* 5. d, *lib.3.cap.7.*

6 Communiter, & vnanimi consensu Theologi, Canonistę,Controuersistæ,omnes denique scriptores Ecclesiastici docent Papam esse supra Conciliũ;ita vt repugnante Papa, vel contradicente,Concilium nihil horum facere possit,& in ipso Concilio Papa sit caput Ecclesiæ vniuersalis supra omnes Episcopos,etiam in Concilio congregatos,& iurisdictionem Ecclesiasticam Pontificem recipere proxi-

mè,

mè, & immediate a Deo, non a Concilio, vel a cœtu Episcoporum; propterea que Pontificem non esse ministrum, sed caput Ecclesiæ, eiusque auctoritatem neque a Concilio, neque ab alio coarctari, aut limitari posse. Legatur Disputatio Theologica Fabulotti de potestate Papæ supra Concilium.

7 Concilia generalia legitime congregata errare non possunt in fide, vel moribus. Obijcit hæreticus Concilium Caiphę, Pontificum, & Phariseorum errasse, quod aduersus Christum tulerit sententiam; posseque errare Concilia generalia auctoritate Pontificis summi congregata, impie affirmat. Sed pugione plumbeo decertat, quales omnes sunt, quibus vtuntur sectarij. Fateor quidem errasse, non Concilium, sed tumultuarium conciliabulum, ab inuidia, ambitione, ac superbia illegitime, & impie congregatum. Adde id, quod Bellarm. censet, *e* Pōtifices, & Concilia Iudæorum non potuisse errare antequam Christus veniret, sed eo præsente potuisse; immò fuisse prædictum erraturos Iudæos, & Christum negaturos, *f* sicut enim non est necessarium, vt Vicarius Papæ non possit errare, cum ipse Papa regat Ecclesiam, & ab errore defendat; sic etiam non fuit necessarium, vt Pontifices Iudęorum non possent errare, quando Christus summus totius Ecclesiæ Pontifex præsens aderat, & Ecclesiā administrabat. Adijce cum Barrada *g* Spiritum Sanctum etiam in hoc impio Concilio verissimam dixisse

ſententiam, vt indicaret ſe Concilij Eccleſiæ aſſiſtere, & Pontificibus.

e, *lib.2. de Conc. ca. 8.* f, *Iſaiæ 6. Dan. 9. & alibi* g, *Tom. 3. Com. in concord. & hiſtoriam Euang. lib. cap. 6.*

8 Tertium, & quartum ſub Symmacho ad remouendum ſchiſma ſuo tempore excitatum, vt ſcribit Ennodius Diaconus Romanus in libro aduerſus calumniatores; quid ait, ducentos, & triginta Epiſcopos interfuiſſe, ex toto orbe Chriſtianos coactos. Mornęus Ennodium ſcriptorem turpiter adulabundum vocat; ſed quomodo, obſecro, ait Coquæus, *b* turpiter adulabundus Ennodius, quem frustra tentatum, cum pro fidei Orthodoxæ cauſa Conſtantinopoli apud Anaſtaſium Imperatorem legatione fungeretur, nunquam potuit hęreticus ipſe Imperator in ſuam ſententiam flectere, ac indignis modis vexatum, rimoſoque, ac fragili nauigio impoſitum, cum interdicto, ne ad vllum Gręcię portum appelleret, contumelioſe dimiſit.

b, *Antidoto contra oppoſ.* 13.

9 Quintum ſub Gregorio Magno. Sextũ ſub Martino Papa, & martyre contra Hæreticos Monothelitas, ſexaginta octo Epiſcoporum. Abſoluto hoc concilio ſcripta eſt ſynodalis epiſtola circularis ad omnes Chriſti fideles, quæ extat digna tanto Pontifice. Acceptum eſt autem ab vniuerſo orbe Catholico magna approbatione, & honore hoc cõcilium; adeo vt plenam fidei profeſſionem, poſt quinque vniuerſalium ſynodorum aſſertionem, huius quoq;

con-

confessio adijceretur, vt apparet ex Concilio Anglicano apud Bedam [i], idque vsque ad celebratam VI. Synodum.

i, *lib.4.cap.17. sub Theodoro.*

10 Septimum sub Nicolao II. centum, & tredecim Episcoporum; in quo editus est canon de eligendo summo Pontifice, qui est apud Gratianum [l], vbi dicitur in primis: Cardinales Episcopi diligentissime simul de Pontificis electione consultét. Mox Clericos Cardinales adhibeant, sicque reliquus clerus, & Populus ad consensionem nouę electionis accedat; cauentes ne venalitatis morbus aliqua occasione subrepat. Eligatur autem de ipsius Ecclesiæ gremio, si reperiatur idoneus; sin minus, ex alio sumatur. In hoc Concilio Berengarius hæresiarcha conuictus, secundo condemnatus est.

l, *cap. in nomine Domini. dist. 23.*

11 De Priuilegio concesso Henrico Reg. Germaniæ circa electionem Pontificis in hoc Concilio, item de celibatu clericorum, & de Petri Damiani libro, multa falsa, & sacrilega dicit Mornæus; quæ omnia confutat Coquæus, vt videre licet apud ipsum. [m]

m, *in Antidoto contra progressorem.41.*

12 Octauum sub Callisto II. C. M. X V II. Episcoporum, vt refert Pandulphus Pisanus, [n] in Callisto II. Pontifice, in quo ob restitutam in Comitijs Vuormatiensibus inuestituram ecclesiasticam, pax inter Pont. & Imper. inita confirmatur. Nonum sub In-

nocentio 2000. Episcoporum, vt Platina[o] copiose testatur. In quo Spiritu Sancto mediante, anathemate damnauit Rogerium Siciliæ tyrannum. Omnia quoque perperam a Petro Leonis facta abrogauit, & annullauit; & in rem Ecclesiasticam triginta canones constituit; ordinatosque, seu etiam dignitatibus ab Antipapa ornatos, deposuit.

n, in vita eiusdem. o, In vita Innoc.

13 Decimum sub Alexandro III. ducentorum octoginta Episcoporum, in quo decretum fuit, vt non haberetur Pontifex Romanus, qui nõ a duabus tertijs partibus Cardinalium esset electus. In eodem damnatæ sunt omnes ordinationes a schismaticis Pontificibus, Octauiano, Guidone, & Ioanne factas, & alia multa constituta sunt. Vndecimum sub Innocentio III. omnium, quæ in Europa habita sunt, celeberrimum, in quo interfuere Patriarcha Constãtinopolitanus, & Hierosolymitanus, Archiepiscopi Græci, & Latini septuaginta, Episcopi 412. Abbates, & Priores plus 800. legati Romani, & Græci Imperatorum; Oratores Regum Franciæ, Hispaniȩ, Angliæ, Hierusalem, & Cypri edita sunt in eo septuaginta capita ad mores ecclesiasticæ Reipublicæ emendandos. Actum quoque est in eo de Hierosolyma recuperanda; condemnatȩ sunt cuiusdam Amalrici propositiones; Item Ioachimi Abbatis errores, non persona. Tunc Græci erant cum Latinis coniuncti.

14 Duodecimum sub Iulio II. vbi præsentes fuere

Cardi-

Cardinales sexdecim, Episcopi octoginta septem. Indictum est hoc concilium contra Conciliabulum Pisanum; nam Ludouicus Francorum Rex XI. Iulio II. grauiter succensus, eum postea Pōtificia dignitate spoliare tentans, conciliauit sibi amicitiā Maximiliani Cæsaris, & vtriusque opera Pisis coactum est Concilium. Iulio enim Roma egrediente, aliquot Cardinales a debita Pontificis fide, pecunijs, & pollicitationibus Ludouici Regis subducti, Pisis, quo conuenerant, generale Concilium Imperatoris Maximiliani, & Ludouici Regis, & Cardinalium nomine, indixerunt; missisq; per orbem terrarum litteris, Iulium Pontificem, ad dicendam in concilio causam, vocarunt, prorsus contra Canones, & iura. Tandem Imperator, & Rex Christianissimus, vbi illud Concilium a Leone X. Pontifice Iulij successore improbari intellexerunt, eidem renunciarunt. Hoc Concilium Lateranense morte Iulij interruptum est, quod postea cōtinuatum, & absolutum fuit a Leone X. & hoc est XIII. & vltimum, in quo Cardinales 22. Episcopi 87. interfuere.

15 Alia de ecclesia Lateranensi, vt de Imagine Saluatoris, de Scala Sancta videat Lector apud Benzonium, qui de Baptisterio Costantiniano nonnulla etiam commemorat, soluens illam vetustissimam quæstionem, An scilicet Constantinus Imperator Romæ fuerit baptizatus, & in quo loco, concludens ipsum non Nicomedię; sed Romæ baptizatum fuisse in ecclesia Lateranensi.

Con-

16 Constantinus, vt scribit Benzonius, p per septem dies a susceptione baptismi in albis existens, hæc gessit. Prima die publico edicto, vniuersalique legem sanciuit, Christum esse Dominum verum, qui illum a lepra mundasset, & hunc a toto Orbe Romano, vt Deum, coli debere. Secunda die, contra irrisores, & blasphematores Christi seuerissimas pęnas decreuit. Tertia die, pęnas quoq; in eos, qui Christianos contumelijs affecissent, cōstituit. Quarta die, Romanæ Ecclesiæ Imperialia priuilegia concessit. Quinta die immunitatem omnibus Christianorum Ecclesijs tradidit, vt qui ad eas confugerent, in omnibus securi essent. Sexta vero, & septima die statuit, ne quis absque licentia Romani Pontificis alicubi Ecclesias construeret, decimasque exsoluendas edicto declarauit. Octaua die, depositis albis, vt moris est apud recentes baptizatos, ad confessionem, vel memoriam B. Petri in Vaticano accedens, deposito diademate, exutusque chlamyde, humi iacens, maxima lacrymarum profusione, bidentem in manibus accipiens, terram primus aperuit, ad fundamenta amplioris Vaticanæ Basilicę construēdæ; atque ob reuerentiam duodecim Apostolorum, duodecim terræ cophinos proprijs humeris baiulans, asportauit. Decem hic Imperator in vrbe, & in vicinis ciuitatibus amplissimas, spatiosissimasque Basilicas extruxit; sed omnium prima Vaticana fuit, quam Circo Caij, & Neronis diruto, in tēplo Apollinis in honorem B. Petri, centum marmoreis sublimibusque

mibusque columnis exornatam erexit. De munificentia ipsius Imperatoris erga hanc Basilicam legatur Benzonius. q

p, cap.13. q, In Annalibus.

17 Anacletus cum adhuc presbyter esset, construxit desuper corpus S. Petri Apostolorum Principis in Vaticano Memoriam, siue ecclesiam, quam perseuerasse in posterum, nec tot dirissimarum persecutionum turbinibus (quod omnem admirationem superat) prostratā esse, affirmat Gaius antiquus Theologus, qui sub Zephyrino vixit, atque ea tunc Romę existens scribit. Baronius. r

r, an. Christi 106.

18 Ex traditione vulgatissima, & antiquissima, scribunt aliqui, vt refert Onuphrius corpora Apostolorum Petri, & Pauli æqualiter diuisa fuisse, atq; in eorum Ecclesijs deinde recondita, vt sicut in vita dilexerunt se, ita & in morte non sint separati.

19 Altare Ecclesiæ Vaticanæ, in quo sunt Apostolorum corpora, a Callisto II. cum vetustate ferè dirutum esset, restauratum fuit, ac sollemniter dedicatum in die Incarnationis Dominicæ, præsente, & adstante Concilio Generali mille fere Episcoporum; ac denique temporibus nostris a Clem. VIII. Pont. Max. refectum, ornatum, ac splendidissimo apparatu illustratum fuit.

20 Habetur autem in tam magna, & insigni veneratione, vt absque Papali priuilegio, nemo nisi summus Pontifex, in eo Missæ sacrificium offerre possit.

Ad

Ad hoc augustissimum altare Reges, & Imperatores in terram prostrati, Deum supplicant, per merita Principis Apostolorum, vt pacem, ac quietem in suis Dominijs acquirāt. Ex hoc tanquam ex omnium potestatum gazophylatio, pallia pro Patriarchis, & Archiepiscopis assumuntur.

21 Præter corpora Apostolorum, multæ aliæ ibidem sunt Reliquiæ sacrosanctæ. Nam in sacratissima hac Basilica inter ceteras, in proprio suggestu, & Altari duæ insignes reliquiæ continentur; lancea videlicet, qua latus Saluatoris a milite post mortem apertum fuit, quæ a magno Turcarum Imperatore Baiazete Innocentio VIII. dono transmissa fuit; Sudarium quoque imagine faciei Christi insignitū, quod Berenicæ, seu Veronicę dicitur, de cuius translatione in Vrbem, & in præfatam Basilicam facta extat libellus manuscriptus in Bibliotheca Vaticana. Habet hæc Basilica sex portas, sextaque vocatur aurea, seu sancta.

22 At templum S Petri Vaticanum nouum, veteris parte disiecta, Iulius II. Bramantis eximij architecti opera, portentosę vastitatis inchoauit, quod sequentes quidam Pontifices auxerunt; nostris vero temporibus Paulus V. Porticu, sacrario, choro, & reliquo corpore Templi ex fundamentis extruens amplificauit.

23 Vbique terrarum nomine Principis Apostolorum frequentissimæ, & celeberrimæ Basilicæ extant extructæ; legatur Stengelius. [r] Hic Venetijs Patriar-

triar-

triarchalis Ecclesia D. Petro consecrata est, quæ S. Magni ope, & opera ædificata fuit; in qua etiam habetur Cathedra ipsius Apostoli, in qua Antiochiæ sedit; quam Respublica à Michaele Paleologo Orientis Imperatore dono accepit. Hãc Ecclesiam ruinam vndique minantem à fundamentis Ioannes Theopulus Patriarcha in splendidiorem formam tantis sumptibus modo reficiendam curat, vt ex fructibus Patriarchatus nihil sibi supersit, præter simplicem victum, & vestitum, vt dicebat Sanctus Bernardus.

r, *in suo Com. rerum gestarum Principis Apostolorum, cap. 53.*

24 Sollemnem fuisse consuetudinem, ad Natalem diem Apostolorum Romam, nulla habita æstiuorum calorum ratione, religiosissimam celebritatem, concurrendi demonstrat Stengelius, *ſ* vbi etiam de muneribus pretiosissimis, etiam ab ipsis barbaris S. Petro Romæ oblatis, ac etiam de veteri Ecclesiæ more ponendi vela, vel sudaria supra Apostoli Petri Sepulchrum, vt ea reciperent benedictione locupletata, agit. Regna etiam, & Prouincias S. Petro donata, & Romanæ Ecclesiæ vectigalia probat. *t* Videat lector de hac re Baronium. *u*

ſ, *cap. 54.* t, *cap. 55.* u, *præsertim Tom. XI. Annalium.*

25 S. Bonifacius tanto amore S. Petrum est prosequutus, vt etiam dicti Apostolorum Principis Epistolas aureis litteris sibi describi petierit, vt nempe à quo accepisset ad Gentes Apostolatum, eius quoque litteras prædicandas in gentibus auri nitore

fulgidas præ tanti Apostoli amore, ac reuerentia, secum haberet, quod immens amantium est, ita afsici erga eum, quem cupit. Quanti enim fecerit culmen Apostolicum Petrum, etiam inde intelligitur, quod primam omnium, quam ibi inter gentes erexit Ecclesiam, voluit Petri nomine, atque memoria insigniri. Petrus illi in ore semper, sicut in mente, & in opere iugiter erat. Stengelius x: qui etiam y varias S. Petri apparitiones, & nonnulla miracula describit, narrans insuper diuinas vltiones contra eos, qui S. Petro iniurij fuerunt.

x, vbi supra. y, cap. sequentibus.

26 Sed audiamus ex eodem auctore S. Petri prærogatiuas, & primum illas, quæ in sacris litteris continentur, quæ sunt vna, & viginti. Prima, quod huius solius inter Apostolos Christus nomen mutauerit. Nam alijs quibusdam titulum quendam adiunxit. Secunda, quod primo semper, & vbique loco ponatur, præterquam semel ad Galatas, vbi, quia S. Iacobus Ierosolymę, id est loci eius, in quo tũ versabantur, Episcopus erat, Petro præponitur, quanquam secundum D. Augustinum, Ambrosium, Hieronymum, & Chrysostomum, ne hic quidem. Tertia, quod sæpe tanquam quidam ceterorum paterfamilias, Dux, & princeps, cum agendo, tum loquendo describatur. Quarta quod solus super aquas ambulauit, & postea solus ad Christum natãdo ierit; quorum vtrumque D. Bernardus ad eius primatus significationem refert. Quinta, quod ei primo de altissimis

tissimis S. Trinitatis mysterijs diuinitus reuelatum fit, vt ex ea, quam Christus Dominus tantopere ornauit, confessione liquet. Sexta, quod æternæ firmitatis cathedram acceperit, cum Andreæ in Achaia, Iacobi Ierosolymis, Ioannis Ephesi, portarum inferni vi, & impetu iam vel labarint, vel penitus conciderint. Septima, quod pro eo, vt pro se didrachmũ solui Christus Dominus iusserit. Siue enim hoc ad solos primogenitos, vt Chrysostomus, siue ad singulos; huius portorij solutio pertinuerit, Petri dignitas intelligitur, cuius solius rationem Christus Dominus habuerit.

27 Octaua, quod in duobus illustribus piscationis miraculis, prius hominum ad ecclesiam, posterius ad cœleste regnum inductionem D. Augustino significare videtur. Nona, quod pro eo Dominus orauit, vt eius fides non deficeret, ipseque conuersus fratres confirmaret. Decima, quod ab eo pedum lotionem Christus Dominus inceperit, vti monet Augustinus. Licet enim Chrysostomus, & Theophilatus Iudam prius ablutum opinentur, id tamen ex ipsius importunitate factum docent. Ceteros enim Apostolos passuros nequaquam fuisse, vt ante suum Principem lauarentur. Vndecima, quod virorum omnium primo resurgens ei Dominus apparuerit. Duodecima, quod ei soli crucis mortem, qua simillimus ipsi foret, Dominus prædixerit. Vltimum enim illud sequere me, Domini, & viuentis in pascendis ouibus, & morientis in cruce

subeunda imitationem flagitat. Decima tertia, quod primus, tanquam Princeps, vbi ab Ascensionis loco redijssent, Apostolorũ Senatũ vocet, & ad quempiam Iudæ sufficiendum comitia indicat. Decima quarta, quod omnium primus post Ascensionem, & Spiritus Sancti missionem ad populum concionari cœperit.

28 Decima quinta, quod primus eodem tempore miraculum fecerit, dum claudum erexit. Decima sexta, quod ceteris Apostolis miracula manu facientibus anteponatur, tum quod sola voce, tum vmbra sola ipse mira effecerit. Decima septima, quod tanquam dux in exercitu, ait Chrysostomus, Christianos vniuersos lustrarit. Decima octaua, quod omnium primus gentibus, & Christianam doctrinam, ac sacramenta communicarit. Philippus enim natione quidem gentilem Eunuchum, sed religione proselytum Iudæum ante baptizauit. Paulũ vero licet textus latinus Ierosolymæ gentibus locutum asserat, non tamen Græcus. Et si locutus esset, dicere liceret eum illorum tantum aduersus Christi fidem tela retulisse, non eorum conuersioni studuisse. Decima nona, quod tam arcte, & diligenter, quasi Christianorum caput ab Herode custodiretur, & ipsius ab vniuersa ecclesia liberatio precibus deposceretur. Petrum enim, ait Chrysostomus, omnes quærebant. Vigesima, quod in Concilio Ierosolymitano prius locutus sit, & controuersiam propositam dijudicauit. Vigesima prima, quod ad eum videndum,

dendum, & ipsius calculo suam doctrinam probandam D. Paulus professus sit, non quidem, quod eo doctore ipse Paulus indigeret, qui Spiritu Sancto magistro certissimo vtebatur, sed vt suæ doctrinæ apud alios, quos instituere vellet, auctoritatis plus conciliaret, cum eam eius, quem summi Doctoris loco haberent, approbatione laudatam viderent; vti recte, & prima, & secunda defensione contra Sadeelem inculcat Turrianus.

29 Tribus hisce prærogatiuarum hebdomadibus quartam ex Sanctis Patribus adiungit ipse Stengelius, dicens: sit ergo prærogatiua vigesima secunda, quod solus, vt Euodio Diui Petri discipulo in epistola quadam, cuius Euthymius, & Nicephorus meminerunt, placet, Christi Domini manibus baptizatus sit. Vigesima tertia, quod solus ab eodem, vt copiose Turrecremata probat, in Episcopum ordinatus videatur. Vigesimaquarta, quod primum Hæreticorum Patriarcham Simonem magum ipse Ecclesiæ catholicæ Patriarcha detexerit, arguerit, damnauerit, extinxerit, vt ex historia illa patet, quæ magum simulato volatu sublime ad cœlum enitentem, præcipiti casu, Petri, Pauliq; precibus fractum, & quassatum ostēdit. Hanc, qui Simonis proles Caluinus, vt fabulam, negat; legi velim Egesippum, Clementem Romanum, Seuerum Sulpitium, Eusebium Cæsariensem, Cyrillum Ierosolymitanum, Epiphanium, Theodoretum, Damasum, Ambrosium, Hieronymum, Maximum, Gregorium

Turo-

Turonensem. Licet de concertationis huius die, quem auctores isti non indicarunt, cum D. Augustino dubitari possit; non enim magnopere curandum est, si in minimis quibusdam ab inuicem discrepent, cum in re gesta omnes æque consentiant. Vigesima quinta, quod cum in omnes orbis partes Apostoli missi essent, ipse orbis caput petiuit. Vigesima sexta, quod ei paulo ante mortẽ Dominus apparuerit, dixeritque; Vado Romam iterum crucifigi, vti præter Egesippum D. Ambrosius scripsit. Vigesima septima, quod ipsius cathedræ festus dies agatur, quo diuini propter pontificatum beneficij memoria repetatur. Vigesima octaua, quod solę tres ipsius sedes antiquitus patriarchales fuerint; Romana, Alexandrina in Ægypto, Antiochena; quarum primam ipse per se, secundam per suum discipulum Marcum Euangelistam, tertiam per discipulum alium Euodium tenuit. Quod cum Neoterici quidam aduertere noluerint, aut nescirent, mirum non est, si de Patriarchalium sedium numero, & ordine tam anxie vacillarint.

30 Ecclesia S. Pauli post ecclesiam S. Petri immediate visitatur ab his, qui sacrum Iubileum suscipiunt. Eodem tempore, quo Basilica Vaticana a Constantino construebatur, ab eodem Imperatore, vt apud Damasum & legitur, fabricata fuit Ecclesia Sancti Pauli Apostoli. In eo igitur loco, in quo Paulus sepultus circa annos 300 iacuerat, in via Ostiensi, in prædio Lucinæ, splendidissimum

tem-

templum, centum marmoreis columnis exornatum extruxit, quod Diuus Syluester eodem die, quo Vaticanum consecrauit, Indulgentiasque perpetuas eo die visitantibus concessit. Sub maiori Altari medias alias partes Sanctorum corporum Petri, & Pauli in nobilissima, ac pretiosissima Arca Sanctus Syluester posuit, quod ex D. Gregorio non obscure colligit Benzonius. [a]

a, *In vita S. Syluestri.* 2, *cap.* 14.

31 Hanc Basilicam in expugnatione Romæ venerati sunt Gothi, & eo confugientibus pepercerunt; immo ipsimet Gothi S. Marcellam, eiusque filiam Principiam sanctissimas feminas ad S. Pauli Basilicam perduxerunt, vti refert S. Hieron. [b]

b, *Ep.* 154, *ad Principiam.*

32 Habet hæc Ecclesia, vltra alias quattuor, Portam Sanctam, quæ in anno Iubilei aperitur ab Illustrissimo Episcopo Cardinali Decano a Sãctissimo D. Papa delecto, & propter id ipsum in eum locum transmisso. Præter maius Altare, sunt in ea Ecclesia plura alia veneratione dignissima, quorum nomina, reliquias, & indulgentias apud Panuinium, & Serrarium legito.

33 De Pauli prærogatiuis legatur Cornelius a Lapide in proemium epist. eiusdem, vbi vocat Paulum vocem Euangelicam, & ex Origene refert, extitisse nonnullos, qui crederent Paulum esse veritatis Spirituum

ritum a Patre missum; quem Christus suis discipulis promiserat. c Quanta sit gloria Pauli, vel ex hoc colligi licet, quod semper cum Petro Apostolorum Principe coniunctus est. Vnde S. Augustinus d affirmat, olim moris fuisse, vt in qua tabula Christi effigies picta extaret, in eadem hinc inde Petrus, & Paulus, quasi Apostolorum Duces, appingerentur.

c, *Ioan.* 15. d, *lib.* 5. *de consensu Euang. c.* 10.

34 Pulchre Venantius Fortunatus libro 3. carm. Paulum cum Petro ita comparat, & combinat.

Cælorum portæ, lati duo lumina mundi,
Ore tonat Paulus, fulgurat arce Petrus.
Inter Apostolicas radianti luce coronas
Doctior hic monitis, celsior ille gradu.
Corda per hunc hominũ reserantur, & astra per illũ;
Quos docet iste stylo, suscipit ille polo.
Pandit iter cęlis hic dogmate, clauibus alter;
Est via cui Paulus, ianua fida Petrus.
A facie hostili duo propugnacula præsunt,
Quos fidei turres Vrbs, caput orbis, habet.

35 Varijs nominibus Basilica Patriarchalis Sanctæ Mariæ apud grauissimos scriptores appellatur, vt scribit Benzonius e, sed hodie Ecclesia S. Mariæ Maioris nominatur, quod nomen ex nouitate miraculosæ Niuis ad huius Ecclesię ædificationem cęlitus immissæ, & ex loci dignitate sortita est. Hanc Basilicam Sixtus III. qui prædecessor fuit Magni Leonis, Anno salutis 432. restaurauit. Occasio huius

ius restaurationis ex Concilio Ephesino emanauit, vt videre licet apud Baronium. f

f e, cap. 16. f, Annalium Tom. 5.

36 Habet hæc Ecclesia etiam Portam sanctam, quæ ab Archiepiscopo Cardinali, qui eius Clero præest, aperiri, & claudi solet. Huic Basilicæ nostris temporibus Sixtus V. insigne sacellum construxit; & idem fecit Paulus V. & sicut in Capella Sixti V. repositum est Christi Domini Præsepe, sic in Capella Pauli V. reposita est sanctissima Dei genitricis Imago deuotissima a S. Luca depicta.

37 Insigniores totius orbis Ecclesias in honorem Sanctissimæ Virginis extructas apud Benzonium legito, apud quem reperies, ab Argonautis ædificatum fuisse Templum omnium nobilissimum, quod Plinius g refert maxime admirandum fuisse; eo autem Templo absoluto, ab ipsis oraculum consultum fuisse cuinam illud consecrari deberet, responsumq; accepisse his carminibus.

Assidua virtute decus sublime parate;
Atque vnũ (sic mundo) Deum, qui cuncta gubernat,
Celesti residens solio, colite, atque timete.
Illius æternum, atque ante omnia sæcula Verbum,
Nescia Virgo viri nostras emittet in auras.
Quod velut igniferis impulsa sagitta procellis,
Edomitum reddet diuino munere mundum;
Huius, cui Mariæ nomen, sanctissima Mater
Agnoscet templum proprium, sibi rite dicatum.

g.

Rr Hoc

Hoc oraculi responsum æneis litteris in marmore impressis consignatum supra frontem portæ ipsius templi ab antiquis gentilibus, cunctis legendum, æternæ memoriæ commendatum fuit. Hęc Benzonius, g illud postremo in laudem Deiparæ adijciens, quod refertur a Cassanæo h, nempe apud Francos notissimum esse, quod Ecclesia Beatissimæ Virginis Mariæ Carnothensis fuerit ante Christi aduentum ędificata in honorem Virginis parituræ.

g, *lib.36.cap.1.* h, *in suo Cathalogo gloriæ mundi.*

38 De sancta Aede Lauretana nihil dicẽdum, cum toto orbe celebratissima sit, & perspectissima. Concursus populorum ad eam est omnino innumerabilis; eo Principes, Duces, ac Reges pro gratijs obtinendis; & summi Pontifices, Cardinales, Episcopi, Prælati, & Religiosi, Layci, Viri, ac mulieres, ex omni orbis parte per totum annum perpetua celebritate accedunt; illic testimonia gratiarũ tabellis, cereis, alijsque donarijs expositis a columinis, & parietibus ecclesiæ innumera pendent. Benzonius, i ponit argumenta 21. Petri Pauli Vergerij Hæretici aduersus hanc Domum Lauretanam, & ipsa facillime soluit.

i, *lib.6.cap.9.& seq.*

39 Io. Theupolus Venetiarum Patriarcha in mea Ecclesia S. Lucię Altare erexit in honorem Expectationis Partus B. Marię Virginis; & sic festus, qui solum in Hispania celebratur, in Italia in Vrbe Vene-

ta

ta cępit agi. Ipse Illustriss. Pręsul edidit Tractatum, in quo huius festi originem latissime recenset. Extat huius Tractatus secũda editio nouissime Romę impressa. Recitatur etiã huius festi officium proprium vna cum Missa ex Indulto f.m. Greg. XV. Vrbem nostram multis extructis Altaribus, & Collegijs, & christianum Orbem multis ingenij sui monumentis illustrauit, & adhuc etiam illustrare non cessat iste pijssimus Antistes.

40 Completa vltima visitatione acquiritur fructus Iubilei; immediate enim post illam fructus Iubilei cõmunicatur, cum posita vltima dispositione forma, secundum Philosophos, introducatur. Disputãt hic quidam quæstionem, quãdam curiosam, & metaphysicam; vtrum effectus Indulgentiæ concedatur in instãti intrinseco, an vero in instanti extrinseco respectu illius temporis signati ad lucrandam indulgentiam, verbi gratia, supponamus, quod vltimum opus, quod quis facit ad lucrandum indulgentiam sit ieiunium Sabbati, vtrum concedatur indulgentia in illo instanti, quod est primum esse non Sabbati, an vero ante illud in aliquo instãti signato. Ad hanc dubitationem respondet Nugnus k, quod datur aliquod instãs signatum, & cognitum a Deo, & forte ab Angelo, licet a nobis cognosci nõ possit, in quo perficitur vltimum opus, & in illo requiritur, quod homo sit in gratia, & in illo confertur effectus indulgentiæ.

k, *quæst. 37. in expos. art. 1.*

41 Canonicus v.g. qui ratione distributionum tenetur ecclesiam S. Petri adire, potest, quando tēpore obligationis accedit, illum actum cōputare in numerum earum visitationum, quæ ad suscipiendum Iubileum requiruntur, sic ex Corduba, & Valentia, Benzonius *l*. Cū enim indulgentia concedatur generaliter ob opus pium, quod in vtilitatem ecclesiæ, & Dei gloriam cedat, (id quod satis est, vt secundum Christi, & Sanctorum intentionem, ecclesiasticus thesaurus dispensetur) non est cur negari possit, per opera aliàs debita dari, vel acquiri indulgentiam.

l, *dub. 13.*

42 Quamuis pium sit, & sanctissimū ingredi portas sanctas, tamen non est necesse ad Iubilei consecutionem id peragere; sicut neque est necessaria visitatio septem altarium; sufficit enim orare ante Altare maius. Benzonius *m*: Ingredientes per eas cum peccato mortali, vel egredientes non peccant mortaliter, remoto contemptu. Idem. *n*

m, *dub. 5.* *n*, *dub. 6. & 7.*

43 Potest quis visitare ecclesias nocte, vt cōsequatur Iubileum. Ita Iubileus prodest illi, qui iuit eques, sicut illi, qui iuit pedes; licet quo ad meritum magis meretur, qui plus laborat, ceteris paribus. Benzonius *o* asserit Iubileum non prodesse illi, qui per se ipsum non accedit, sed mittit alium. Indulgentia enim Iubilei requirit tam quo ad peregrinos, quā quo ad Romanos personalem industriam propriæ scilicet personæ laborem, in peregrinando, vel visitando

tando Ecclesias præscriptas, atque hoc in Diplomate satis clare habetur.

o, lib. 5. dub. 7. & 22.

44 Notandum cum Filliucio *p* satisfacere eum, quia vnam, atque alteram Ecclesiam visitaret vna die, & altera, vel tertia aliam, vel alias: sic enim respondisse fertur Gregorius XIII. de hoc interrogatus, vt patet ex verbis ipsis, *qui quattuor Ecclesias semel saltim in die visitauerint*. Eadem ratione si quis bis vna die visitaret omnes quattuor Eccl. non propterea satisfaceret visitationi duorum dierum, nam dicendo, *semel saltē in die*, indicat eum, qui pluries in die, non propterea satisfacere nisi vni debitæ visitationi, sed ad summum esse opus superabundās. Santarellus tamen asserit has Ecclesias omnes vna die visitandas esse, & ita praxis docet. Tempore Bonifacij VIII. & Iulij III. non erat hæc obligatio visitandi omnes quattuor Ecclesias vna die; sed satis erat vnam vna die, & alteram altera die visitare. Ita enim Bonifacium VIII. in consistorio declarasse scribit Ioan. Monac. *q* Notandum item, quod tempus tot dierum visitationum, sicut & ceterorum solet dispensari, tum immediate ab ipsis Pontificibus, tum mediate per Confessarios, quos sibi quisque elegerit in Vrbe.

p, num. 255. q, In extrauag. Antiquorum.

45 Orandum est etiam pro salute totius populi Christiani; circa quod notandum, præter accessum ad Ecclesias requiri etiam in Bulla Greg. Clem. &

Vrbani effusionem precum pro salute visitantium Ecclesias, & totius populi Christiani; nulla tamen peculiaris forma, tamquam necessaria præscribitur; vnde satis est etiam oratio mentalis, vt Nauar. r scribit.

r, Not. 32. n. 47.

46 Idem Nauar. s respondet lapso in mortale post visitationem, & interroganti, quid sibi faciendum, vt possit redire ad patriam plenissime absolutus, illud vnum scilicet habere remedium, vt vel iterum repetat visitationes, & denuo suscipiat Iubileum, vel certe suppliciter, atque humiliter exposcat a Papa, vt attenta itineris longitudine, atque etiam impensarum onere, vel item sociorum comitatu, quem sequi debet, abbreuiatis, aut diminutis diebus visitationum Ecclesiarum, iterum suscipiat Iubileum.

s, Notab. 34. n. 71.

47 An vero peccans spe lucrandi Iubileũ sit aptus ad illum consequendum, Filliucius ex Nauar. & aliys affirmatiue respondet, si modo conteratur de eiusmodi peccato, & confiteatur; nam qui peccat spe veniæ, non grauius peccat, quam qui sine illa, immo minus, vt ait Benzonius t limitatur, nisi in Diplomate exprimatur contrarium, vt scilicet spe Iubilei peccantes eo vti non possint.

t, dub. 24.

48 Si vero concedatur Indulgentia visitantibus talem locum, & nulla oratio requiratur, tamen id intelligendum est de religiosa visitatione, quæ scili-

cet

cet fiat ex fide, & religione ad colendum Deum in se ipso, vel aliquo sancto. Filliucius [u] ex Adriano; vnde talis visitatio non videtur moraliter separabilis ab aliqua oratione, quamuis modus, & quantitas relinquatur arbitrio cuiuslibet.

u, cap.6.n.133.

49 An requiratur ingressus in Ecclesiam ad lucrandam Indulgentiam, dicendum quod si verba concessionis verificari possunt sine ingressu, per moralem accessum ad Ecclesiam ita vt communi loquendi modo possit dici quispiam Ecclesiam visitare, sic non erit simpliciter necessarius ingressus corporalis; si denique præciperetur oratio in Ecclesia, res esset magis dubia; probabile tamen existimat Filliucius [x] sufficere moralem accessum, quia secundum communem æstimationem, censetur ea ratione fieri oratio in Ecclesia, quę etiam comprehendit cœmiterium in fauorabilibus.

x, n.134.

50 An vero destructo templo remaneat Indulgentia, respondẽdum cum Filliucio [y] si ædificetur aliud in eodem loco, præcipue paruo tempore interiecto, probabile esse remanere Indulgentiam, sicut alia priuilegia; si autem in diuerso loco, minime, quia nullo modo manet eadem Ecclesia, nec quoad numerum, nec quoad totum, nec quoad solum.

y, num.seq.

51 Nomine Romanorum, & eorum qui Vrbem incolunt, illi duntaxat intelligendi sunt, qui perpe-

tuo,

tuo; vel saltem per longum tempus habitationem, & domicilium in Vrbe habent, siue originarij, siue aduenæ sint, & siue habeant animum perpetuo in Vrbe commorandi, siue non. Illud autem longum tempus, vel annus, vel ad minus medietas eius intelligi debet; per spacium enim sex mensium quis, vt sapiens quicumque arbitrabitur, dici potest inhabitator, licet careat domicilio, argumento ex iure petito, dum dicitur, posse ibi conueniri, qui habet tabernam, vel pergulam, cum sit habitator, non autem qui viator, & peregrinus est, sic ex Nauar. Benzonius. a

z, L. hæres absens, §. proinde ff. de Iudic. a, lib. 5. cap. 15. dub. 2.

52 Qui etiam ibidem dicit, Ioan. Monachum b dixisse, ex mente Sixti Papæ, quod Curiales omnes, litigantes, Procuratores, Aduocati, Officiales Curiæ, omnes Curiales, seu in Curia manentes, Cardinales, Episcopi, qui ad tempus incertum manent in Vrbe animo ab ea discedendi, teneri ad visitandum trigesies, seu per triginta dies Ecclesias præscriptas; ij enim omnes non vere peregrinantur, nec vere sunt forenses, sed vt moraturi in Curia ad Vrbem accedunt; & quamuis in extrauag. Bonifacij de Incolis non fiat mentio, tamen illi in alijs Diplomatibus exprimuntur, cum pro habitatoribus habeantur; quamuis stricto modo tantum incola censendus sit ille, qui cum sit Aduena, in aliquam Vrbem eo consilio habitatum venit, vt ibi perpetuo commoretur, summamque rerum suarum habeat, vt

docte

docte Panormitanus [c], & Ioan. de Plat. [d] & eruditissimus Alciatus. [e]

b, *In Glossa extrauag. Bonifacij verbo forenses.* c, *in cap. fin. de Paroch.* d, *Cod. de Incol. lib. 10.* e, *in l. pupil. ff. de verb. signifi.*

53 Nomine autem Peregrini clarum est omnes illos significari, qui ad Vrbem causa suscipiendi Iubilei accedunt; [f] sub quo etiam nomine comprehenduntur forenses, de quibus expressis verbis fit mentio in extrauag. Bonifacij, & Clem. VI. quamuis enim forenses, vt inquit Glossa [g], appellentur illi, qui venientes de foris non venerunt causa peregrinationis, videntes tamen hanc Indulgentiam volunt illam acquirere, attamen largo modo etiam ij sub nomine peregrini complectuntur. Vnde omnes viatores, qui in Vrbem se recipiunt, vt statim recessuri, sub voce Peregrini comprehenduntur, & hi omnes, cum a Romanis, & incolis Vrbis distinguantur, per quindecim dies visitando Ecclesias, adhibitis ceteris, Iubileum acquirunt, atque sub eo quoque vocabulo vagi homines etiam includuntur. Benzonius. [h]

f, *Argum. textus in Capitulo conquerente, de clericis peregrinantibus; & Textus capitulo, Tua nos, cum sequentibus, de clericis peregrinis,* g, *Verbo forenses, in extrauag. Antiquorum, de Penitentijs, & remissionibus* h, *loco citato.*

54 Peregrinis, seu externis onus dimidiatum, respectu Romanorum in visitatione Ecclesiarum iure optimo iniunctum esse ait idem [i]; cum enim in itinere labores, sudores, incommoda, pericula, impen-

ſas, graueſque alias moleſtias patiantur, merito viſitatione quindecim dierum pleniſſimum Iubileum conſequentur, perinde ac ſi diebus triginta eaſdem Eccleſias viſitaſſent Ioan. de Anania refert k, quod Nicolaus V. qui etiam celebrauit Iubileum anno 1450. propter maximam multitudinem hominum Romam concurrentium, multoties abbreuiauit numerum quindecim dierum, diſtinguendo etiam vltramontanos à citramontanis; & aliquando reduxit ad quinq; dies, aliquando ad tres, aliquādo ad duos.

i, cap. 14. k, in Tractatu ſuo de Iubileo.

55 Æqualem indulgentiam conſequitur vicinus, & de longe veniens, ita expreſſe habet D. Th. l Vicinus, inquit, Eccleſiæ, & Eccleſiæ Sacerdotes, & clerici conſequuntur tantam Indulgentiam, ſicut illi, qui venirent a mille dietis, & dat rationem huius dicti, quoniam Indulgentia non proportionatur labori operantis, ſed meritis Chriſti, & ſanctorum, quæ diſpenſantur. Solet tamen quandoque Eccleſia aliter in conceſſione Indulgentiæ exprimere, ſicut Papa in generalibus abſolutionibus tranſeuntibus mare: quinque annos Indulgentiarum concedit, tranſeuntib. vero montes tres, alijs autem vnū.

l, In add. ad 3. p. quæſt. 25. art. 2.

56 Romanus non habitans in Vrbe, tenetur viſitare Eccleſias, ſicut ſi Romæ degeret, Benzonius m; qui etiam ait ipſius Nauarr. opinionem non eſſe tutam.

m, cap. 45. dub. 3. contra Nauar.

Dento-

57 *Deuote visitauerint*, Bonifacius VIII. n cum cōceſſiſſet pleniſſimas in anno Iubilei indulgentias, tandem ſubiungit, vnuſquiſque tamen plus merebitur, & indulgentiam efficacius conſequetur, qui Baſilicas amplius, & deuotius frequentabit, quę verba quantumcumque aliqui conentur ea aliter interpretari, non videntur tamen poſſe admittere commodum ſenſum, niſi dicamus fieri poſſe, vt tepide frequentantes Baſilicas, non lucrentur plenarias omnino Indulgentias, alias has deuotius frequentantes non poſſent illas efficacius lucrari. Coninck. o

n, *In extrauag. Antiquorum v. de pœnitentijs ſup. cit.* o, *Diſp. 12. de Indulg. dub. 6. num. 34.*

58 Sed dicamus aliquid etiam de indulgentijs in forma Iubilei conceſſis, & primo, quæ opera communiter ſoleant in illis iniungi; ad id reſpondet Filliucius p ſex opera ſolere communiter iniungi. Primo viſitationem Eccleſiæ. Secundo orationem. Tertio ieiunium. Quarto eleemoſynam. Quinto confeſſionem. Sexto communionem cum circunſtantijs in Bulla expreſſis. Cetera vero, vt proceſſiones, quæ fieri ſolent, nō requiruntur, ita vt neceſſe ſit ijs intereſſe ad Iubileum conſequendum.

p, *num. 263.*

59 Vna cum Indulgentia in forma Iubilei ſolet etiam concedi duplex poteſtas. Primo ſingulis Chriſtianis, etiam regularibus eligēdi ſibi confeſſarium ex approbatis ab ordinario, qui hac vice duntaxat

eos possit absoluere a reseruatis etiam ordinarijs, vel Papæ in Bulla Cœnæ; non tamen excommunicatos ab aliquo iudice, vel suspensos, vel interdictos, seu, vt tales declaratos nominatim, vel denunciatos, nisi intra tempus Iubilei satisfecerint, vel cum partibus concordauerint; nec etiam Hæreticos, vel schismaticos specialiter denunciatos, vel damnatos.

60 Secundo commutandi vota, excepto voto castitatis, & Religionis, nō tamen dispēsandi ab vlla irregularitate, etiam in foro conscientiæ, non obstantibus quibuscunque. Sic in Iubileo Clementis VIII. anno 1597. In alijs autem promulgandis in posterum, si quid fuerit innouatum, petendum erit ex verbis ipsius Bullæ.

61 In cōcessione absoluendi a casibus Bullę Cœnæ venit etiam casus hæresis; ita enim fuisse responsum in sacra Pœnitentiaria anno 1617. occasione Iubilei Mense Iunio a Sanctissimo Domino nostro Paulo V. promulgati, asserit Filliucius. *q* Triplicem afferens rationem, Prima, quia id necesse est ad finem accipiendi thesaurum indulgentiæ, pro omnibus fidelibus; alioqui multi destituti essent necessaria facultate ad se disponendum pro eius receptione. Secunda, quia expresse excipiuntur Hæretici denuntiati, ergo non denuntiati poterunt absolui; nam exceptio firmat regulā in contrarium. Tertia, quia licet sit opinio multorum DD. nō venire in concessione generali casuum Bullæ Cœnæ, casum hæresis propter enormitatem; tamen id nullo iure probatur,

batur; & alioqui viri doctissimi contrarium sentiunt, nempe in concessione indefinita casuum Bullæ Cœnæ etiam venire hæresim, & quemcumque alium, nisi expresse excipiantur, & ita in vsum, & praxim reducitur Romæ in sacra Pęnitentiaria. q

q, *num. 265.*

62 Episcopi in foro conscientię nullam habent hodie facultatem absoluendi hæreticum, non obstante Concil. Trident. [r] per Bullam enim Cœnæ Domini ablata est eis facultas dicti Concilij, per verba illa superaddita post Concilium, scilicet, *seu a cuiuscunque Concilij generalis canonibus*. Idem etiam declararunt illustriss. Card. Congreg. Conc. Trid. per hæc verba, *Episcopus, neque Inquisitor absoluere possunt hominem hæreticum in foro conscientiæ, licet hęc facultas a Conc. Trid. tradita sit Episcopis.* In foro vero exteriori possunt Episcopi hæreticos absoluere, vna cum Inquisitoribus, in tribunalibus sancti Officij. r

r, *Sess. 24. cap. 6. de Reform.*

63 Obseruandum est, quod postquam pręfati Domini Inquisitores abiurare faciunt hęreticos, & eos absoluunt ab excommunicatione, quo ad forum exterius, tunc potest quilibet confessarius eos absoluere a peccato hęresis, quia sublata censura non remanet dictum crimen reseruatum; nullum quippe peccatum est Papæ reseruatum, nisi ratione censuræ, qua sublata remanet peccatum non reseruatum. Sic Valerus. f

f, *In suis differentijs inter vtrumque forum. Verbo hæresis Differ. 3.*

Qui

64 Qui etiam differētia quinta proponit pulchrum dubium, an scilicet cum hæretico absoluto in articulo, vel periculo mortis sit seruāda dispositio c. eos, qui, t quatenus obligat taliter absolutos, vt se præsentent coram superioribus, cessante articulo, vel periculo. Et sic distinguendo illud resoluit. Aut hęreticus est occultus, aut non, sed accusatus, seu denuntiatus apud officium sanctę Inquisitionis, & tanquam hæreticus condemnatus. In primo casu non tenetur se pręsentare, vt probat ipse u, in secundo vero casu, videtur quod sic. Sed contrarium est tenendum. Nam cum tales propter eorum absentiam, & contumaciam in nō comparendo, soleant condemnari ad mortem igne adhibitam, & ita eorundem statuæ concrementur; durum nimis esset obligare eos ad se præsentādum, & sic ad subeundam dictam mortem, quia nemo tenetur facere illud, vnde mors sequatur, vt post D. Th. tradit Syl. x, & faciunt not. a. Caiet. y & ab Armilla z; facit etiam quod in iure existit, a ignoscendum esse ei, qui sanguinem suum qualitercunq; redemerit. Adde, quod licitum est iuste condemnato fugere a carcere; quāto ergo magis erit licitum non ire ad eam, ad mortem vitandam? Durius enim eijcitur, quam non admittitur hospes.

t, 22. de sentent. excommunicationis lib. 6. u, Verb. Absolutio Dif. 4. x, Verb. Accusatio, q. 16. y, 2. 2. q. 69. art. vlt. ad 8. dub. z, Verbo Accusatio, q. 21. a, l. 1. ff. de Bonis eorum.

65 Ad Iubileum consequendum sufficit notitia, quę habetur de illo, antequam publicetur ab ordinario,

rio loci. Sed tutius est expectare publicationem. Potest differri consecutio Iubilei iis, qui sua culpa omiserunt, dumodo intra duas hebdomadas ad pœnitentiam redeant, vt v. g. qui die sabbati secundæ hebdomadę eligit confessarium, & non visitauit ecclesias, nec ieiunauit ex malitia. Filliucius. b

b, *num.268.*

66 Non potest pęnitẽs vigore Iubilei absolui a reseruatis die Dñico secundæ hebdomadę; quia expirat, quo ad hanc saltem facultatem media nocte sabbati. Ita fertur Clem. VIII. respondisse. Concessit tñ ipse Pęnitentiarijs S. Petri, vt absoluerent etiam die Dominico, quod ẽt fertur præstitisse Innoc. IX. cuidam Episcopo idem petenti. In die Dominica tamen, quo solet promulgari, non videtur dubium, confessionem in illo factam valere a tempore post publicationem. Die vero Dominico possunt commutari vota, nam hæc commutatio potest fieri tam in confessione, quam extra illam.

67 Approbatus ad confessiones Regularium a superiore proprio, potest eligi ad effectum Iubilei ab ipsis regularibus, non tamen a secularibus, quia non est approbatus ab ordinario ipsorum. Ita responsum est sæpe in sacra pœnitentiaria. Quando tamẽ adderetur verbo ordinarij limitatio locorum, ita vt ordinarij, non quicunque, sed locorum tantum, debuerint approbare confessarios eligendos, tunc ij tantum eligi possent. Filliucius. c

c, *num.275.*

Qui

68 Qui etiam [d] hinc asserit omnes regulares posse eligere quemlibet ex approbatis etiam extra Religionem suam, quia expresse reuocantur omnia priuilegia, & ita decreuit Congregatio Papæ. Videatur etiam Nauar. [e] Potest etiam vno electo Confessario, alter eligi, & prior relinqui, dummodo sit intra tempus eligendi. Filliucius [f]

d, num.seq. e, Conf.19.de penit. f, num.277.

69 Peccata reseruata oblita post Iubileum absolui possunt, non sic vota oblita, quia hæc singulariter commutantur, peccata autem omnia generaliter absoluuntur. Santarellus [g] vero existimat etiam vota commutari posse transacto Iubileo, & affert multos Doctores pro hac sua sententia. Legatur Philiarchus [h] qui contra Henriquez probat, quod transacto Iubileo non possunt commutari vota. Quod qui ficte tempore Iubilei confitetur non est absolutus ab excommunicatione, nec a reseruatione. Et quod absolutus, & dispensatus vigore Iubilei peccat, si cum possit, illud postea non accipit. Contra hæc tria sentit Santarellus. An vero qui animo lucrandi Iubileum confitetur reseruata, postea mutata intentione non vult lucrari, maneat absolutus, respondendum manere, sed non consequi Indulgentiam. Filliucius. [i]

SECTIO XXXXIII.

SYNOPSIS.

1. An Concilium generale potestatem concedendi Indulgentias habeat. 2. An in Concilio generali sine capite reperiatur huiusmodi potestas. 3. Raro inueniuntur Indulgentiæ a Concilijs concessæ. 4. Quibus hæc potestas delegari possit. 5. Cuius potestatis sit actus Indulgentiarum. 6. A quibus pœnis quis liberetur per Indulgentias. 7. Quotuplex Indulgentia. 8. Carena indulgentia quæ. 9. Quæ quadragena. 10. Cur concedantur aliquando ultra Indulgentiam plenariā etiam tot dies de Indulgentia. 11. A quibus pœnis liberetur qui lucratur indulgentiam omnium pœnarum, quas debet. 12. Consultissimum semper est totam pœnitentiam implere. 13. Ad ualorem Indulgentiarum necessaria est causa iusta. 14. & 15. An Indulgentia sine iusta causa concessa soluat ab obligatione pœnitentiæ iniunctæ. 16. Non sufficit quæcunque causa ad quantascunque Indulgentias. 17. & 18. Cum causa non est æqualis, operatur saltem effectum indulgentiæ æqualem sibi. 19. Causa indulgentiarum debet esse proportionata. 20. Causa indulgentiarum debet etiam ex parte suscipientis esse proportionata. 21. An ad indulgentiam vniuersalem aliquando sufficiat causa particularis. 22. Intercessio alicuius personæ quomodo possit conferre ad honestandam causam indulgentiæ. 23. Nunquam indulgentia publice contemnenda, etiam si intolerabilis error committatur. 24. An ad fidem pertineat credere semper causam indulgentiæ esse sufficientem. 25. An indulgentia cesset per cessationem causæ, propter quam data est. 26. An Papa, nullum opus requirendo, possit indulgentias absolute concedere. 27. Probatur sententia huius quæstionis affirmatiua. 28. An indulgentia obtineri possit per opus aliquod internum. 29. Causa suspensionis omnium Indulgentiarum in Anno Iubilei. 30. Quas indulgentias Annus Iubilei suspendat. 31. An indulgentiæ plenariæ concessæ Ecclesijs Romæ suspendantur. 32. An indulgentiæ Ecclesiarum, quæ sunt extra Vrbem, sint Anno sancto suspensæ. 33. An indulgentiæ Ecclesiæ B. Mariæ Lauretanæ suspendantur. 34. An indulgentiæ non plenariæ publicari possint. 35. Audens publicare indulgentias in Anno Iubilei in quas pœnas incidat. 36. Quid si priuilegium plenariam, & non plenariam contineat. 37. De reditu indulgentiarum Anno sancto transacto. 38. Summi Pontifices solent alijs ciuitatibus gratiam sacri Iubilei communicare. 39. Bonifacius IX. Galeazio Mediolanensium Duci Iubileum Anni sancti concessit. 40. Circa hanc

concessionem falsus Corius. 41. Quænam alia suspendi soleant cum indulgentiis. 42. De quibus facultatibus, & indultis loquantur Bullæ Pontificiæ. 43. 44. & 45. Quæ facultates non tollantur in Anno sancto. 46. An indulgentiæ concessa pro defunctis in Anno sancto suspendatur.

PLENISSIMAM OMNIVM PECCATORVM SVORVM INDVLGENTIAM, REMISSIONEM, AC VENIAM MISERICORDITER IN DOMINO CONCEDIMVS, ET IMPARTIMVR.

1 Olus summus Pontifex est legitimus dispensator Indulgentiarum. An vero in Concilio generali sit hæc potestas, respondendum cum Filliucio a Conciliũ generale, vna cum capite, qui est summus Pontifex per se ipsum, vel per suos legatos posse concedere Indulgentias pro tota ecclesia. Patet, quia si summus Pontifex personaliter resideat, saltem ratione eius, quem Concilium includit, poterit indulgentias concedere, cum Pontifex etiã sine Concilio possit. Si vero præsideat per suos legatos, ideo quia concilium est vnitum suo capiti per legatos, poterit ex concessione eius habere talem facultatem; sed hac seclusa ex se illam non habet, quia non est necessaria, cum perseueret in capite, & hæc sufficiat ad prouidendum toti corpori.

a, *cap.4.num.83.*

2 An vero in Concilio generali absque capite, quod dicitur acephalum, reperiatur hæc potestas

conce-

concedendi indulgentias, Filliucius ex multis DD. dicit, probabile esse in tali concilio, sede Apostolica vacante, esse talem potestatem, quia repræsentat totam ecclesiam, & tunc dici posset iure diuino habere talem potestatem ex natura rei, & per necessariam consequentiam.

3 Si vero attendamus vsum, raro inueniuntur indulgentiæ concessæ a Concilijs generalibus, & si quando inueniuntur, id factum fuit ex generali commissione summi Pontificis, vt in Basil. b In Constantiensi autem, quod tempore schismatis coactum est, nullæ indulgentiæ leguntur concessæ: Filliucius. c Quod si attendamus ad ius aliquod, quod extet, dicendum nullum esse decretum hac de re, neque constat traditione, vt ex Suarez testatur ipse Filliucius.

b, *Sess.24. c, num.86.*

4 Hæc facultas concedendi indulgentias potest delegari etiam laico, sed iure communi debet esse clericus. Hinc patet, si per generalem concessionem concedatur laico, vt in articulo mortis possit obtinere indulgentiam plenariam a confessore, non posse eam obtinere a laico, deficiente sacerdote. Sic ex Suarez, Filliucius contra Fel. d Patet etiam hinc, Episcopum nō posse illam delegare laico, quia Episcopus non potest derogare iuri communi.

d, *tract. de Indulg. num. 19.*

5 Cuius potestatis actus sit concessio Indulgentiarum, nonnulli tenent vt probabile, esse actum or-

Tt 2 dinis.

dinis, ſed hoc dici non poteſt, vt patet ex dictis. Alij dicunt, omnem conceſſionem Indulgentiarum eſſe actum Iudicialem, & fieri per abſolutionem a pęna. Sed hoc non videtur poſſe dici reſpectu defunctorum, quia poteſtas ſoluendi non extendit ſe ad non ſubditos, vt patet ex ipſo iure; [e] atqui defuncti non ſunt ſubditi Pontificis, ergo &c. Eſt etiam tertia ſententia, quæ generatim dicit, Indulgentias non continere vllam abſolutionem, aut actum iuriſdictionis, ſed meram diſpenſationem theſauri Eccleſiaſtici, ex eo ſoluendo pretium pro pęnis, quas peccator debet; ſicut cum vnus pro altero ex proprio ſatisfacit. Ita tenet Durãdus [f]; ſed tenendum cum Bellarmino, [g] quem fere etiam ſequitur Suarez [h] reſpectu ſcilicet viuorum, eas continere, & ſolutionem pretij, & veram abſolutionem, reſpectu mortuorum meram ſolutionem pretij.

e, c. quod autem. de pęnitentijs f, *in 4. diſt. 20. q. 3. art. 2.* g, *lib. 1. de Indulg. c. 5.* h, *diſp. 49. ſect. 3. & 4.*

6 Per Indulgentias non ſolum quis liberatur à pęnitentijs ipſi iniunctis, ſed etiam à pęnis, quæ in Purgatorio ſoluendæ ijs reſpondent. Remittuntur etiam per indulgentias non ſolum pęnæ reſpondentes pęnitentiæ iniunctæ, ſed quæuis aliæ debitæ ex peccatis remiſſis pro magnitudine indulgẽtiarum. Et ſi in Bulla dicatur Indulgentias concedi de pęnitentijs iniunctis, tamen eas lucrantes liberantur a pęnis Purgatorij, etſi omnes pęnitentias ſibi iniunctas impleuerint. Ratio quia cum maius ſit liberare aliquem

quem a pęnitentijs iniunctis,quam ab alijs pęnis,illa particula de pęnitentijs iniunctis non apponitur, vt restringat beneficium, sed vt illud ampliet,& idē valet,ac si diceretur,etiam de pęnitentijs iniunctis, cum nulla sit ratio illud restringendi ad illas pęnas, sed potius contra; Coninck. [i]

i, *dub.3.*

7 Duplex est indulgentia, plenaria, & temporalis. Plenaria est illa,qua remittitur tota pęna simpliciter,vel in aliquo certo genere. Illa dicitur remittere totam pęnam simpliciter, quæ conceditur sine additione particulæ, *De iniunctis pęnitentijs*; Illa vero dicitur remittere totam pænam in certo genere, quæ fertur cum additione, *De pęnitentijs iniunctis*. Indulgentia temporalis dicitur illa,qua non remittitur tota pæna, sed tanta,quanta in Bullis exprimitur; & hæc diuidi potest in carenam, quadragenam,& septenam,sic Bonacina. [k]

k, *De indulg. & suffrag. puncto 2. num.1.*

8 Carena dicitur a carendo, quatenus peccatores, quibus iniungebatur Carena in pænam peccatorum, carebant cibo, & potu; is enim, cui carena iuxta Canones iniungebatur, ducebat vitam in pane,& aqua quadraginta diebus, & septem annis sequentibus. Carena igitur accipitur pro Indulgentia, qua remittuntur pænæ, quot fuissent remissæ peragendo pænitentiam in pane, & aqua quadraginta diebus cum septem annis.

9 Quadragena est Indulgētia,qua remittitur pæna

na respõdens pænitentię quadraginta dierũ, ac si pęnitẽtia quadraginta dierum facta fuisset iuxta canones pænitentiales. Ex quo patet, quid dicendum sit de indulgẽtia septena. Videatur Henriquez, Corduba, Toletus, Valentia, & alij DD. citati a Bonacina.

10 Quærit Corduba l, quare in aliquibus Bullis concedantur vltra indulgẽtiam plenariam tot dies, vel quadragenas de indulgentia, si indulgentia plenaria remittitur tota culpa; & respondet id fieri, vt si causa indulgentiæ non sufficeret ad indulgentiam plenariam, saltem lucretur illos dies, vel quadragenas is, cui talis bulla conceditur.

h, *lib.* 15. *quæst.* 11.

11 Qui præcise lucratur indulgentiam plenariam omnium pœnarum, quas debet, liberatur ab omnibus omnino pęnis Purgatorij, & pęnitentijs iniunctis in puram punitionem peccati Coninck ex multis Doctoribus; quod patet, quia est in Pontifice potestas ex iusta causa ab vtrisque pœnis liberandi.

12 Notandum tamen cum eodem Coninck consultissimum semper esse totam pœnitentiam implere. Primo, quia sæpe iniũcta est per modum medicinæ, maxime ijs, qui sæpe in eadem peccata labuntur, & tunc indulgentiæ ab ea non liberant. Secundo quia sæpe incertum est, an indulgentias lucrati sumus, vel saltem an eas ita lucrati sumus, vt ab omnibus pęnis liberemur. Tertio quia tantum beneficium Dei exigit, vt etiam ostendamus nos liberales erga eum, aliquam satisfactionem.

nem exhibendo. Hinc vsus obtinuit, vt etiam in indulgentijs plenarijs, ac Iubileis aliquæ pænitentiæ, licet minores, iniungantur, idque quandoque in Bullis requiritur. Quando tamen pęnitentię essent valde graues, & difficiles, nec esset periculum morale recidendi in peccata, posset quis rationabiliter vti indulgentijs, vt ab illis liberaretur.

13 Ad valorem indulgentiarum, quantum attinet ad remissionem pęnæ, quę in diplomate exprimitur, necessaria est causa iusta, & rationabilis, ex parte concedentis, quæ illum moueat ad eas concedendas. Alioquin sine causa rationabili concessæ non liberant coram Deo hominem a reatu pœnæ temporalis. Innoc. III. [i] indulgentias indiscretas vocat superfluas, idest inanes, & irritas. Clemens autem VI. [k] dicit thesaurum ecclesiæ pro pijs, & rationabilibus causis esse applicandum, nunc pro totali, nunc pro partiali remissione pœnæ temporalis. Et Cyprianus [l] redarguens eos, qui temere dabant indulgentias, *Irrita*, inquit, *& falsa pax periculosa dantibus, & nihil accipientib. profutura*. Sic Syluius, [m] & est communis Doct. Dixi quantum attinet ad remissionem pœnæ, quia indulgentiæ sine causa datæ valent, quantũ ad ea, quæ sunt iuris Ecclesiastici, quale est priuilegium eligendi confessorem, qui absoluat etiam a casibus reseruatis.

i, *cap. cum ex eo, tit. de pęnitentijs.* k, *in Extrauag. Vnigenitus.* l, *tract. de lapsis.* m, *in 3. p. D. Tho. q. 25. art. 2. concl. 1.*

14 Indulgentiam concessam sine iusta causa solue-

re

re ab obligatione pœnitentiæ iniunctæ ex probabili sententia asserit ex Sot. & Nauar. Filliucius. [n] Ratio; quia eiusmodi obligatio non excedit ius humanum, nempe præceptum confessionis. At indulgentia sine causa in tantum est inualida, in quantum derogat in aliquo ex iure diuino; cum ergo non sit tale, erit valida dispensatio.

n, *cap.* 5. *num.* 110.

15 Dixit ex probabili sententia, quia probabile etiam est, & forte tutius dicere, neque in hoc esse validas re ipsa, quia indulgentia non tollit obligationem pęnitentiæ iniunctæ, reuocando præceptum confessionis, sed tantum subtrahendo materiã eius, nempe satisfactionem, & pœnam. At per indulgentiam sine causa, nõ tollitur materia hæc, vt vidimus; ergo. Dixit re ipsa, quia in conscientia pęnitentis fieri potest, vt obligatio esset, seu potius excusetur, quia non constat illi de nullitate indulgentiæ, sed potius præsumit bona fide esse validam.

16 Non sufficit quæcunque causa rationabilis ad quantascunque indulgentias, sed requiritur ea, quæ proportionetur quantitati earum, ita vt quemadmodum sine causa concessæ nihil valent; ita concessæ magnæ, sine magna causa, nõ tantum valeant. Nam ad maiorem indulgentiam requiritur maior causa, nec illa valet nisi pro quanto causa sufficit in iudicio Dei. Syluius. [o]

o, *vbi supra, conclus.* 4.

17 Operatur enim causa, quando non est æqualis, impro-

saltem effectũ indulgentię æqualem sibi; nam cum hęc pendeat a voluntate concedentis, & concedens hoc velit, quia vult concedere quantum potest hoc ipso, quod vult, & tentat concedere plus quam potest, a fortiori ergo vult facere effectum adęquatum sibi. Confirmatur ex illa regula iuris, *vtile per inutile non vitiatur*, cum ergo causa illa possit producere aliquem effectum nempe sibi proportionatum; non vitiabitur per defectum eius, comparatione effectus maioris.

18 Nec obstat, quod concedens Indulgẽtiam sub conditione talis operis, qui facit tãtum partem eius, nihil lucratur: quare pari ratione, cum causa sit insufficiens ad totam indulgentiam, concessio erit nulla. Respondetur enim esse diuersam rationem: Nam ibi non impletur conditio absolute, & consequenter non adest voluntas concedentis, cum detur sub conditione operis. At hic impletur conditio, & tamen non datur totus effectus ex defectu potestatis, non voluntatis. Plura Suarez. p

p, *Sect.4.num.9.*

19 Quod indulgentiarum causa debeat esse proportionata, probatur primo, quia ad valorẽ indulgentię necessaria est causa iusta, vt autem iusta sit, debet esset vel adęquata, vel proportionata; iustum enim non est, nisi quod aliquo modo adæquatur, vel proportionatur rei. Secundo causa debet esse rationabilis; illa tamen non est rationi consentanea, quę est improportionata, cum recta ratio non admittat ali-

Vu quod

quod improportionatum. Tertio, non tantum ille est infidelis dispensator, qui sine causa profundit bona sui domini, sed etiam qui pro minima re thesauros pretiosos distribuit. Immo magis prodigus censetur, qui magna bona dispendit ex leuissima causa, quam qui exigua pro nulla. Syluius. q

q, *vbi supra.*

20 Qui ét[r] asserit ex Soto causam indulgentiarum nõ solum debere esse proportionatam ex parte concedentis, sed etiam ex parte suscipientis, vt scilicet aliquid eo modo præstet, vt habeat proportionem ad indulgentię concessæ quantitatem. Neque enim ad illarum valorem sufficit magnitudo causę ex parte concedentis, nisi ad eam aliqua proportione accedant illi, qui volunt esse participes; Accedunt autem per opus, cuius intuitu applicatur eis thesaurus; ergo prout plus, vel minus accedunt per illud opus ad istam causam, sic sunt plus, aut minus participes indulgentiæ; Hinc Bonau. f *Ille, qui dat indulgentias, cum eas tribuit, considerat causam, pro qua reputat eum dignum tanta gratia; & secundum quod plus, vel minus accedunt homines ad illam causam, plus, vel minus participant de indulgentia.* Et concludit tãdem, eos, qui grauiter, & multipliciter deliquerunt, non consequi plenam remissionem per indulgentias plenarias, nisi deuotione, aut propria satisfactione, ad causam tanti beneficij certa quadam proportione accedant.

r, *conclus. seq.* f, *in 4. dist. 20. q. vlt.*

Indul-

21 Indulgentia concessa toti ecclesię requirit causam publicam; sicut ad indulgentiam particularem satis est causa particularis. An vero ad indulgentiam vniuersalem aliquando sufficiat causa particularis. Filliucius [t] affirmatiue respondet; quia potest necessitas, aut vtilitas alicuius personæ particularis esse grauissima, & talis, vt iure possit per talē modum procurari, vt si pro impetranda salute Regis, aut Prælati concedatur indulgentia.

t, num. 123.

22 Addit etiam [u] intercessionem alicuius personæ posse conferre ad honestandam causam indulgentiæ: sic olim ad petitionem martyrum, vel confessorum dabatur venia lapsis, de quo in iure. [x] Dixit, posse conferre, quia regulariter qui intercedit præter suam voluntatem, debet afferre iustam causam, ob quam indulgentia concedi possit. Sic Papa [y] inductus fuit supplicationibus populi Romani ad reuocandum cētenarium Iubileum ad quinquagenarium. Aliquando etiam persona intercedens potest conferre ad complendam causam, nam & ipsa intercessio actio quædam, & pia, & professio fidei, & specialis deuotio ad sedem Apostolicam, & aliquando etiam persona potest esse benemerita ecclesiæ, vnde tunc gratia concedetur ex gratitudine.

u, *cap. seq.* x, *cap. veniam* 35. *quæst.* 9. y, *in Extrauag. Vnigenitus, de pœnit. &c.*

23 Dicit [z], si in particulari aliquo casu contingeret committi intolerabilem errorem, in quantitate,

& causa indulgentiæ,nunquam tamen publice contemnenda esset, aut reprehendenda. Patet, quia sequerentur scandala, & saltem in verbis conueniretur cum hæreticis, neque huiusmodi zelus potest esse vtilis, vt pluribus Suarez ab ipso citatus.

z, num. 233.

24 Non pertinet ad fidem credere semper causam indulgentiæ esse sufficientem, tamen non caret temeritate, iudicare causam, quæ mouet Pontificem ad indulgentiam non esse sufficientem, & in dubio semper pro Pontifice sentiendum est, nam ad ipsum pertinet iudicium huius causæ. Filliucius. [a]

a, num. 125.

25 Indulgentia non cessat per cessationem causæ, propter quam data est, quia non est necesse tantum durare causam, quantum indulgentia; nam ob causam temporalem sæpe conceditur indulgentia perpetua; satis ergo est ab initio causam fuisse sufficientem ad tantam indulgentiam concedendam, licet semper reliquatur aliquis respectus moralis ad illã, propter quem potest dici semper remanere causam moraliter. Quod si ab initio non fuit sufficiens ad concedendam perpetuam, tunc erit valida pro tempore proportionato. Filliucius. [b]

b, num. 245.

26 Summus Pontifex aliquando potest indulgentias absolute concedere nullum opus requirendo, nam adesse potest iusta causa concedendi indulgentiam nullo iniuncto opere, vt si defuncto optime de eccle-

ecclesia merito indulgentiam concedat, vt alios hoc pacto trahat ad consimilia merita; sicut enim Princeps potest bona communia ex rationabili causa dignis applicare; ita etiam summus Pontifex, qui est Princeps Ecclesiæ, potest homini iusto optime merito de Ecclesia, & bonis ecclesiæ communibus digno indulgentias applicare. Sic ex multis DD. concludit Bonacina. [c]

c, puncto 4. num.6.

27 Probatur id etiam primo vsu Romanæ Ecclesiæ, quæ in diebus quibusdam sollemnibus, vt Paschate, Ascensione Domini, & alijs concedit indulgentiam plenariam recipientibus benedictionē Papæ. Hoc etiam modo Episcopi benedicentes solent concedere quadraginta dies indulgentiæ præsentibus. In his autem nullum opus exigitur. Secundo ratione; quia tria communiter Theologi requirunt in indulgentia, potestatem in concedente, gratiam in recipiente, & proportionem in causa, hæc autem omnia esse possunt sine vllo opere, quod exigatur a concedente indulgentiam. Potest etiam dari per modum medicinæ, vt is, cui conceditur, in spem erigatur, vel feruentius excitetur.

28 Bonacina etiam [d], & Suarez ait, indulgentiam obtineri posse per opus aliquod internum, si scilicet summus Pontifex indulgentiam concedat sub onere prestandi opus internum. Ratio est, tum quia, qui præstat opus a superiore præscriptum, consequitur

indul-

indulgentiam, concurrentibus alijs conditionibus. Tum quia experientia constat summum Pontificem concedere aliquando Indulgētiam facientibus examen conscientiæ, aut ijs, qui in mortis articulo nomen Iesus interius inuocant, cum ore nequeunt inuocare: Tum quia si summus Pontifex non potest concedere indulgentiam elicienti actum internū, id maxime est, quia Ecclsia non potest iudicium de internis exercere; sed hæc ratio non obstat, cum Ecclesia in proposito casu non exerceat iudicium de actu interno, sed illum requirat tanquam conditionem ad consecutionem indulgentiæ, & sufficiat, vt adimpletio talis conditionis sit nota Deo; Ergo per actum internum indulgentia potest obtineri.

d, *puncto* 5. *num.* 28.

29 Suspenduntur etiam Indulgentiæ in Anno Sācto Iubilei. Causas huius suspensionis videat lector apud Benzonium.[e] Præcipua causa hæc est, vt videre licet in Bulla Vrbani VIII. huiusmodi suspensionis, vt maiori concursu, durante anno Sancto, Basilicas supradictas Christianæ nationes visitent, & frequentent. Hæc igitur suspensio in maiorem cultum, & celebrationem sacri Iubilei cedit; cum hæc sola vigeat indulgentia, hæc solummodo floreat, ac denique hæc vnica, & non alia Plenaria acquiratur. Neque enim fas esset, vt res celeberrima fidelibus tanto apparatu proponeretur, qui per aliam viam idem consequi possent. Quemadmodum

dum ergo si præcellens aliquis Concionator, vel lector in Vrbe esset, iuste preciperetur, vt honoris gratia reliqui eo tempore, quo ille verba facit, quiescerent, sic quoque æquum visum fuit, eo tempore, quo Romæ celebratio Anni Sancti peragitur, vt ceteræ indulgentiæ plenariæ per orbem diffusæ cessarent, hoc præsertim seculo, in quo nulla ferè Ecclesia, etiam in paruis oppidis sita reperitur, in qua indulgentia plenaria non sit concessa.

e, *lib.4.cap.8.dub.1.*

30 Quas indulgentias postea suspendat Annus Iubilei, respondendum cum Filliucio *f* suspensionem pendere ex intentione Pontificis expressa in litteris, quæ super hoc indici solent; ex Bulla tamen Sixti IV. ad cuius tenorem fere ceteræ conscribi solent, satis clare suspenduntur tantum plenariæ, sic enim dicitur, omnes, & singulas plenarias, etiam ad instar Iubilei, suspēdimus. Patet ex dicta causa finali huius suspensionis, ne scilicet fideles retrahantur a peregrinatione Romana, ob facultatem, quam habent quærendi indulgentias domi; hæc autem cessat in non plenarijs. Idem in Bulla Clem. VIII. dicitur, omnes, & singulas indulgentias etiam perpetuas, & peccatorum remissiones, sic & modo fere Vrbanus VIII. sed eodem modo videtur intelligenda particula indulgentias, vt in Bulla Sixti IV. cum restrictione scilicet ad plenarias, nisi aliunde constaret de expressa intentione Pontificis, suspendentis etiam non plenarias. Santarellus *g* asserit in

Bulla

Bulla Clem. VIII. & nostri Sanctissimi Vrbani VIII. omnes prorsus f indulgentias suspendi.

f, cap.10.n.251. g, cap.5.

31 An vero etiam plenariæ concessæ Ecclesijs Romæ suspendantur, eodem modo sicut aliæ, respondendum, quod in Bulla Sixti IV. expresse excipiuntur, indulgẽtijs Basilicarum dictæ Vrbis in suo plenario robore durantibus. Et certe causa finalis suspensionis non militat in illis. Vnde forte idem sentiendum est semper, dummodo alij Pontifices contrarium non exprimant. In Bulla certe Clem. VIII. sicut & modo in Bulla Vrbani VIII. eiusmodi exceptio nõ habetur. At habetur etiam dicta exceptio in Bulla Greg. XIII.

ſtam, atque a Deo traditam ipſis poteſtatem demonſtrent?

a, *lib.2.ſuæ Reip.cap.5.n.27.*

2 Quod autem, Epiſcopos in partem ſollicitudinis a Papa vocari, ita interpretetur Spalatẽſis, quaſi idem eſſet, eos Papæ tantũmodo Vicarios, ac Miniſtros inſtitui, neque vllum proprium munus obeundum ſuſcipere; hoc longe a communi Patrum, ac Pontificum doctrina, ac ſententia diſtat; qui Epiſcopos non Pontificis Vicarios, aut miniſtros, ſed fratres, Coadiutores, atq; Eccleſiæ Principes appellant. Fratres quidem ratione ordinis Epiſcopalis, in quo inter ſe ſunt æquales; Coadiutores ob iuriſdictionis poteſtatem, quam in ſingulis eccleſijs a Pontifice accipiunt, vt ſecum ipſius onus ſuſtentent, quod eſt ſolicitudo omnium eccleſiarum, quæ alioqui tota Pontifici incumberet; Principes tandem, nam etſi ita abſolutum principatum in ſuis eccleſijs non gerant, quin ſummo Pontifici, quoad acceptam Iuriſdictionis poteſtatem, ſubiecti eſſe debeãt; neque eam in ſuis Diœceſibus poteſtatem habeant, quam Pontifex in totam Eccleſiam iure diuino ſibi vendicat, ſed longe minorem; ſunt tamen in proprijs Eccleſijs veri Eccleſiaſtici Principes, tum ob poteſtatẽ ordinis Epiſcopalis, quam a Deo immediate per Eccleſiæ miniſterium acceperunt, per quam in vero Eccleſiæ Principatu collocantur; tum etiam, quia ſuam Eccleſiam ſibi ſubiectam habent, in qua directiuam, ac coactiuam poteſtatem exer-

exercent. Denique, vt Ignatius ait, in propria Ecclesia nihil maius Episcopo, quo fit, vt in Concilio generali non vt serui, ac ministri, sed vt Principes, ac Iudices sedeant.

3 Quod vero etiam vrget Spalatensis, vt mortuo Papa in tota Ecclesia Iurisdictio extinguatur, & sola ordinis potestas in Episcopis maneat, potestas vero Iurisdictionis tota pereat; friuolũ est, & obiectioni sapiẽter occurrit Bellarminus, vt notat Nicolaus Coeffeteau; dum docet [b] Potestatem hanc Episcoporum pendere a Papa tantum, vt scholæ loquuntur, *in fieri*, non autem *in conseruari*: Recte quoque doctissimus Cardinalis [c] docet magnum esse discrimen inter successorem Petri, & aliorum Apostolorum: Nam, inquit, Romanus Pontifex proprie succedit Petro, non vt Apostolo, sed vt pastori ordinario totius Ecclesię, & ideo ab illo habet Romanus Pontifex iurisdictionem, a quo habuit Petrus. At Episcopi nõ succedunt proprie Apostolis, quoniam Apostoli non fuerunt ordinarij, sed extraordinarij, & quasi delegati pastores, quibus non succeditur. Dicuntur tamen Episcopi succedere Apostolis non proprie, eo modo, quo vnus Episcopus alteri, & vnus Rex alteri, sed duplici alia ratione. Primo ratione ordinis sacri Episcopalis. Secundo per quamdam similitudinem, & proportionem, &c. Plura, & notabilia circa hanc materiam videre licet apud Bouerium, & Nicolaum. [d]

b, *Discussione V.cap.lib.2. Aduersus Remp. Spalatensis.* c, *De Rom. Pont. c.25. l.4.* d, *locis citatis.*

S E-

SECTIO XXXXVII.

SYNOPSIS.

1. Per tubas summus Pont. intelligit prædicationem verbi Dei. 2. Magni facienda humilitatis virtus. 3. Quid hic intelligat Papa per humilitatem. 4. Romanus Pont. suam profitetur exiguitatem. 5. Exemplum S. Leonis Papæ de hac exiguitate cum celsitudine dignitatis copulata. 6. Magna de Principis humilitate S. Bernardus. 7. Benedictus Papa XII. quid se ipso sentiebat.

CAPITE TVBAS ARGENTEAS, QVARVM VSVS EST IN IVBILEO, ADHIBITE PRÆDICATIONEM VERBI DEI, ET PRÆNVNTIATE POPVLIS GAVDIVM MAGNVM, VT SANCTIFICENTVR, ET DEI IVVANTE GRATIA PARATI SINT AD EA COELESTIA DONA CAPIENDA, QVÆ BONORVM OMNIVM LARGITOR DEVS, FILIIS DILECTIONIS SVÆ PER MINISTERIVM HVMILITATIS NOSTRÆ PRÆPARAVIT.

1 PEr tubas intelligit, vt patet ex textu, summus Pontifex prædicationem verbi Dei, & promulgationem sacri Iubilei, clama, ne cesses, quasi tuba, &c. [a] & S. Ioan. Bapt. Præco Domini per excellentiam nuncupatur. Et ideo dicunt scri-

scriptores ecclesiastici, a feria 5. Cœnæ Domini vsq; ad Nonam Sabb. Sancti non pulsari in ecclesia cam panas, quia Apostoli, ob sacram prædicationem campanis, & tubis comparati, siluerunt propter necē sui Domini. Extant S. Caroli, & Card. Paleoti litteræ pastorales, & instructiones, de Sacro Iubileo Romæ suscipiendo anno sancto 1575. quæ quidem dignæ sunt, quæ legantur, & imitentur ab omnibus Episcopis, & Prelatis.

a, *Isaiæ* 58.

2 Magni faciēda est humilitatis virtus, ideo summus Pontifex ait, *Per ministeriū humilitatis nostræ*. Magna siquidem virtus humilitatis, inquit Zerola [b] Vocatur per excellentiam virtus Christi; hoc enim voluit dicere D. Paulus [c], qui post multa de hac virtute prolata, ait, *libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi*. Id est humilitatis, sic enim explicat D. Bernardus citatus ab ipso Zerola, dum dicit, quod Christus potius voluit amittere vitam, quā humilitatem, *humiliauit* enim *semetipsum factus obediens*. [d] & ecclesia in oratione illa, quæ est de com. Virg. & Mar. & incipit, *Indulgentiam*, ait, & merito castitatis, & tuæ professione virtutis, vocando humilitatem propriam Christi virtutem.

b, *In com. Bullæ indictionis santi Anni Iubilei Clem.* 8. c, 2. *Cor.* 12. d, *Philip.* 2.

3 Sed summus Pontifex hic per humilitatem intelligit exiguitatem, & paruitatem suam, seu abiectionem,

ctionem, quemadmodum nonnulli Doctores, & moderni non pauci B. Virginem intellexisse arbitrantur, dum in Cantico eius dixit, *Quia respexit humilitatem Ancillæ suæ.* Si autem quæras ab his Doctoribus, vt scribit hic Carthagena, quænam paruitas era hæc B. Virginis? respondent, paruitatem in natura, quia homo erat in sexu, quia femina in conditione, quia fragilis, immo, & peccabilis, quantum est ex se, nisi speciali Dei dono præseruaretur; addunt deinde non solum intellexisse Beatam Virginem de paruitate in natura, sed & in gratia, & virtutibus, quia licet hæc omnia in ea essent in heroico gradu, nec ipsa id ignoraret, propter limpidissimam tamen diuinæ bonitatis cognitionem, qua mens eius erat illustrata, omnia sua supernaturalia bona exigua sibi videbantur ad colendum, & magnificandum Deum, qui maior est omni laude.

4 Sic & Romanus Pontifex suam profitetur exiguitatem, nam quo maiestas Monarchæ Ecclesiastici maior, & amplior, eo propter maximam, qua condita est, humilitatem, excellentior, & perfectior haberi debet. Quæ humilitas tanta est, vt ipse summus Pontifex in tanta dignitatis, honorisque celsitudine collocatus, se seruum seruorum Iesu Christi appellare consueuerit; se ipsum quanto maior est, tanto se profundius humilians sibi creditis populis; vt maiorem inueniat gratiam apud eum, cuius in terra Vicarius est, qui dixit [e]: *Discite a me, quia*

mitis sum, & humilis corde. Sicut S. Paulus [f] *Non nosmetipsos*, inquit, *prædicamus, sed Iesum Christum, nos autem seruos vestros per Iesum*; Mira humilitas eorum se seruum confiteri, quorum se alibi dicit esse Patrem. *Per Euangelium*, inquit, [g] *ego vos genui*; sic Papa per humilitatem eorum se seruum esse dicit, quorum Pater, Princeps, & Pastor summus a Christo Domino constitutus est. Hæc tanta summi Pontificis humilitas nil summæ eius auctoritati detrahit, sed magis hæc huiusmodi humilitate refulget. Sicut enim in Apostolo maximus humilitatis, & auctoritatis Apostolicæ simul iunctarum fulgor emicabat; vt ille, qui se Corinthiorum seruum per Iesum Christum humiliter asserebat, alibi eisdem suæ Apostolicæ eminentiam potestatis eximia conditæ charitate sapienter exprimens ita loqueretur: [h] *Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate, & spiritu mansuetudinis*. Sic Romanus Pontifex a Spiritu Sancto mõderatus, & instructus vtriusque virtutis, humilitatis, & mansuetudinis excellentiam cum Pontificia Maiestate, atque potestate ad saluandas animas religioso, atque salutari mysterio copulare solet; agnoscens per magnam sui abnegationem se iuxta piam S. Bernardi considerationem, [i] *eleuatum esse super gentes, & regna ad ministrandum potius, quam ad dominandum*, more scilicet regum gentium, Christi Domini exempla sequendo, qui cum esset *Rex Regum, & Dominus Dominantium*. Apoc. [k] nihilominus de seipso dixerat, [l] *filius hominis*

nis non venit ministrari, sed ministrare. Maucleras. m

e, Matth. 11. f, 2. Cor. 4. g, 1. Cor. 4. h, ibidem. i, lib. 2. de consider. ad Eugenium Papam. k, cap. 19. l, Matth. 10. m, 2. p. lib. 3. c. 17.

¶ Dignissimum obseruatione huius humilitatis cum celsitudine dignitatis copulatæ in persona S. Leonis Rom. Pont. habemus exemplum. In quo admirabilis in propria persona humilitas apparuit, & maxima in dignitate tuenda animi celsitudo, qui in summę potestatis, Pontificiæq; maiestatis apicem diuinitus euectus, cum aliquando ad populum concionando, dum ad exiguitatis suæ tenuitatem, & ex altera parte ad amplitudinem muneris adepti respiceret, sic intra se stupefactus præ rei nouitate, rerumque valde dissimiliũ antithesi, loquebatur Serm. de Assumptione sua.

Ego etiam illud propheticum debeo proclamare, Domine audiui auditum tuum, & timui; consideraui opera tua, & expaui; quid enim tam insolitum, tam pauendum, quam labor fragili, sublimitas humili, dignitas non merenti: Postea vero sublimitatem honoris maximi, in quam S. Petri Apostolorum Principis successor, miseratione diuina conscenderat, animaduertens, fortique animi cogitatione perpendens, ista superioribus addidit. *Rationabili obsequio celebratur hodierna festiuitas, vt in persona humilitatis meæ ille intelligatur, ille honoretur, in quo & omnium pastorum solicitudo, & commendatarum sibi ouium custodia perseuerat, & cuius etiam dignitas in*

indigno hærede non deficit, vnde venerabilium quoque fratrum, & consacerdotum meorum desiderata mihi, & honoranda præsentia, hinc secratior est, & deuotior, si pietatem eius officij, in quo adesse dignati sunt, ei principaliter deferant, quem non solum huius sedis præsulem, sed omnium Episcoporum nouerunt esse primatem.

6 Magna *in Principe virtus humilitas honorata*, dicebat S. Bernardus; exinanire se ipsum propter Christum, cum sit ipse maximus per Christum; non pudere se fateri ea nescire, quæ optime sciat, non existimare se aliquid esse, cum omnibus mundi Principibus dignitate præeat, & antecellat: Denique præ magna sui despicientia, & humilitate agnoscere se omnis eruditionis ignarum, ac imperitum, cum sit ipse doctrina singulari, bonarum omnium, sacrarumque artium studijs illustrissimus.

7 Vt Benedictus ille XII. Ioannis XXII. successor in Narbonensi Gallia humili loco natus, monachus, ac postea Cistercienfis Abbas integræ apud omnes famæ; quem electum plurimum Cardinales mirabantur, & ipse in hanc vocem erupit. *Profecto asinum elegistis;* sentiebat siquidem vir pius, licet sapientia, & doctrina esset admirabilis, accusator sui, & propriæ professor infirmitatis, longe se Pontificia dignitate indignum; ad cuius fastigium Cardinalium suffragia eorum intus Spiritu Sancto potenter interiora monente sublimauerant.

SE-

SECTIO XXXXIIX.

SYNOPSIS.

1. Locus Ioelis explicatus. 2. Ecclesia nostra est sancta. 3. Sanctitati doctrinæ personarum etiam sanctitas respondere necesse est. 4. Boni Pastoris effigies in Patriarcha Iacob. 5. Præsentia boni Pastoris quantas vires habeat. 6. Locus D. Pauli declaratus. 7. Differentia inter peregrinum, & aduenam. 8. Locus Apostoli explicatus.

AD COELESTIA MVNERA IN HAC VRBE PERCIPIENDA, VOCATE COETVM, CONGREGATE POPVLVM, SANCTIFICATE ECCLESIAM, DOCETE OVES FIDEI VESTRÆ CREDITAS, QVIA ADVENÆ, ET PEREGRINI SVMVS IN HAC VITA, ET CIVITATEM HIC PERMANENTEM NON HABEMVS, SED FVTVRAM INQVIRIMVS.

1 Ocus ex Ioelis [a] Prophetia *Vocate cætum*, Synodum, vt hic interpretatur Glos. interlin. vel congregationem; *congregate*, vel cum LXX. eligite populum, vt qui dispersus errauit a Domino congregatus in vnum Deo placeat; *sanctificate ecclesiam*, vt nullus sit in ea, nisi sanctus, ne paruo fermento tota massa corrumpatur.

a 2, cap. 2.

Quod

2 Quod ecclesia nostra sit sancta, in doctrina, & personis patet. Nam quoad doctrinam pertinet, huiusmodi est, quod hactenus aduersarij nostri nihil aduersus ipsam repererint, quo vel recta ratio, vel boni mores queant labefactare. Ea enim, quæ nobis Ministri obijciunt, vt ait Northusiuus, *b* vel falsa sunt, vel ab ipsis accusatoribus deprauata, vel sunt re vera bona, & laudabilia, atque ad exercitium fidei probitatisque instituta; sed a ministris, non minus impijs, quam impudentibus calumnijs circumuenta, qualia sunt, vota, Ieiunia, prolixiores orationes, vigiliæ, & aliæ id genus corporis afflictiones.

b, *De Ecclesia lib.3.cap.19.*

3 Sanctitati doctrinæ, personarum etiam sanctitatem respondere necesse est, nam sanctus dicitur is, qui sanctis legibus conuenienter viuit. Neque enim hic de abusibus, & erratis, quæ contra legem, quam quis tenet, committūtur, disputatio est. Quia igitur Ecclesia nostra vnitatem, sanctitatemque doctrinæ suæ ab ipso Euangelij exortu vsque ad nostra tempora deducit; credere plane opus est omnes sanctos homines, omniaque sancta exercitia ad nos catholicos pertinere. Nostri enim sunt sancti martyres, nostri sunt sancti Eremitæ, & monachi; nostræ sunt S. Virgines, Viduæ, Coniuges, & quidquid sub nomine christiano catholico iuxta sacrum Euangelium innocenter vixit. Quidquid etiam toto Ecclesiæ decursu, vmquam fuit sanctarum precum, votorum, corporis afflictionum; quidquid sapientiæ, & iustitiæ;

iustitię; quidquid rectæ spei,& fidei,id totum ecclesiæ nostræ possessio,& fundus est.

4 Boni Pastoris effigies est in Patriarcha Iacob, qui ad Laban socerũ ita loquebatur. [c] *Viginti annis fui tecum; oues tuæ, & capræ steriles non fuerunt; arietes gregis tui non comedi, nec captum a bestia ostendi tibi. Ego damnum omne reddebam; quidquid furtim peribat, a me exigebas, die, noctuque æstu vrebar, & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis.* Quæ omnia alta cogitatione cõsiderans S. Gregorius [d] exclamabat. *Sic laborat, & vigilat, qui pascit oues Laban, quãto labori, quantisque vigilijs debet intendere, qui pascit oues Dei.* Notent ista cum tremore Pastores hominum Patriarchæ verba. *Ego damnum omne reddebam, quidquid furtim peribat, à me exigebas;* quia inquit S. Chrysostomus [e]. *Cui Christi grex concreditus est, hunc ouibus deperditis, animæ iacturam facere oportet. &c.*

c, Gen. 31. d, lib. 7. epist. 48. ad Anastasium e, lib. 2. de Sacerdotio.

5 Præsentia boni Pastoris quantas vires habeat ad impellendos populorum animos ad omnem virtutem, exemplo patuit manifesto in persona S. Athanasij, quo ab exilio reuerso, atque in sua Alexandrina residente ecclesia, Alexandrinus populus mirum in modum ad præclaras virtutum christianarum actiones, & studia semper in via Dei progrediendo concitatus apparuit; De quo post multa sanctus ipse [f]: *In summa tanta fuit æmulatio ad virtutem, vt singu-*

singulas familias, singulas domos Ecclesiam esse ob probitatem incolentium, & preces ad Deum existimares. Eratque in Ecclesia profunda, & admirabilis pax. Mauclerus f ostendit, quam sit salutaris Pastorum residentia in iure diuino fundata, & quomodo iussa Ecclesiæ, Principumque christianorum rescripta, in Pontificia tamen auctoritate radicata, ad hanc residentiam compellāt. Probat etiam quam sit perniciosum, & impium Pastores sine causa iusta greges suos deserere, recensendo contra huiusmodi desertores pęnas canonicas, quas diuinæ, æternęque vltiones consequuntur.

f, *Epist. ad solit. vitam agentes* g, 2. *p. lib.* 5. *cap.* 9.

6 *Quia aduenæ, &c.* Desumptus est ex D. Petro h Conuenit enim iusto, aduenam mundi esse, quoniam cęlo natus, extra illud hic viuit in mundo isto, de quo non est; sicut sunt mali, qui etiam velint nolint peregrinantur, quia hic manere non possunt semper, sicut vellent. Quisquis cogitat se aduenam, & peregrinum, stultus est, si labentis mundi rebus adhærescit; spe debet magna meliorum, & æternarum rerum excitari.

h, *Epist.* 1. *cap.* 2.

7 Hugo, vt ait hic Lorinus, plus Peregrinum putat esse, quam aduenam, loquendo tropologice; ita vt prior sit, qui possessiones quidem non habet, at viuit in terra aliena; res terrenas amans immodice, licet infra Deum; posterior, qui præterit duntaxat, soloque corpore hic viuens, ac vitam tolerans, *conuersa-*

uersationem suam totam in cœlis habet. i Nempe vt in Nilo Canis aquas percurrendo lambit, ne noceant crocodili, & vt ille Anachoreta comedit ambulando; ac Pascha edit festinans cum baculo, & calceamentis, k qui est habitus Peregrini.

i, *Philip.3.* k, *Exod.12.*

Et Ciuitatem hic permanentem, &c. Desumptus ex D.Paulo. l Verissime, vt scribit hic B.Iustinianus, id ab Apostolo dictum est; nam nihil sub sole permanet, sed omnia perpetuo fluunt, & labuntur; non ergo hic manentem patriam habemus. Quocirca præsentia, vt ait Teodoretus, contemnamus, & expectemus illa, quæ sunt stabilia, & sufficientia. Nam nihil, quod infra cœlum sit, magni faciendum est.

l, *Heb. cap.13.*

SECTIO XXXXIX.

SYNOPSIS.

1. *Non parcit Deus nisi parcenti inimico.* 2. *S.Greg. Papa frustra sacrum facit pro anima defuncti, qui viuens nunquam inimico parcere voluit.* 3. *Fideles sunt templum Dei.* 4. *Quomodo anima in templum Dei dedicetur.* 5.6. *& 7. Locus Apostoli declaratus.* 8. *Quomodo quis portet Deum.* 9. *Corinthi in Venerem propensi.* 10. *Quibus argumentis Apostolus Corinthios a solita fornicatione dehortetur,*

DOCETE OMNES, SI VNQVAM ALIAS, NVNC POTISSIMVM, IRAS, RIXAS, 2 CONTENTIONES, ET INVETERATA ODIA EXTINGVENDA PROPTER CHRISTVM; NVNC PRÆCIPVE OMNES CARNIS SORDES ESSE DETERGENDAS, VT TEMPLVM DEI MVNDVM SIT; ET VNVSQVISQVE VAS SVVM POSSIDEAT IN HONORE, ET SANCTIFICATIONE, ET PORTET DEVM IN CORPORE SVO.

1 NOn parcit enim Deus nisi parcenti inimico. Nam Christus docens nos orare, [a] inter reliquas petitiones hãc adiunxit, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*. Vbi obseruandum cum Labata [b] reliquas petitiones Christum Dominum simpliciter, & absolute posuisse, Panem nostrum quotidianum &c. cum autem de remissione ageret peccatorum, non absolute, sed cõditionate dixisse, *sicut & nos dimittimus*; & ne peregrinis interpretationibus esset locus huic petitioni, speciatim addidit cõmentum dicẽs: *si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cælestis peccata vestra*. Quam bona est hęc conditio; si licitum esset inimicos optare, mille inimici a nobis essent optãdi, vt tanto bono fruemur;

remur; quid enim felicius, quam remissionem a Deo consequi peccatorem suorum peccatorum? Quid nobis reliqua imaginabilia proderunt bona, si a Deo non obtinuerimus nostrorum peccatorum veniam? Quid mala omnia mundi nocere possunt, si obtinuerimus eam?

a, *Matth.6.* b, *Tom.2. Appar. Conc. Verb.. Amor inimici. Propos.8.*

2 De sancto Gregorio Magno refertur, quod cum in sancti Petri Capella sacrum dicere vellet, precibus cuiusdam capellani sacrum illud pro quodam vita functo celebrare decreuit: cępit sacrum dicens, *Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis*, vocem audiuit dicentem; Non faciam; illusionem dæmonis id esse censuit sanctus; repetijt ergo Introitum dicens, Requiem ęternam &c. & illico eandem vocem audiuit, dicentem: Non faciã, requiem illi non dabo. Turbatus sanctus, sed nihilominus sacrum dicere pergit, & cum ad secundum Memento ẽt Domine, &c. quod pro defunctis dicitur, peruenisset, Dominum orauit, vt statũ illius defuncti illi reuelare dignaretur, cui Dominus, scito, Gregori, animã defuncti, pro qua oras, æternis esse ignibus addictam, quia tenaciter se de quodã inimico suo vindicare volens, parcere nunquã voluit, sed assiduo illum odio prosecutus in vita fuit: quid tu ad hæc, qui leges duelli profiteris? qui nulla ratione adduci potes, vt inimico parcas? num tecum dispensauit Deus, vt non similiter damneris?

3 Quod fideles sint Templum Dei, patet; dũ Apo-

stolus [c] dicit, *Nescitis, quia Templum Dei estis?* Tertullianus [d] acute, vt solet, æditnam, atque Antistitem huius Templi pudicitiam esse dicit; Nam cum omnes, inquit, templum simus Dei, illato in nos, & consecrato Spiritu Sancto, eius templi ęditua, & antistes pudicitia est, quæ nihil immundum, nec profanum inferri sinat; ne Deus ille, qui inhabitat, inquinatam sedem offensus derelinquat. Theodoretus [e] ait, si templo, quod ex lignis extructum est, honorem, quem par est, tribuimus, multo est vtique iustius Deo consecrare templa ratione prędita.

c, 1. *Cor.* 3. d, *lib. de cultu fem. c.* 1. e, *lib. contra Ep. Manich. cap.* 39. *& serm.* 16. *de verbo Domini.*

4 Quomodo anima dedicetur Deo in templum, vide S. Bernar. [f] qui ait, quinque sunt in dedicatione aspersio, inscriptio, inunctio, illuminatio, benedictio; hæc & in anima spiritualiter fiunt, quæ fuse deinde explicat.

f, *Serm.* 1. *de dedic. Ecclesiæ.*

5 *Et vnusquisque vas suum, &c.* Desumptus ex Apostolo; [g] Quærunt Patres, quodnam hoc vas? S. August. [h] per vas vxorem accipit, q. d. Quisque honeste, & caste vxore sua vtatur. Sic dicitur, [i] Bibe aquam de cisterna tua; vbi LXX. vertunt, fili bibe aquam de vasis tuis, cuius loci hic sensus est; voluptatem coniugij castam, puram, & fęcundam hauri de vxore tua, quæ tibi sit instar cisternæ, & vasis puri carentis luto fornicationis, zelotypiæ,

moro-

morositatis, &c. ita hic Cornelius a Lapide.

g, 1. *ad Thessal. cap.* 4. h, *lib.* 1. *de nuptijs, & concupiscent. cap.* 8. *& alijs locis.* i, *Prou. cap.* 5.

6 Qui etiam addit cum Chrysost. Theodor. Theophil. Ambros. Oecumen. Ansel. per vas scilicet accipiẽdum esse corpus, quod generatim phrasi Hebręa dicitur vas, idest instrumentum hominis. Sic Plato dixit corpus esse vas animæ; sic dicitur Paulus vas electionis, id est instrumentum a Deo electum ad conuersionem Gentium. Dicitur etiam corpus vas animę speciatim, & proprie, quia sicut vas recipit, & continet vinum, ita corpus recipit, & continet animam; & sicut vas sordidum, & putridum vinum ipsum afficit, & corrumpit, ita corporis sordes, pollutiones, & libidines inquinant animam. Sic Dauid k petens a Pontefice sibi, & suis dari in necessitate famis panes propositionis, cum ille peteret, si mundi sunt pueri, maxime a mulieribus; respondit, continuimus nos ab heri, & nudius tertius, & fuerunt vasa puerorum sancta; id est corpora impolluta.

k, 1. *Reg.* 21.

7 Vult ergo Apostolus hic, vt quisque vas, id est corpus suum possideat, quasi dominus, non autem quasi seruus seruiat cupiditatibus corporis, in sanctificatione, & honore, id est sancte, hoc est caste, & honeste, non passione desiderij, id est non in affectu libidinis, vt scilicet mens non seruiat desiderijs carnis, sed caro seruiat rectis voluntatibus mentis, vt ait Anselmus. Aliter Chrys. & Theoph. per pasiones

nes enim desiderij accipiunt delicias, opes, otium, socordiam, & quidquid concupiscentiam inflammat; his enim amputatis, tuta est castitas tam mentis, quam corporis.

8 *Et portet Deum, &c.* desumptus ex Apostolo; l Vt equus, ait D. Thomas, portat Dominum, & vxorem, & ad eius voluntatem mouetur, ita corpus, Dei voluntate, & obsequio mancipetur. Græca, addit, & in spiritu vestro, quę sunt Dei, quasi dicat glorificate, & portate Deum, & in corpore, & in mente, quia vtraque sunt Dei.

l, 1. *Cor.6.*

9 Nota cum Cornelio a Lapide, Corinthios fuisse in Venerem, ac consequenter in gulam propensos. Id patet ex Suida m, qui ait, Cothys dæmō apud Corinthios colitur, præses effeminatorum, & impudicorum. Idem docet Herodotus, n & Strabo o ait fanum Veneris Corinthi ita fuisse locuples, vt plures quam mille habuerit sacrorum famulas meretrices, quas Deę viri, mulieresque dedicarunt. Inde in prouerbium abijt, κορινθιάζειν, hoc est lasciuire, genio, & libidini vacare. Hinc Apostolus impense Corinthios dehortatur a solita fornicatione.

m, *verbo Cothys* n, *in Clio lib.8.*

10 Sex sunt argumenta, quibus Paulus id agit: Primum est, quia corpus non est nostrum, sed Domini. Secundum, quia si castum sit, resurget in gloria. Tertium, quia corpus nostrum membrum est Christi. Quartum, quia corpus castum templum est

est Spiritus Sancti; vt per castitatem Deo adhærens fiat vnus spiritus cum Deo. Quintum, quia libido corpus dedecorat, & contaminat. Sextum, quia corpus nostrum Christi sanguine emptum est. Ergo indignum est, & Deo, Christo, ac Spiritui Sancto iniurium, si quis illud det meretrici. Vide Chrisostomum in Morali.

SECTIO L.

SYNOPSIS.

1. Quomodo fideles disponi queant ad contritionem. 2. Nomen Christiani gloriosum. 3. A christianis Maior virtus exigitur. 4. Scandalosus indignus nomine Christiano. 5. Finis excommunicationis. 6. Gladius excommunicationis sobrie, & caute exerendus.

DOCETE EOS NVNC MAXIME SCELERA DETESTANDA ESSE, DANDAMQVE OPERAM, NE QVIS CHRISTIANO NOMINE ABVTATVR.

1 DIsponi possunt fideles ad cõtritionem, & detestationem peccatorum, primum ex momentanea voluptate, & turpitudine peccati; cuius deformitas quanta sit, ex eo maxime constat, quod pro remedio sanguine filij Dei opus fuerit, vt prosequitur Bern. a Secundo ex maiestate Dei offensi, qui Creator, Pater, & Redemptor noster est, finis,

nis, & beatitudo perfecta, ad quem homo collatus nullus est; & tamen peccator peccando, quantum in se est, Deum tollit, & a se proijcit, quasi non esset Deus; quia saltem vellet, vt non posset eum punire. Tertio ex hominis dignitate, & prestātia, quam tum a natura, tum in primis a Christi Domini gratia est consecutus, & tamen se in rem vilissimam abiecit. Quarto ex effectibus peccati; priuat enim Dei amicitia, gratia, donis &c. Quinto ex ingratitudine; nam peccauit in eum, qui innumera, & maxima beneficia ipsi contulit, bonaque celestia meruit, & parauit. Sexto ex nouissimis. Septimo ex fructu peniten tiæ; remittuntur enim per illam, & teguntur peccata, vt exponit Greg. [b]

a, *serm. 3. de Natiuit. Domini* b, *l. 30. moral. c. 16.*

2 Nomen Christiani gloriosum, & dicitur emptus, & redemptus, scilicet a peccato, & gentilismo, idque pretio sanguinis Christi; *Empti enim estis pretio magno* [c]; sic olim filij Christianorum empti a Turcis, & a Christianismo ad Turcismum traducti vocabantur Mamluchi, idest, empti. Cum enim Tartari subegissent Armeniam, vendiderunt pueros Christianorum. Hos Melech Sala Ægypti Sultanus emit magno numero, ipsosq; in militia exerceri curauit, & vocauit Mamluchos, id est emptos; Malac enim Arabice significat emere, & acquirere. Post mortem Sultani Melech Sala cæperunt Mamluchi ex suo Collegio, quod solis christianis apostatis cōstabat, regem constituere anno Christi 1252. Vt au

tem

tem cæperunt Mamluchi sub Federico II. Imperatore, ita extirpati sunt a Selymo Ægyptum occupãte, anno Christi 1516. Tunc enim Mamluchi regnare, & esse desierunt.

c, 1.Cor.6.

3 A Christianis maior virtus exigitur; nam, vt ait D.Chrys. [d] nunc longe maior virtutis mensura à nobis exigitur, quãto & maiora bona sortiti sumus. Tertul. [e] *Scimus*, inquit, *omnes, quod Apostolus [f] dixerit, Probum vestrum coram hominibus appareat. Ad quid, nisi vt malitia ad vos accessum omnino non habeat, & vt malis exemplo, & testimonio sitis? Aut quid est? luceant opera vestra? aut quid nos Dominus lumen terræ vocauit? quid Ciuitati supra montem cõstitutæ comparauit? si non relucemus inter tenebras, & extamus inter dimersos? si lucernam tuam sub modio obstruxeris, in tenebris relictæ a multis incuseris necesse est. Hæc sunt, quæ nos luminaria mundi faciunt, bona scilicet nostra. Bonum autem duntaxat verum, & plenum non amat tenebras, sed gaudet videri, & ipsa denotatione sui exultat. Pudicitiæ Christianæ satis non est esse, verum & videri*, &c. Hæc Tertul.

d, Homil.24. e, lib.de cultu femin. f, Philip.4.

4 Indignus est nomine Christiano præcipue scandalosus peccator, qui de ecclesia tollendus est, vt facit Apostolus de illo fornicario [g], qui vxorem Patris viui habebat sibi concubinam, tradendo ipsum satanæ, in interitum carnis, vt ægritudine corporis, vulneribusque, aut plagis ipsum maceraret

Diabolus, vt caro eius attereretur, carnisque vigor interiret, vt ita humiliatus resipisceret. Excommunicati dicuntur tradi satanæ, quia eiecti extra societatem Christi, & ecclesiæ, eiusque bonis priuati, scilicet orationibus, suffragijs, sacrificijs, Sacramentis, Dei protectione, cura pastorali, tyrannidi, & incursibus Diaboli, cuius regnum est extra ecclesiam, ita exponuntur, vt in eos magis quam ante grassetur, & in omne malum impellat. Ita hic Cornelius a Lapide ex multis Patribus,

g, 1. Cor. 5,

f Finis excommunicationis est, *vt spiritus saluus sit in die Domini*, vt ait Apostolus; quasi dicat, vt anima, & mens hac pena resipiscens, & renouata, salua sit in die iudicij. Hinc patet, finem excommunicationis eo ferri debere, vt pudorem, & afflictionem excommunicato inijciat, quo humilietur, vt recipiscat, veniamque roget ecclesiam, & Deum; vtque fideles pro eo secreto orent, & curent, vt rursus sibi vniatur. Cornelius.

g Concilium Trident. h monet gladium excommunicationis sobrie, & caute ad ædificationem esse exercendum; alias enim videmus eum magis contemni, quam formidari, & perniciem parari potius, quam salutem, non excommunicati modo, verum etiam aliorum fidelium, totiusque Ecclesiæ Cornelius. i

h, Seß. 25. c. 3. i, in 2. ad Cor. cap. 10.

SE-

SECTIO LI.

SYNOPSIS.

1. *Quo tempore quis teneatur habere contritionem.* 2. *An extet præceptum de satisfaciendo in hac vita.* 3. *An confessor obligare possit penitentem ad satisfactionem acceptandam.* 4. *An satisfactio proportionata peccatis habeat aliquam latitudinem.*

DOCETE SACROS INDVLGENTIARVM THESAVROS LVCRANDI SPEM OMNEM INANEM ESSE; NISI QVIS CONTRITO, ET HVMILIATO CORDE SE PRÆPARARE, ET CHRISTIANIS OPERIBVS EXERCERE STVDEAM.

1 QVæri hic posset, quo tempore teneatur quis sub pęna peccati mortalis habere contritionem : ad quam quęstionem sic respondendum, quod secundum communem DD. opinionem tunc necessario est habenda contritio sub pęna noui peccati mortalis, quando imminet periculum mortis, & quando aliquis est suscepturus, vel ministraturus aliquod Sacramentum. Addit Nauar. *a* etiam quando imminet aliquod periculum populo, cui prouideri nõ possit aliter, quam per orationes; Tunc enim si qui homines sunt in

peccato mortali, tenentur de peccato habere contritionem, vt eorum orationes sint Deo gratæ, & propterea magis impetratoriæ. Non obligat singulis festis contritio; ratio est, quia licet institutio diei festi ordinata sit ad reconciliationem cum Deo, & eius dilectionem; hic tamen finis non est in præcepto, sed tantum cultus religionis abstinendo ab opere seruili, & audiendo sacrum.

a, *in Man. cap.* 1. *n.* 31.

2 Non videtur datum esse præceptum de satisfaciendo in hac vita pro pæna temporali; Ratio est, quia tale præceptum nec colligitur ratione necessaria, nec auctoritate. Non ratione, quia lex iustitiæ ad Deum non obligat reum, vt ipsemet puniat in se delictum, sed tantum, vt patienter sustineat pęnam a Iudice infligendam. Cum ergo Deus puniat in purgatorio peccata, quando in hac vita non est satisfactum, poterit peccator sine iniustitia differre satisfactionem ad alteram vitam. Lex autem charitatis propriæ, vel diuinæ neque violatur, quia licet differat in alteram vitam, non propterea perdit beatitudinem, neque diuinum amorem; & licet aliquantulum retardet, tamen est damnum reparabile, neque adeo graue, vt teneatur homo sub mortali illud vitare; alias enim teneretur pro peccatis venialibus agere pęnitentiam in hac vita sub mortali, quod est falsum secundum omnes. Non auctoritate, quia Trid. *b* quando dicit pęnitentiam fuisse necessariam omni tempore, cum id explicat, tantum

addit

addit eam positam esse in detestationẽ peccati, peruersitate abiecta, & emendata, &c. ac nunquam dicit [c] esse in pręcepto Sacramẽtalem satisfactionem, sed tantum esse viam securiorem, & necessariam, non absolute, sed ad perfectam animæ puritatem, & liberationem. Filliucius ex multis DD. [d]

b, *Seß.* 14.*c.* 1. c, *cap.* 8. d, *Tom.* 1. *Mor. quæst. Tractatione* 6, *nu.* 214.

3 Qui etiam [e] asserit Confessorem obligare posse pœnitentem, vt satisfactionem acceptet, & impleat, & est contra Scotum, Gab. Med. & Nauar. dicentes, non teneri ad eam acceptandam; sed si acceptet, teneri ad eam implendam. Item contra Caiet. negantem teneri ad acceptandam, vel si acceptet teneri ad implendam: Conclusio autem Filliucij post Trid. est fere certa; nam dicit [f] esse in sacerdotibus potestatem ligandi non tantum ad medicamentum infirmitatis, sed etiam ad vindictam peccati commissi, & est communior Doct. ex Suarez. [g] Ratio est, quia confessarius tenetur imponere; ergo pęnitens tenetur eam acceptare; vterque enim tenetur seruare integritatem, cum vterque ad sacramentum concurrat. Nec obstat, quod pęnitens possit reseruare satisfactionem in Purgatorio; nam in lege gratiæ, in qua commissum est iudicium de peccatis confessori, potest per eum imponi obligatio satisfaciendi in hac vita; & supposito, quod pęnitens se subijciat clauibus, tenetur satisfactionem acceptare ob integritatem sacramenti, & iudicij.

e, *Tract.* 8. *cap.* 2. *nu.* 53. f, *Seß.* 14. *c.* 8. g, *Sect.* 7. *nu.* 2.

4 An vero satisfactio proportionata peccatis habeat aliquam latitudinem, an autē consistat in indiuisibili. Respondet Filliucius, *h* & dicit primo, quod in ordine ad iudicium confessoris habet latitudinē, & est sicut pretium naturale rerum, quod habet infimum, medium, & supremum, quia homo non potest scire definite, quæ pœna sit proportionata cuilibet peccato, & quod in hoc omnes conueniunt. Dicit secundo, quod in ordine ad effectum remissionis pęnæ, probabile est consistere in indiuisibili; Pet. Sot. *i* dicens communem antiquorum. Quod ita explicatur, vt si satisfactio, quam imponit Confessor non pertingat ad eam, quæ in diuino iudicio taxata est, etiam si confessor iuste, & prudenter eam imposuerit, non tamen propterea tollet omnem pœnam; si autem excedeat, tunc etiam supererit aliquid satisfactionis reponendum in thesauro ecclesiæ. Ratio autem est, quia in diuino iudicio omnia sunt definita in pondere, & mensura, & est sicut pretium lege taxatum, quod consistit in indiuisibili. Quare etiamsi per homines exerceantur huiusmodi iudicia, tamen non immutat iudicium Dei, & aliud est hominem prudenter pęnitentiam imponere, aliud eam esse sufficientem remissioni totius pœnæ; illud enim pendet ex circunstantijs personæ, peccatorum, &c. hæc autem ex adæquatione rei ipsius, quæ nobis ignota est.

h, *num.*42. i, *lect.*1. *de satisfactione.*

S E-

SECTIO LII.

SYNOPSIS.

1. Hospitalitas in veteri, & nouo testamento commendata. 2. Peregrinus impostor christianum se finxit. 3. Humanæ conditionis cogitatio nobis persuadet peregrinis fauere. 4. Cunctis Religiosorum ordinibus hospitalitatis cura est. 5. Ecclesia Romana omnes miserabiles hospitio recipit. 6. Unde Pachomij conuersio ad Ecclesiam. 7. Hospitalitas præcipue Episcopum decet. 8. Summorum Pontificum quanta cura in excipiendis hospitio pauperibus, & peregrinis. 9. Locus S. Lucæ explicatus. 10. Quomodo diuitiæ dicantur iniustæ. 11. Sequitur explicatio dicti loci S. Euang. Lucæ. 12. Beneficia Ecclesiastica cur in Ecclesia instituta. 13. Quibus nominibus beneficiorum fructus appellentur. 14. Fructus Ecclesiasticorum redditiuum in quattuor partes tribuendi. 15. Perpetua Ecclesiæ mens, & voluntas huius partitionis. 16. Vtrum beneficiarij obligentur lege iustitiæ ad dandum pauperibus, quod eis superest.

QVI AVTEM DIVITIIS ABVNDANT, APERIANT VISCERA SVA, ET FRATRVM SVORVM PAVPERVM INOPIAM SVBLEVENT, PRÆCIPVE VERO IN PEREGRINOS ROMAM VENIENTES MISERICORDES SINT, ET SANCTAM HOSPITALITATEM DEO GRATISSIMAM, ET QVAM VETVSTISSIMI ILLI CHRISTIANI ETIAM INTER PERSECVTIONVM FLVCTVS, DILIGENTISSIME COLVERVNT, IPSI QVOQVE MVLTA CVM HILARITATE SPIRITVS RENOVENT, ATQVE OBSERVENT, FACIANTQVE SIBI

AMI-

AMICOS DE MAMMONA INIQVITATIS, VT RECIPIANTVR IN ÆTERNA TABERNACVLA.

1 HOſpitalitas tum in veteri, tum maxime in nouo teſtamento commendata fuit. In veteri commendauit eam Abraham, Lot, & Rahab Ierichuntina, quæ hoſpitio excipiens exploratores Hebræorum, per hoc ſalutem ſuam, & ſuorum meruit. a Sic & Sunamitis hoſpitium dans Eliſæo, ab eo filium, filijq; mortui ſuſcitationē impetrauit. b In nouo teſtamento hoſpites Chriſti fuerunt Matthæus, Zachæus, Martha, & Magdalena; quem inde fructum adepti ſint, nemo ignorat. Hinc in primitiua eccleſia mire viguit hoſpitalitas inter chriſtianos, adeo vt Tertul. c hæc tria numeret catholicæ fidei, & communicationis ſymbola, ſcilicet communicationem pacis, appellationem fraternitatis & conteſſerationem hoſpitalitatis. *Quæ iura*, inquit, *non alia ratio regit, quam eiuſdem ſacramenti vna traditio*; vbi per conteſſerationem hoſpitalitatis Tertullianus intelligit certum aliquod ſignū, quaſi teſſeram chriſtianiſſimi; quod qui afferret, vbilibet a Chriſtianis, quaſi chriſtianus, amicus, & frater hoſpitio perbeneuole excipiebatur. Hoc ſignum cum adulteraſſent hæretici, a catholicis ſæpe mutatum eſt, ac tandem commiſſum litteris, quas Patres in Concilio Niceno ſanxerunt, & nominauerunt formatas,

matas, quibus subscribi decreuerunt has quattuor Græcas litteras, quasi tesseram, & professionem christianismi, scilicet, Π. V. A. Π. ideſt Πατὴρ, υἱός, ἅγιον, Πνεῦμα, hoc eſt. Pater, Filius, & Spiritus Sanctus; Cornelius a Lapide. [d]

a, *Ios.* 2. b, 4. *Reg.* 4. c, *lib. de præscript. cap.* 20. d, *in cap.* 13. *Epist. ad Hebræos.*

2 Hinc Peregrinus impoſtor, teſte Luciano in eius vita, Chriſtianum ſe finxit, quia ſatis ſibi viatici eſſe dicebat in Chriſtianorum hoſpitalitate; ita vt non tantum ab illis aleretur, ſed etiam in via deduceretur, atque ſic quaqua verſum ſtipatus incederet; nam non recipere, nec coniungere oblatam teſſeram, idem erat, quod a catholica communione ſeiungere, perinde vt apud gentiles confringere hoſpitalem teſſeram, erat amicitiam diſſoluere.

3 Humanæ conditionis cogitatio, quæ humani nil a nobis alienum admonet, vt putemus, debet perſuadere, vt quem ipſi, ſi peregre eſſe a natali ſolo contingat, beneficentiæ locum in alijs inuenire cupimus, eum patere peregrinis velimus ſine murmuratione, hoc eſt, animo non difficili, ſed alacri, & beneuolo.

4 Vix eſt ordo Religioſus ex antiquioribus, vt ait Lorinus [e], cui non hoſpitalitatis cura fuerit, vt omittatur ille, qui proprie Hoſpitalitaliorum cognominatus eſt. De ſeipſo teſtis Hieronymus [f] ſcribens quoque a Pummachio excitatum in portu Romano

Xenodochium; & Romæ a Fabiola Noſocomium. g Idem affirmat Caſſianus h & Euagrius. i

e, in cap. 10. Act. Apoſt. f, lib. 7. in Ezech. & in proœm. g, Epiſt. 3. de alijs Monachis h, 4. de inſtitut. renunciat. cap. 7. i, in vitis Patrum cap. 3.

5 Eccleſiã Romanam ſcribit Martinus Papa I. k Quiſquis miſerabilis homo ad eam veniſſet, illam hoſpitio excepiſſe, omnia ad vſum ei præbuiſſe, nec vllum repuliſſe. Huiuſmodi hoſpitalitas in Eccleſia Romana reſplenduit ſemper, ſed præcipue in Anno Sancto, vt videre licet in hoc præſenti, cum magna totius orbis, & vrbis ædificatione.

k, Epiſt. 6.

6 Pachomius ea præſertim de cauſa ad Eccleſiam ſe adiũxit, quod in illa exercere hoſpitalitatem animaduerteret, etiam in exteros, & Paganos; quos Paganos vt contineret in idolorum cultu, pluresque ad eum alios alliceret Apoſtata Iulianus chriſtianam iſtam pietatem imitatus eſt; Lorinus l: qui etiã ſcribit, eoſdem habitos inter Gentiles Barbaros, qui inhoſpitales; & proprium Iouis Epithetum apud veteres fuiſſe ξένιον, ideſt hoſpitalem, ac apud Gallos hoſpitales domos, domos Dei nominari.

l, Loco citato.

7 Hoſpitalitas præcipue Epiſcopos decet, nam, vt ait S. Paulus m *oportet Epiſcopum eſſe Hoſpitalem*, φιλόξενον, ideſt peregrinorum amantem, & erga eos hoſpitalem. Hæc virtus Epiſcopo eſt neceſſaria, ideoque tantas opes Epiſcopis attribuit Eccleſia.

Hinc

Hinc S. Gregorius ſcribens ad Ioãnem Epiſcopum, *Hoſpitalitatem*, inquit, *neſciens non fiat Epiſcopus*. Et Hieron. ad Oceanum, *Ante omnia*, inquit, *hoſpitalitas futuro Epiſcopo denunciatur; ſi enim omnes illud Euangelij audire deſiderant; Hoſpes fui, & ſuſcepiſtis me; quanto magis Epiſcopus, cuius domus omnium debet eſſe hoſpitium? Laicus enim vnum aut duos, aut paucos recipiens implebit hoſpitalitatis officium; Epiſcopus niſi omnes recipiat, inhumanus eſt*. *Ita peregrinos conquirebat, & colligebat S. Iob; hinc ille* n *ait, foris non manſit peregrinus, & oſtium meum viatori patuit*.

m, *In Epiſt. ad Titum. cap. 1.* n, *cap. 31.*

8 Ita S. Gregorius Pontifex ſemper pauperes, & peregrinos hoſpitio, & menſa excipiebat; quod ita fuit gratum Deo, vt Chriſtus ſpeciem pauperis induẽs menſa ab eo excipi voluerit. Ita Leo IX. Pont. effuſus in pauperes, & peregrinos, leproſum ante ædes ſuas inuentum in lecto ſuo collocari iuſſit, ac mane ſequenti eumdem requirens diſparuiſſe comperit: creditum eſt, Chriſtum ſpecie pauperis Pontificis tam miſericordis lecto decubuiſſe.

9 *Faciantque ſibi amicos de mammona iniquitatis*, locus Lucę o, ideſt ex mammona iniquo, vel diuitijs iniquis, ſed dubium exiſtit, an Chriſtus ex diuitijs inique, & iniuſte comparatis eleemoſynam facere præcipiat? Nonnulli ex hoc loco male intellecto affirmarũt, quos Auguſtinus corrigit p *Hoc*, inquit, *quidam male intelligendo, rapiunt res alienas, & ali-*

quid inde pauperibus largiuntur, & putant se facere, quod præceptum est. Dicunt enim rapere res alienas mammona est iniquitatis, erogare inde aliquid, maxime egentibus sanctis, hoc ita est facere amicos de mammona iniquitatis. Diuitiæ postea appellātur iniquæ, & iniustæ, vt scribit hic Bernardus, ab effectu, quia iniquos, & iniustos efficiunt suos possessores, nisi caueant sibi. Pariunt enim superbiam, auaritiam, & vitia alia, quibus materiam suppeditant. Appellatur concupiscentia peccatum a Paulo q, *quod habitat in me peccatum*; tum quia peccatorum est causa, tum quia peccati originalis est effectus.

o, *cap.16.* p, *Ser.35.de verbis Domini* q, *Rom.7.*

10 Theophylatus diuitias iniustas eas appellari putat, quæ pauperibus non dantur, cum dari debeant, vt accipitur Mămona iniquitatis hic in Bulla a summo Pontifice. *Si*, inquit Theophylatus, *diuitiæ, quæ iustis modis partæ sunt, quando non bene dispensantur, & dantur pauperibus, iniustitia, & mammona reputantur, quæ ex iniustitia multo magis, &c.* Item, *Dicuntur diuitiæ, quas nobis Dominus in vsus fratrum, & conseruorum insummendas dedit, nos autem nobis depositas tenemus, &c.* Et Euthymius, *Iniquū*, ait, *Mammona dixit Christus, siue iniquitatis, quod ex iniquitate recondatur; quæ in hoc est, quia superflua pauperibus non diuiduntur, &c.* Adde D. Gaudentium; iniquum Mammona ille interpretatur, terrenas facultates, quas iniquitas humanæ auaritiæ sibi

bi vendicat, ne hominibus Dei, & eius rebus quidquam impertiat.

11 *Vt cum defeceritis*, ideſt cum e vita diſceſſeritis, recipiant vos in æterna tabernacula, id eſt in cęlum. Haymo ait, recipere pauperes non per ſe, ſed per Chriſtum. Chriſtus enim recipit vice illorum, quia, quod pauperibus datur in terra, a Chriſto recipitur in cœlo. Ipſe enim dicit, quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Aliter D. Ambroſ. amicos per eleemoſynam faciendos, non pauperes dici cenſet, ſed Angelos, & ſanctos. Nam qui eleemoſynã donat Angelorum, ſanctorumq; amicitiam ſibi comparat.

12 Beneficia eccleſiaſtica in Eccleſia inſtituta eſſe certum eſt, vt Clerici ex ijs ſufficienter ſuſtentarentur, ita tamen vt ex eo, quod ſupereſt, pauperes quoque ſuſtentarentur. Atque adeo fructuum, qui ex illis percipiuntur, clericos ipſos ſic eſſe dominos, vt tamẽ obligẽtur, quę ex eis ſuperfuerint, pauperibus elargiri. Id enim minimum indicat modus ille loquendi ſacrorum Canonum, quo beneficiarij appellantur diſpenſatores, & procuratores pauperum, & bona Eccleſiæ dicuntur bona pauperum. Dicendum igitur Beneficiarium portionis ſibi ad commodam ſuſtentationem debitæ dominium habere, & proprietatem pure; non autem illius quod vltra ſufficientem ſuam ſuſtentationem ſupereſt, ſed habere cum admixtione obligationis erogãdi ipſum in vſus pauperum.

13 Fructus hi res Dei appellantur; quia tum a donato-

natoribus,tũ ab ecclesia destinati sunt,vt in Dei honorem, cultumq; impendatur. Ipsæ res fidelium,ait Vrbanus I. r oblationes appellantur,quę a fidelibus Domino offeruntur; & idem Pontifex, f Res ecclesiæ, non quasi propriæ,sed vt communes, & Domino oblatæ cum summo timore non in alios, quam in præfatos vsus sunt fideliter dispensandæ. Nuncupantur & patrimonium Christi; quia propter Christum, & eius obsequium, & gloriã donatę sunt, quæ Christi Domini hæreditas nequiter consumi non debet. 3. Dicuntur, & bona pauperum, vti diximus, vt pote pauperibus impertienda. Quomodo etiam secundum Hieronym. t aliena capere conuincitur, qui vltra necessaria sibi retinere probatur.

r, Epist.ad omnes Episcopos,& habetur 12.q. c.16. Videntes, f c.26. t, in reg.monach.c.de paupertate,& habetur dist.42.c.1.Hospitalem.

14 Denique multi canones etiam præcipiunt, vt fructus ecclesiasticorum reddituũ, & fidelium oblationes quattuor in partes tribuantur, quarum vna cedat Episcopo, altera clericis,tertia fabricæ,quarta pauperibus; u Dispensatores itaque, & munifici dispẽsatores sint ecclesiastici. Omne,quod superest necessitatibus,inquit S.Gregor. x in caussis pijs, ac religiosis erogandum est, Domino magistro omnibus dicente, y *quod superest, date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis*. Quisquis omnibus,quæ habuit,dimissis, aut venditis fit rei suę contemptor, cum præpositus fuerit Ecclesiæ, omnium quæ habuit ecclesia, efficitur dispensator. z Episcopus ecclesia

ecclesiasticarum rerum habeat potestatem ad dispensandum ergà omnes, qui indigent, cum summa reuerentia, & timore Dei, participet autem & ipse quibus indiget, si tamen indiget;[a] & iuxta Apost.[b] *Habentes victum, & vestitum, his contenti simus.* Non aliquo se ante tribunal Christi obstaculo muniat, qui religiosis animabus ad substantiam pauperum derelicta contra fas sine aliqua pietatis consideratione dispergit.[c]

u, *in q.2.can.26. Concesso. & 27. quattuor, qui sunt Gelasij can.28. de redditibus, qui est Simplicij can. 29. Cognouimus, & can.30. Mos est, qui sunt Greg.* x, *c.1. respons. ad Aug. Angl. Episcopum, & habetur 12.q.1. c.8. quia tua.* y, *Luc.11.* z, *can.13. expedit, qui est S. Prosperi* a, *can.23.* b, *1.Tim.6.* c, *can.21. Indigne.*

15 Eadem vero ecclesiæ mens, sententia, & voluntas permansit, a reddituum ecclesiasticorum partitione, vt cognoscimus, & Trident Synodo.[d] Et nisi id decretum habuisset ecclesia, vt superflua in pios vsus impenderentur, imprudenter, immo impie tantam fructuum abundantiam clericis concederet; nã illis ansam porrigeret luxus, superbia, libidinis, & id genus aliorum flagitiorum; frustraretque pia fidelium vota, deberetque potius bonam illis partem detrahere, & in meliores causas, & vsus impendere. Qui enim causam damni dat, damnum dedisse putandus est. Sed concludamus hac S. Hieronym.[e] breui, sed neruosa sententia, *optimus dispensator est, qui sibi nihil reseruat.* Sic Gisbertus.[f]

d, *Sess.25.c.1. de Refor.* e, *epist.2. ad Nepotianum, cap.19. De Ecclesiasticorum vita lib.3. cap.20.*

An

16 An vero beneficiarij obligentur lege iustitię ad dandum pauperibus, quod eis superest, alij aiunt, alij negant, cum quibus sentiendum, quia contraria opinio valde rigida est, & quæ vix persuaderi potest in tanta morum licentia, & habendi cupiditate, ac tenacitate. Sed tamen omnes concedunt, ipsos mortiferam culpam, cuiusuis boni temporalis iactura grauiorem, non euadere.

SECTIO LIII.

SYNOPSIS.

1. Quantum bonum sit pax, & concordia. 2. Federicus III. Saxoniæ Dux quam fuerit pacis amans. 3. Probus, & Otto Imperatores pacis amantissimi. 4 Calamitas deploranda, quod gloria sit multos homines occidisse. 5. Bella omnia sunt mala. 6. Qui bella omnia improbat, & hæreticus est, & Reip. etiam proditor.

ADMONETE ETIAM OMNES, VT ORENT PRO REGIBVS, ET PRINCIPIBVS CHRISTIANIS, VT QVIETAM, ET TRANQVILLAM VITAM AGAMVS, ET PAX, ET CONCORDIA PERPETVO CONSERVETVR.

1 Vantum bonum sit pax, & concordia, vel hinc satis patet, quod ad hanc Christus in hunc mundum venit. Hoc est, quod Angeli Christo nato cecinerunt, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis; id est;

Pax

Pax ſit hominibus, non omnibus, ſed ijs, qui ſunt bonæ voluntatis, vel, vt S. Leo [a], pax ſit hominibus, quæ ſcilicet eos faciat eſſe bonæ voluntatis. Hac de cauſa rurſum Chriſtus abiens e mundo pacem nobis teſtamento reliquit, noſque in ea ſibi, ſuorumq; bonorum omnium heredes inſtituit, dicens. *Pacem meam relinquo vobis, pacem meam do vobis*, hoc eſt, quod ait Apoſtolus [b], *Pax Chriſti exultet in cordib. veſtris*. Ita Bamagaſius Præfectus exercitus Regis Abyſſinorum, cum Prætore Luſitano fœdus initurus, apprehenſa Cruce nixus genibus, quam, inquit, pacem Ieſus Chriſtus generis humani Redemptor diſcipulis reliquit, eadem eſto inter nos, qui eiuſdem profitemur cultum, & fidem. Ita Maſſerus. [c]

a, *Serm. de Natiuit. Domini.* b, *Coloſſ. 3.* c, *Hiſt. Indica lib. 7.*

2 Federicus III. Saxoniæ Dux pacis amans, nullas arces, aut munitiones condidit, immo conditas ab alijs ſolo æquauit, nec pecunias congregabat, ſed in vſus vtiles, & pios expendebat. Rogatus cur id faceret? Reſpondit, ne ego leuiter offenſus aliquando, arcibus, ac pecunijs meis confiſus nimis facile vicinos me inferiores bello laceſſam, & pacem cum eis violem; quod vtique facturus non erat, arcibus, & pecunia, qui belli eſt neruus, deſtitutus.

3 Probus Imper. dicebat, breui milites neceſſarios non habebimus, ſperabat tantam pacem, vt nihil opus eſſet exercitu. Hanc mentem vtinam Deus

immittat omnibus nostri seculi Principibus. Otto Imperator cum videret, aut deponendum imperium, aut magna ciuium strage tuendum, statuerat sponte mori, ac amicis, & militibus hortantibus, ne tam cito de belli euentu desperaret, negauit sibi vitam suam esse tāti, vt hac de causa bellum ciuile nasceretur. Quis non miretur hunc animum in ethnico Principe, eoque triginta tres annos nato?

4 Humani generis calamitas deploranda, quod pro folijs lauri nationes integrę concidantur, quodque cupidine triumphandi bella ferantur, & maior sit gloria multos hominum occidisse, quam multos seruasse. Alexandrum, Cæsarem, Machometem, Tamberlanum admiramur, & summæ laudis habetur multos malos, & multos innocentes sine discrimine occidisse; quo titulo Nemeęum Leonem, Hydram Lernęam, Aprum Calcdonium laudare possis. Fæda est professio Cæsaris, vndecies nonaginta duo hominum millia a se occisa, & de bello ciuili nondum loquitur. Pompeus in delubro Mineruæ inscripsit, a se vicies semel centena, octoginta millia fusa, fugata, occisa, in deditionem accepta. Quid est hoc, ò Deus meus, inquit Adamus a Contzen d, vt in societate humana, inter erudita etiam ingenia fastigium laudis teneat multos occidisse? sed bella cum orto mundo fuerunt, & bellantes decretoria dies inueniet.

d, *lib. 10. Politicorum cap. 2.*

5 At minime asserendum est cum Anabaptistis,
Erasmo,

Erasmo, Agrippa, & alijs hæreticis bella omnia in se esse mala; nam bella vera, & iusta, qualia gesserunt etiam pijssimi Imperatores, sunt licita; damnentur tantummodo ambitiosa, iniusta, & tyrannica, quibus ex libidine dominandi inuaduntur innocentes. Quod bellum non esset licitum Christianis, sic Iulianus Apostata per derisum exprobrabat, alapam danti dandam & alteram maxillam, non igitur bello vindicandum: Lutherus non tantum bellum offensiuum, sed & defensiuum sustulit. Eius enim hoc est paradoxum, Turcæ Christianos inuadenti resistere non licet; Ratio est, quia Turca est flagellum Dei, qui ergo ei resistit, Deo resistit; sed pari ratione, inquit Cornelius a Lapide, e conclusisset, nec diabolo, nec scelerato vlli esse resistendum, quos tamen Deus iubet compesci, immo occidi.

e, in cap.2. Isaiæ.

σ Qui igitur serio, atque ex animo omne bellũ improbat, eum ego non hæreticum modo, sed Reip. etiam proditorem esse iudico; quorum primum ad Theologos, alterum ad magistratum pertinet. Bella igitur sunt suscipienda, vt sine iniuria in pace viuamus; Non modo honestum est, sed etiam necessarium, cum vi vis illata defenditur: hãc legem beluis natura, mos gentibus, ratio prudentibus, necessitas omnibus imponit. Nulla Resp. perseuerare potest, nisi quæ militarem artem excolit. Nam cum magna cupiditate ad aliena rapienda feruntur homi-

nes, vbi obstaculum non vident, eo ruunt. Si igitur Princeps bellicosus non est, aut duces ignauos habet, hoc ipso bellum expectet. Impetum enim facient, vt Danitæ in Laisam, alij in alios.

SECTIO LIV.

SYNOPSIS.

1. Locus Apostoli explicatus. 2. Quid sit deuotio. 3. Præcipuum Christianorum epithetum. 4. Locus Pauli declaratus. 5. Scriptores prophani odoris metaphora in moribus taxandis vtuntur.

POSTREMO DOCETE EOS, CVM SANCTAM PEREGRINATIONEM SVSCEPERINT, QVA MODESTIA, QVA DEVOTIONE, QVA FRATERNÆ PACIS OBSERVANTIA CONNITI EOS OPORTEAT, VT SINT CHRISTI BONVS ODOR IN OMNI LOCO.

1 M*odestia vestra nota sit omnibus hominibus*, sic Apostolus hortatur Philippenses[a]: optabat.n. Apostolus, vt ipsi modestiam omnib. exhiberẽt, qua internam animi moderationem testarentur, quoque alios allicerent ad Christianismum, & suam modestiam imitandam. Idem & summus Pontifex poscit a fidelibus, qui sanctam peregrinatio-

tionem ad Vrbem susceperunt. De S. Bernardo legitur, quod sua specie, & morum compositione omnes ad Dei amorem, & vitæ puritatem inuitabat. Hac modestia excelluit quoque Sanctus Malachias Episcopus Hiberniæ, qui nullum membrum sine ratione mouebat, inquit S. Bernardus in eius vita. Et S. Lucianus presbyter, & martyr, qui solo suo aspectu modesto, hilari, & pio, multos ad Christum conuertit. Modestia autem virtus est, quę modum ponit, & moderatur omnes actiones exteriores, scilicet incessum, vestitũ, sermonem, risum, lusum, ac totum hominem exterius recte componit, prouenitque ex interna mentis, & passionum moderatione.

a, cap. 4.

2 Deuotio est feruor bonæ voluntatis, quem mẽs cohibere non valens, certis manifestat indicijs, inquit Cassianus. Alij sic eam definiunt, quod sit affectus feruens, & promptus ad Dei seruitium. Et sic sumpta deuotio significat affectum illum vehementem, quo ex præscripto mandati diuini se totos sanctæ suæ vocationi, tam generali, quam speciali consecrant, & inhærent, vt synceros Dei filios, vt seruos decet. Et hi merito dicuntur deuoti; quia cum debitis cõditionibus, videlicet promptitudine, & feruore affectant, & faciunt ea, quæ ad Dei cultum, & gloriam spectant, & ita Dei se obsequio esse mancipatos, & dedicatos patefaciunt opere. Vnde a nonnullis recentioribus describitur; promptus volunta

tis

tis affectus ad aliquid efficiendum propter obsequium, honorem, & cultum Dei.

3 Inter epitheta, & insignia christianorum hoc præcipuum, quod vocentur fratres, non in Adamo, aut aliquo terreno parente, sed in Christo, qui nos genuit per suam mortem, & baptismum, vt per hoc significetur, Christianos omnes sepositis omnibus odijs, dissidijs, & varietate tam nationum, quam complexionum, & officiorum, inuicem amare debere quasi fratres.

4 *Ut sint Christi bonus odor in omni loco*; locus sumptus est ab Apostolo *b*; idest, vt bonam Christi famam, verbo, & exemplo spargant in honorem Dei. Bonus odor ex præstãtibus herbis, vel pretiosis aromatibus exhalatur. Talis est bonorum Christianorum fama, gloria, & decus ex virtutibus ipsorum ortum, & meritis ipsorum debitum. Huc alludens S. Hieron. *Ea*, inquit, *debet esse conuersatio, & vita Pontificis* (dicamus & nos cuiuscumque Christiani) *vt omnes motus, & gressus, atque vniuersa eius opera cælestem redoleant gratiam.*

b, 2. *Cor.* 2.

5 Quin & ita subinde profani scriptores odoris metaphora in moribus taxandis vtuntur. Sic Martialis.

Posthume non bene olet, qui bene semper olet.

Insinuans, eum de pudicitia esse suspectum, qui peregrino semper odore, morbi sui pudendi fetorem molie-

moliebatur dissipare. Certe de S. Catharina Senensi Virgine accepimus, eam solitam nares occludere, cum sibi forte quis obscœnior, & venereis criminibus obnoxius occurrisset; tam scilicet grauis eierat etiam ipsorum scelerum odor; Deo id in Virgine illa castissima permittente. D. Basilius refert [c] aucupes quosdam consueuisse columbarũ cicurum pennas inficere odore quodam, qui columbis aliis gratissimus sit, quo pellectæ pleræque in decipulum abducuntur. Ita faciendum Christiano, vt suarum virtutum odore perditos ad Christum adducat. Quemadmodum Cæcilia Virgo Valerianum sponsum suum lucrata est Christo, cum ille prima nuptiarum nocte fragrantissimum castitatis odorem instar vernarum rosarum in conclaui sponsę suæ esset odoratus.

c, *Epist.* 175.

SECTIO. LV.

SYNOPSIS.

1. Locus Pauli explicatus. 2. Magna vis est exemplis ad acuendam virtutem. 3. De hoc sententia S. Ambrosij. 4. Quid de hac re Conc. Trid. sentiat. 5. Sacerdotis animi pulchritudo splendescere debet. 6. Locus Matthæi explicatus. 7. Fideles debent esse vnanimes. 8. Spiritus Sanctus concordiæ inter fideles auctor. 9. Locus Cantici Zachariæ declaratus.

PRE-

PRÆBETE AVTEM VOS IPSOS FRATRES VENERABILES, ET OMNE CLERVM EXEMPLVM IN PRIMIS BONORVM OPERVM, ET FORMAM GREGIS, ET VESTRÆ VIRTVTIS, AC RELIGIONIS VELVT SALE CETERI CONDIANTVR, ET OMNEM PECCATI PVTREDINEM ABORREANT, ET DENIQVE OMNES VNANIMES IN VNO SPIRITV CHRISTIANÆ CHARITATIS, ATQVE IN OMNI SANCTITATE, ET IVSTITIA DEO SERVIAMVS.

1 APostolus *a In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate.* Pro exemplum græce eſt τύπον, ideſt typum ſiue exemplar; quaſi dicat. Tu, ô Tite Archiepiſcope, eſto exemplar virtutum, & bonorum operum, quod omnes tui imitentur. *Sit,* inquit Chryſoſtomus, *doctrina, exemplarque virtutis, tuæ ſpeculum vitæ, quod omnibus proponitur ad imitandum, veluti Archetypus, & primitiua quædam imago omnia in ſe habens, quæ bona, & honeſta ſunt, quæ magna cum facilitate volentibus aliquid ſui decoris imitari, exempla ſemper præbere parata ſit. Nam,*

vt

vt ait Seneca, *longum est iter per præcepta, & efficax, & breue per exempla.*

a, cap.2.v.7.

2 Magna est vis exempli ad acuendam virtutem. Philo [b] scribit, quod Miltiades Atheniensim Dux contra Persas plurimos pugnaturus, socios conuocarit, eisque Gallos Gallinaceos pertinacissime de more inter se pugnantes ostenderit, ratus hoc spectaculum plus eos permoturum ad strenue pugnandum, quam exhortationem. Ita factum est; socij enim cernentes gallos ad necem vsque pugnantes, alacriter, & generose correptis armis bellum hoc susceperunt, inque vulnera, & mortes se coniecerunt.

b, lib. quod omnis probus est liber.

3 Pulchre S. Ambrosius [c]: *In acquirendis consilijs plurimum valet vitæ probitas, virtutum prærogatiua, beneuolentiæ vsus, facilitatis gratia. Quis enim in cœno fontem requirat? quis de turbida aqua potum petat? Itaque vbi luxuria est, ibi intemperantia, vbi vitiorum confusio, quid inde sibi aliquis hauriendum existimet? quis vtilem indicet causæ alienæ, quem videt inutilem vitæ suæ? quomodo enim potero eum iudicare consilio me superiorem, quem video moribus inferiorem? supra me debet esse, cui me committere paro. An ne eum idoneum putabo, qui mihi det cōsilium, quod non dedit sibi? Et mihi eum vacare credam, qui non vacat sibi?*

c, 2. de off.

4. Tridentina Synodus [d], *Nihil est*, inquit, *quod alios magis ad pietatem, & Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita, & exemplum, qui se diuino ministerio dedicarunt. Cum autem a rebus seculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos tanquam in speculum reliqui oculos conijciunt, ex ijsque sumunt, quod imitentur. Quapropter sic decet omnino clericos in sortem Domini vocatos vitam, moresque suos omnes cōponere, vt habitu, gestu, incessu, sermone, alijsque omnibus rebus nil, nisi graue, moderatum, ac religione plenum præseferant, leuia autem dicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant, vt eorum actiones cunctis afferant venerationem*. Et insuper, [e] *Presbyteri ita pietate, ac castis moribus sint conspicui, vt præclarum bonorum operum exemplum, & vita monita ab eis possint expectari*. Similia habet idem Concilium Tridentinum. [f]

d, *Sess.22.c.1.de Reform.* e, *sess.23.in decreto de Reform.* f, *sess.24.de Reform.c.1.& cap.12.vtrobique ab initio, & sess.25.de Reformat.cap.1.*

5. Idem eximie docet S. Chrysost. [g] *Sacerdotis animi pulchritudinem vndique*, ait, *splendescere oportet, vt oblectare pariter, & illuminare possit eorum animos, qui suos in illum oculos conijciunt. Nam vulgarium hominum delicta velut in tenebris commissa, auctores suos solos perdunt: ceterum hominis illustris, ac vulgo cogniti delictum commune omnibus damnum affert, & parua eius peccata alijs magna videntur. Neque enim peccati magnitudine, sed pec-*

cantis potius dignitate peccatum plerique omnes metiuntur.

g, *lib.3.de Sacerdotio.*

6 *Sal*, ait Hieronymus [h], *appellantur Apostoli, quia per illos vniuersum hominum genus conditur*. Præterea Sal terræ fuere Apostoli, vt scribit Barradas; [i] Quoniam virtutes suo exemplo, suaque doctrina condiere. Etenim patientiæ, humilitati, modestiæ, paupertati, obedientiæ, virtutibusque reliquis diuinum quendam saporem præstitere. Insulsa est laborum tolerantia, immo & amara, non arrident carnis palato humilitas, paupertas, similesque virtutes. At Apostolico Sale conditæ placent adeo, vt sint multi, qui illas & esuriant, & sitiant, iuxta illud Domini; *Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam*. Et Chromatius citatus ab eodem Barr. *sicut Sales*, ait, *cum operantur in carne qualibet, corruptelam non admittunt, fætores auferunt, sordes expurgant, vermes non sinunt generari, ita & cælestis gratia, ac fides, quæ per Apostolos data est, simili exemplo in nobis operatur*.

h, *Matth.*5. i, *Tom.*2. *In suam Concordiam Euang.lib.6.cap.*13.

7 Hortatur non semel Apostolus, vt sint vnanimes fideles, id est concordes, itaque coniuncti, ac si in omnibus vna, eademque esset anima, quæ tot diuersa corpora regeret, faceretque tot homines. Sic legitur [k], *multitudinis credentium fuisse cor vnum, & animam unam*; non quod vnam animam habuerint omnes, vt ait Chrys. [l] Quomodo enim hæc in

diuersis corporibus fuerit? sed concordiam illorum nobis demonstrat. Orauit aliquando Patrem Christus [m], vt fideles vnum essent, sicut ipse cum Patre; imitatione videlicet, ac nexu charitatis, non æqualitate, & vnitate substantiæ, vt Augustinus [n] pręter alios passim expositores, ex tam multorum corde vno, & anima vna, scite argumentatur.

k, Act. cap. 4. l, Hom. 33. in Gen. m, Ioan. 17. n, Tract. 14. & 39. in Ioan.

8 Porro sicut in Trinitate Spiritus Sanctus vocari solet nexus, inquit hic Lorinus, & amor, quo vniuntur aliæ Personæ; & præterea quemadmodũ, vt dixit Poeta, in hoc mundo *Spiritus intus alit*, & iuxta Platonicos, vna anima mundi, perinde, vt vnius animalis; ita Spiritus idem sanctus tantæ inter fideles concordiæ auctor erat, estque, eritque in ecclesia, quam vnam profitemur, etiamsi eam discindere, ac dissecare conentur hæretici, & schismatici, vt quondam Arrius, vt ostẽdit Petro Alexandrino Christus ætate duodenni cum lacera veste.

9 *In omni sanctitate, & iustitia Deo seruiamus.* Locus sumptus ex Cantico Zachariæ. Sanctitatem, quæ Græce ὁγιότης dicitur, Euthimius cultum Dei interpretatur; iustitiam autem eam, quæ est ad proximum, vt hæ duæ partem vtramque virtutis amplectantur. Sanctitas quidem illam, quæ est ad Deum; iustitia vero illam, quæ est ad proximum. Mihi tamen accommodatius visum est, inquit hic Toletus, si dicamus, iustitiam significare eam, quæ vere iu-

stum

ſtum facit apud Deum, quæ eſt in fide, & dilectione, ex qua omnis mandatorum obedientia procedit, & tam ea, quæ ad Deum, quam quæ ad proximum ſunt, complectitur, quæ perfecta eſt, nec per legem eſt data, ſed per fidem Chriſti, & Euãgelium. Sanctitatem autem non ſignificare hic pietatem ad Deum, quæ ſub iuſtitia continetur, ſed id, quod nos facit naturæ diuinæ conſortes, & Dei filios, & in eſſe quoddam diuinum prouehit; ſanctum enim eſt, quod conſecratum eſt, & Deo dicatum, de quo dicitur o. *Vt eſſemus ſancti, & immaculati, in conſpectu eius in charitate;* quod Zacharias dixit, *in iuſtitia*, Paulus dicit, *in charitate*; hac enim iuſtificamur, hac mandata Dei perficimus. Immaculatos autem appellat, propter peccatorum ablationem; ſanctos vero, quia conſecratos, & in diuinum eſſe promotos, & euectos.

o, *Epheſ.* 1.

SECTIO LVI.

SYNOPSIS.

1. *Imperator Papæ, & Eccleſiæ filius primogenitus.* 2. *Per capillorum exhibitionem quid olim intelligebatur.* 3. *Conſtitutio eligendi Imperatorem a ſeptem Electoribus.* 4. *De eiſdem Electoribus.* 5. *Imperator triplici Corona exornatur.* 6. *De vnctione Regum.* 7. *De titulis Regum.* 8. *Clementiæ titulus cunctis Principibus carus.* 9. *Tituli Principum Chriſtianorum.* 10. *De ſanctis Eccleſiæ Anglicanæ.* 11. *Reges vnde dicti.* 12. *Quomodo poſſit Rex omnia ſalua, & integna conſeruare.* 13. *Rex in primis Religionem colat.* 14. *Sacrorum Antiſtites honorandi, & audiendi.* 15. *Robertus Galliæ quã eoſdem ſacrorum adminiſtros honorauit.* 16. *Turcarum Imperatores in ſuos ſacerdotes reuerentia.* 17. *Pietas Henrici II.* *Anglo-*

Anglorum Regis erga S. Thomam Cantuariensem Antistitem iam mortuum. 18. Reges Francorum, & Anglorum Alexandro III. Pont. humiliter subseruiunt. 19. Responsio generosa, & religiosa a Ludouico Rege Frederico Imperatori data. 20. Multa priuilegia Regibus Francorum a summis Pont. concessa. 21. Felix posteritas Regum Catholicorum. 22. Posteritas sancta Regum Polonorum. 23. Epistola ex castris Polonorum data Anno 1621. dum ipsi contra Turcas pro religione decertant. 24. Alalagmus, & inuocatio, qua vtuntur Poloni in prælijs suis. 25. Deo, non suæ virtuti, victoria attribuenda. 26. Pro labaro vtitur Resp. Veneta Leone Sancti Marci. 27. Bellarminus scripsit de officio Principis Christiani. 28. Principes Christiani magis quam alij Deo, & Ecclesiæ seruire tenentur. 29. Domini Temporales non amittunt per peccatum mortale principatum ipso facto.

HORTAMVR QVOQVE, ET ROGAMVS IN DOMINO CHARISSIMOS IN CHRISTO FILIOS NOSTROS IMPERATOREM ELECTVM, AC REGES, ET PRINCIPES OMNES CATOLICOS, VT QVO PLVRA, ET MAGIS ILLVSTRIA BENEFICIA AB EO, PER QVEM REGES REGNANT, ACCEPERVNT, TANTO ARDENTIVS, VT PAR EST, AD DEI GLORIAM PROCVRANDAM, PIO ZELO EXCITENTVR.

1 IMperator Primogenitus filius Papæ, & Ecclesiæ; sic Gelasius Anastasius Augustũ filium appellauit; in cuius mortui misere, vtq; fulmine contriti decus, & tribunal succedentem optimum Imperatorẽ Iustinum huius nominis primum

Hor-

Hormisda Papa filij ecclesiæ, suique appellatione honorificauit; sicut Felix III. Zenonem Imperatorem; Papa Agatho Constantinum Quintum, eiusque matrem Irenem Augustam. Leo III. Carolum Magnum, Nicolaus primus Ludouicum; alijque plurimi Pontifices Imperatores sui temporis charissimos filios appellare consueuerunt. Sicut post Imperatores alij Reges, & Principes hoc nomen hæreditarunt. Quorum Imperatorũ omnium Regum, ac Principum Christi Domini per sacra baptismatis lauacra, sanguine regeneratorum, Ecclesia sancta longe nobilius mater est, quam mater carnis; *Quia hæc*, inquit Petrus Damianus[a], *hominem peperit, vt per eius traducem reuertatur in puluerem; at illa Principem, ac Regem genuit, vt Christi sine fine regnantis efficiat cohæredem*. Et quia Imperator, aut quiuis alius Princeps Christianus ecclesiæ, Patrisque sanctissimi filius est, iuxta filiationis legitimæ leges non his imperare superbe, sed humiliter obtemperare tenetur.

a, *In disceptat. synodica, &c.*

2 Pius Imperator Constantinus capillos Dominorum Iustiniani, & Heraclij filiorum ad Papam direxit; & ipse cum Clero, & exercitu, inquit Anastasius, quasi dicat, cum quadam solemnitate suscepit, quod factum est a pio Imperatore, vt filij sui scirent se Romanum Pontificem peculiarem habere parentem, cuius monitis impensius parere deberent, eumque vt patrem diligere, ac venerari. Coriolanus [b]

Simile

Simile quoddam narrat Paulus Diaconus de Pipino filio Caroli Principis Francorum ad Luitprandum missο, vt eius, iuxta morem, capillum susciperet; *qui*, inquit, *eius cæsariem incidens, ei pater effectus est, &c.* Vigebat enim, vt ait idem Coriolanus, per hoc tempus consuetudo, vt per capillorum exhibitionem quis alicui offerretur in filium, & qui eum accepisset, patris nomen consequeretur.

b, *in suo Breuiario chronologico ad an. Christi* 684.

3 Anno Christi 996. celebratum est Concilium Romanum, quo constitutum fuit, vt Imperator deinceps a VII. Electoribus Germaniæ Principibus eligatur. Sic Blondus c. Immo Magdeburgenses id etiam asserunt. d. Et id verum esse extra controuersiam est. Albertus enim Imperator Bonifacio VIII. Papę scribens, diserte hoc confitetur; vt videre licet apud Coriolanum. e

c, *Decade* 2. *lib.* 3. d, *centur.* 10. *cap.* 10. e, *loco citato ad an.* 996.

4 Verum de electoribus, puta, quo tempore, a quo Pontifice, quo numero, & quinam constituti fuerint, legendus Baronius, & quæ post ipsius Baronij obitum sunt scripta, primum a Gretsero f, deinde vero locupletius a Io: Paulo Exindenio proprio Tractatu de Electoribus, vbi & peculiariter expenduntur ipsius Baronij assertiones de iure electionis cunctis Imperij Principibus primitus competente, deque numero septenario in Conc. Lugudun. stabilito, & plurimi aliorum tam catholicorum, quam hæretico-

reticorum corriguntur de ijsdem rebus, alijsque electores concernentibus errores.

f, in Defens. lib. 3. Bellarmini de Translatione Imperij; & lib. 2. contra Replicat. c. 22.

5 Imperator electus, vnctus, & consecratus coronam auream a Romano Pontifice accipit; vt constat g: Glossa[h] ait, Imperatorem electum triplici corona exornari, ferrea, argentea, & aurea. Ferream accipit, inquit, Aquisgrani a Præsule Coloniensi; quę corona significat fortitudinem, qua vincere debet infideles, & rebelles conculcare. Secunda est argentea, quam cum primum est in Italiam ingressus, recipit a Mediolanensi Archiepiscopo in Villa Modoeciensi eiusdem Diœcesis, vel in Æde S. Ambrosij; quæ corona, inquit, designat munditiam mentis, & nominis claritatem, qua prędirus esse debet Imperator. Tertia est aurea, qua per Papam Romę in ecclesia S. Petri ad Altare S. Mauritij coronatur. Chassanęus,[i] disputat, an Rex Francię pręcedere debeat electum in Imperatorem, nondum coronatum. Sed pręcedit electus in Imperatorem, ita decisum fuisse in Concil. Trident. refert Ant. Orueta. k

g, ex cap. Venerabile de elect. & Clem. 1. de iureiuran. h, in predicta Clem. in verbo vestigijs. i, Quinta parte Catalogi gloriæ mundi 29. consid. k, cons. 1.

6 Chassanæus[l] etiam ait, quod sunt tantum quattuor Reges, qui vnguntur, scilicet Ierosolymitanus, Francorum, Anglorum, & Siculorum, ceteri vero

nec vnguntur, nec coronantur, inquit ipse; sed multos alios Reges sacro oleo perungi solitos probat Azorius [m]. Hanc vnctionem recte vsurpari probat Adamus Cõtzem [n], & duplici quasi miraculo istius vnctionis ritum approbasse Deum, Primo cælesti donatione, & conseruatione ampullæ, quę Rhemis asseruatur, vti se diligentissime ipsam contemplatum fuisse scribit in Energumenico suo Faius Senator Parisiensis, & Præses. Secundo potestate, quam vncti in Galliæ reges habent in struma curanda, vt fidem ibidem scribit; & Granatensis. [o] Et ex hæreticis fatetur Gaspar Peucerus, [p] & affirmant, qui pręsentes adfuerunt, & viderunt. Legatur Serarius. [q]

m, *l*, *31. consid.* m, *Tom. 2. Inst. Moral. lib. 11. cap. 5.* n, *lib. 7. Polit. c. 3.* o, *lib. 2. catech. cap. 27.* p, *de incontationibus fol. 156.* q, *in cap. 10. lib. 1. Rȩgum.*

7 Regibus magnos honores exhibendos Contzẽ, scribit; vbi demonstrat Titulos Regum, & Imperatorum, alios licitos, alios illicitos fuisse; vt illi, quibus more ethnico Diuinitas tribuebatur ipsis Imperatoribus, & regibus. Videmus olim omnia plena fuisse Diuis, inania veri. Pompeio multa templa ędificata sunt, at ipse in monte Casio nullo tumulo tegitur; vt magno veræ diuinitatis iudicio, e cœlo derisæ sint illæ fictitiæ diuinitates. De Pompeio est etiam illud;

Templis abundanti, quanta est inopia pulueris?

Diui tamen Christiani Reges vocari possunt eo modo,

do,quo Dei; quia Dei sunt vicarij, & Dei vice iudicant. Non tamen puto id conuenisse Christianis Monarchis; cũ quia facile impij possunt effici, tum quia infirmos offendunt; nec decet ab idololatris titulos mutuari.

r, *loco supra cit.ca.4.*

8 Clementiæ titulum, & mansuetudinis omnes, qui Barbari prorsus non fuerunt, quamuis crudeles essent, amarunt. Ad mansuetudinis, & clementiæ ornamentum pertinet serenitas, siue humanitas, quam γαληνότητα Græci vocant; Oportet enim Principis vultum esse solis instar, quo subditorum animi exhilarentur, & sperent. Paullo inusitatior fuit titulus celsitudinis; nunc vero inter christianos Principes vsitatissimus; sumptus vero & ex Apostolo [s], qui vocat potestates supereminentes. Hoc enim celsitudinis vocabulo indicatur.

[s], *Rom.* 13.

9 Superbum Maximi nomen nunc pęne desijt, quemadmodum & Triumphatoris, Augusti perpetuo mansit, & Domini. Gentium deuictarum tituli initio quidem ex vero, postea ex adulatione fere. Theodebertus Rex Franciæ intoleran dum iudicabat, quod Iustinianus Rex in Regijs edictis, Francicus, Alemannicus, Gempidicus, Longobardicus, quasi eas gentes in seruitutem redegisset, vocaretur. Agathias [t]. Nunc præter ordinarios, & communes titulos, Galliæ dicitur Christianissimus, Hispaniæ Catholicus, Britanniæ Defensor fidei. Hoc ti-

tulo Henricus VIII. Rex Angliæ donatus fuit, quod contra Martinum Lutherum, eiusque, & aliorum hęreses scripsit, & ipsos hæreticos, eorumque sequaces persequi profitetur. u

t, lib. 1. u, const. ex superna.

10 Extat Duaci impressa Historia Anglicana Ecclesiastica, a primis Gentis susceptæ fidei incunabulis ad nostra fere tempora deducta, in qua incurrunt in oculos Albani, Amphiboali, Aarones, Iulij, sexcenti alij strenui Christi Martyres, fortissima pectora, quæ Anglicanū solum sanguine purpurarunt, & insignis fortitudinis vestigia posteris fixerunt. Spectantur etiam Augustini, Melliti, Iusti, Cuthberti, Dunstani, Thomę Cantuarienses, sanctissimi Archiepiscopi, Episcopi. Videntur pientissimi Reges Lucij, Constantini, Arthuri, Ethelberti, Osvvadi, magnæ Britanicæ sidera, vt etiam & regię Virgines, ac feminæ, Helenæ, Vrsulæ, ac sociæ, Mildredæ, Ethelburgæ, Vvitburgę, & innumerabiles alię, quarum pleręque omnes non pro castitate modo fortiter fecerint, sed etiam pulcherrimarum virtutum erexerint trophęa.

11 Reges a regendo vocati sunt, inquit Isiodor. x ideoque recte faciendo regis nomen tuetur, peccando amittitur; Recte ergo illi reges vocantur, qui tam semetipsos, quam subiectos bene regendo modificare nouerunt. Illud ipsum solida probatione concludens, & illustrans ait alibi y. Quia ergo Rex a regendo dicitur, primo ei studendum est, vt semetipsum,

suamque

suamque domum Christi adiuuante gratia ab operibus nequam emaculet, bonisque operibus exuberare faciat, vt ab ea ceteri subiecti bonum exemplum semper capiant. Ipse etiam salutaribus Christi præceptis fideliter, atque obedienter obsecundet, & recte agendo sanctorum regum, qui Deo sincere seruiendo placuerunt, post hanc peregrinationem consors efficiatur.

x, lib. de summo bono. y, l.3. sentent. c.48.49.

12 Middendorpius z quærit, quomodo Rex possit omnia salua, & integra conseruare, eundemque rerum suarum statum posteris tradere; & respondet, orando assidue Deum, vt bona semper consilia capiat, & monendo liberos, ne dignitate, & operibus efferantur, nec putent se ista habere ex se, sed Deum cuncta largiri. Non esse certam regnorum periodum, idem Middendorpius ex Doctissimis viris affirmat, sed quod scelera, & peccata sint præcipuæ causæ, quę Regna, & Imperia euertant. Hoc diluuij, hoc Sodomę exitij causa fuit; hoc Tēplum, hoc Ierusalē deuastauit. Nimirum immanis vitæ turpitudo.

z, In suis quæst. Theolog. & Polit. q.8.

13 Religionem colat Rex, nam sine ea, inquit Lipsius a, non Princeps officium suum, non subditi facient; sine ea societas non erit, quia non fides, non iustitia, non virtus, sed fraus, licentia, proteruitas, & vno verbo, confusio hominum, ac rerum. Rex es? a Deo habes; & quo maior, altiorque, plura benefico illi Numini debes; per cultum igitur, ve-

nera-

nerationemque eius agnosce. Rex es? vt diu,& feliciter esse possis, datori supplica,& scito tollere posse qui tribuit,& euertere, qui sublimauit.

a, *In suis Polit.monitis,cap.2.*

14 Idem Lipsius [b] exemplis, & rationibus probat sacrorum Antistites, aut administros honorandos, & audiendos esse. Alexander Seuerus Imperator namq; tanti eos fecit, vt iudicatas a se causas a Pontificibus, atque Auguribus retractari, atque aliter, quam ipse censuisset, terminari, æquo animo pateretur. Bona submissio, non minuit, sed auxit Principale culmen, infra religionem id posuisse. Constantinus Magnus, cum initio, vt fit, libertatis feruor, & fluctus, & contentio aliqua inter ecclesiæ proceres esset, indicto a Syluestro Papa Concilio Niceno, ipse interfuit, & auctoritatem accommodauit. Ecce autem libelli plures, qui mutuas criminationes continerent, ad eum delati fuerunt; quos omnes quasi lecturus,cogiturusque accepit; sed in vnam fascem collectos, in ignem statim,nec inspector quidem, coram omnibus iecit. Duo videlicet eo facto significans, & indignum illis esse certare æmulatione, aut odijs; nec se dignum, qui de ijs iudicaret, quos Deus iudicare vicem suam in terris iussisset.

b, *mon. 3.*

15 Iam Robertus Galliæ Rex quam eosdem honorauit,& misceri ijs honorem suum putauit? Scholas, & Templa adibat,locum inter eos sumebat;nec ora-

bat

bat ſolum cum ijs, ſed in publico pſallebat. Quin & cantica eius ſacra, quæ compoſuit, ediditque, eccleſia nunc vſurpat. Vir demiſſæ, & raræ ſanctimoniæ, cui Deus etiam miraculo atteſtatus eſt; cum Auallonem Vrbem eo obſidente, muri ſponte corruerunt; ipſo interea laudes, hymnoſque cum ſacerdotibus in tabernaculo concinente.

16 Sed hoc mirari, quam imitari plures volent; ſicut & illud, quod de Oſmane, Vrchane, Murate, a quibus Turcicum hoc grāde Imperium fundatum, cęptumque eſt, Annales eius gentis his ipſis verbis (digna enim ea prodi) tradunt. Quoties conuiuas vocabant, veſcebantur adhibitis Taliſmanis; (ita ſacerdotes dicunt) quorum præceptis, & admonitionibus inter conuiuandum aures præbebant, & Alcoranum legi iubebant. De Principibus, an de Monachis hæc narrantur.

17 At ſubmiſſionis exemplum etiam vnum, quod horridæ, &, vt quorundam delicię ſunt, ſordidæ pietatis videbitur, vt ſcribit Lipſius in Henrico II. Anglorum Rege. Ille ſuſpectus in cæde Beati Thomæ Cantuarienſis Antiſtitis, non facto, aut manibus eius, ſed iuſſu, conſenſuve patrata; & ſæpe admonitus, ac renitens ſemper, aut abnuens, ad extremum ipſa conſcientia ſalutariter adducente, ad ipſum locum, ſepulchrumque beati viri Cantuariam venit, atque ibi ſtatim in terram, ſimul & lacrymas effuſus, veniam, pacemque petijt. Sancto deinde a pœnitentia impetu, ad cœtum monachorum pergit, & multis

multis precibus impetrauit, vt a singulis eorum ordine virgis vapularet. Quid dicam? Stupeo, Rex fecit, sponte fecit, sui oblitus, dum Deum cogitat, iudicij hominum, dum cœli pręmia. O si hic vilem, ibi beatum? immo & hic, dum Deus ipso illo tempore eum attollit, & magnificat, Rege Scotorum a ducibus suis victo, capto, & per triumphum adducto.

18 Iuuat hic referre, quam humiliter, religiose, & reuerenter Alexandro III in Gallias venienti Ludouicus VII. Rex Franciæ, & cum eo Rex Anglorum subseruierint. Scribit sic Robertus de Monte fideliter his verbis c: Fridericus Imperator Alemanorum, & Ludouicus Rex Francorum, cum super fluuium Sagonnam, qui antiquitus Arardicebatur, de pace tractaturi conuenire debuissent, repente mutato animo, propter schisma Octauiani, cuius partes Imperator adiuuabat, infecto negotio ad propria redierunt. Exinde paruo spatio temporis interiecto Ludouicus Rex Francorum, & Henricus Rex Anglorum super Ligerim apud Iociacum conuenientes, Alexandrum Papam Romanum honore congruo susceperunt, & vsi officio stratoris pedites dextra, læuaque frenum equi ipsius tenentes, eum vsque ad præparatum papillionem perduxerunt, quo mediante, Deo fauēte, pax inter eos firma restituta est.

c, *Chron. in appendice ad Sigibertum anno Domini. 1162.*

19 Idem Robertus affert respōsionem generosam, & maxime religiosam eius Ludouici Regis superbissimis, & maxime impijs verbis Friderici Imperatoris,

toris, sic dicens, quibus verbis auditis, Rex modicum subridens, respondit ei in hunc modum; Miror prudentem virum vana mihi, & fabulosa verba misisse. An ignorat prædictus Imperator, quod Dominus IESVS Christus, cum esset in terris, Beato Petro, & per eum vniuersis successoribus eius oues suas pascendas commisit? Nonne audiuit in Euangelio ab eodem Dei filio, eidem Principi Apostolorum dictum, Simon diligis me? *Pasce oues meas*. Numquid sunt hi Francorum Reges, vel antiqui Prælati excepti? An Episcopi Regni mei non sunt de ouibus quas filius Dei Beato Petro commisit. Et his dictis, vertit habenas equorum cum contemptu, & statim ad arma cum Baronibus, & reliqua militia sua cõsurgens (scilicet pro Ecclesiæ Romanæ, Regnique sui contra Fridericum Imperatorem defensione) debiliora regni sui loca muniuit, & tamquam vir prudẽs, & fortis ad sedem suam cum gloria propitiante Domino remeauit.

20 Ideo Summi Pontifices multa priuilegia Regibus Francorum concesserunt, vt videre licet apud Carolum Degrassalium [d]. Innoc. III. concedit decem dies Indulgentiarum omnibus, qui orãt pro Rege Francorum; & Clem. centum; vt scribit D. Th. [e] A Leone X. datus est annus Indulgentiarum pro eadem causa. Ita Sixtus IV. anno Domini 1481. multas Indulgentias concessit omnibus, qui Principem Serenissimum Venetiarum ad diuina comitãtur of-

KKK ficia;

ficia; & Remp. consilio, & opera gubernant, & adiuuant.

d, *in suo Tract. Regalium Franciæ* e, *In chronico m.* 5.

21 Felicem posteritatem Regum Catholicorum narrat Bozius *f*, qui inter ceterarum prosapiarum Regum euēta felicia, explicat ea, quæ Polonicorum diuinitus sunt concessa. Quod scilicet nulla Regum posteritas ab orbe condito fuit in Sarmatia, quam nunc Poloniam vocamus, e qua fuerint tot agnationis eiusdem Reges, seu supremum nomine Ducum principis locum tenentes in Sarmatia, quot ex agnatione Miecislai I. inter Poloniæ Principes christiani, & tamen ab orbe condito ad Miecislaum numerantur anni a nonnullis quinquies mille quinquaginta tres. Quod nulli Regum posteritati a nobis alienę concessum fuit, vt tam lata in Septentrione, eisdemque cęli Borealis tractibus terrarum spatia, domibus, villis, arcibus, monasterijs, templisque magnificentissimis, oppidis, vrbibus exornarit, ac munierit, vt consanguinitas Miecislai, siue agnatio istius, & agnatio Iagellonis, quæ duę in vnam deinde cognationē coeuntes vsque ad Henricum Valesium maxime inter Polonos rerum sunt potitæ, & vtraq; nunc agnatio conuenit in Sigismundum III. modo felicissime regnantem; qui ab antiquissimis Gotthorum Regibus, vt vult Ioannes Magnus, originem generis habet.

a, *De signis Ecclesiæ Dei, signo* 92.

Et

22 Et huic Polonorum Regum posteritati cõtigit etiam habere Reges insignis sanctitatis, aut etiam filios; vt fuit Cazimirus Primus, aut Cazimiri Tertij, vel, vt alij numerant, quarti filius Cazimirus, qui ne virginitatis puritatem summam violaret, mori maluit, quam desinere esse Virgo. Eiusdem puritatis amor fulsit in Boleslao Pudico, qui cum anno millesimo ducentesimo trigesimo nono Chingam, siue Chunegundim filiã Belæ quarti Hungarorum Regis vxorem duxisset, eam non attigit, mutuoque cõsensu perpetuam continentiam vouere ambo.

23 Placet hic ponere Epistolam vnam ex castris Polonorum sub die 9. & 10. Septemb. datam anno 1621. dum Sigismundus Poloniæ Rex, vna cum filio VVladislao, strenua virtute contra Turcarum Imperatorem pro religione decertant. Epistola sic habet ex Breuiario Chronologico Coriolani.

Turcarum Imperator, & Magnus Tartarorum Cham cum sexcẽtis Barbarorum millibus in Muldauia prope castra nostrorum die 3. Septemb. castrametati sunt. Qua die arrogans Turca irritatus Cosacchorum excursionibus, iubet suis belli Ductorib. castra nostrorum perfringere, in eisque superbe se pransurum cras determinat: parent illi subito, consiliumque belli vocãt, cui visa est castra nostrorum Cosacchorum suis castris opposita primo aggredi, summoque mane 4. Septembris in castra Cosacchorum violenter procurrit; acris instituitur pugna, fortiter a Cosacchis impetus sustinetur, a quibus quattuor vicibus reiecti cum magna suorum,

& nostrorum paucorum nece, turpi fugæ se dedere, quos nostri Cosacchi vsque ad castra Turcarum Imperatoris insequuti, multos papiliones accepere, tormentorum bellicorum rotas dissecuere, plurimaque ex eis ad sua castra asportauere, et si tetra nox, et pulueres excitati non intercessissent, sine dubio victoriam obtinuissemus. Talis enim ardor nostrorum ad pugnandum fuit, vt ne quid fugientibus Othomanis sua celeritate ad sua castra profugiendi tempus daretur, quorum aberrantium ad ripas fluminis Pruth multa millia, quod se tranatare posse crediderant, trucidauimus. Hoc infelici successu primo perterritus Othomanus, castra retromouit ad sex milliaria, creberrimis tamen incursionibus nos lacessebat, cum suorum innumerabili internecione, quem sua aduersa fortuna ita rabidum reddidit, vt suos aliquos principales Bassas, et Palatinum Moldauiæ Radulium, qui sibi in tribus horis se castris nostrorum potiri debere promittebant, capite plecti mandauerit. Dum hæc a nostris fortiter, & prospere agerentur, multi Turcarum ad castra nostrorum fame, & nostra fauente, suaq; aduersa fortuna compulsi profugiebant.

Hac die nihil vtrinque gestum est.

Die 6. Septembris Furiosus Turca sine mora vniuersum exercitum in campum educit, summaque vi, & numero castra nostrorum vndique adortus, vbi tribus horis in fumo, pulueribusque excitatis, tantumodo fragor tormentorum bellicorum audiebatur, fuit obseruatum, Turcam his proximis diebus plusquam vndecies mille ictus in nostrum campum vndequaque explosisse,

mille

mille quattuor centum globis ferreis in campo Cosacchorum repertis; a quibus tamen nihil notabilis damni in castris nostrorum factum esse, quis non nisi mirabili defensioni Diuinæ adscribat?

Dumque iam castra nostrorum vix impetum occacatæ multitudinis sufferre, & pene periclitari viderentur, iussit Generalis noster suis sexcentis equitibus hastatis, iussit etiam Illustris. D. Vilnensi, D. Poloschi, & D. Rudomino, & Illustrissimo Domino Incisorum dapum Regiarum cum ipsorum centurijs Hastatorum in aciem progredi, qui generoso animo dextram partem exercitus Othomanici adorti, strenue rem gerere, fractis hastis inceperunt.

Confestim circumducimur numerosissimis Turcarum phalangibus, iam plane absorpti, iam nec a suis videri possumus, cum ex omni parte toto exercitu inimico circumducimur, sagittis plena omnia, eiulatibus, fragoribus, fumo, pulueribus, aera obscurantur, terram sanguinatam Barbarorum cadaueribus coopertam cruentati prospectauimus, molemque totius exercitus inimici animose sustinemus.

Hic perfidi Othomani robur nostrorum, & fortunam admirati, armis, & animis suspensi circunstetere; cumque per consternata Turcarum cadauera, recta ad suos reditus non daretur, sinistram sui exercitus partem aggressi, densissimas eorum cohortes de campo fugauimus, cum parua nostrorum perditione. Nox superueniens maiorem inimicorum stragem tunc dirempsit. Ad nostros resecta Barbarorum capita, fra-

meis

meis infixa portantes victoriosi redijmus. Admirandum id sane fuit, quod eo die tantus timor Barbaros perterruit, vt tam pauca nostrorum manus vniuersum exercitum Turcarum, non solum è castris proprijs, verum etiam ex acie perpulerit, cum nec iam se defendentes, sed vltro proiectis suis frameis subsistentes, nostrorum manibus, & gladijs, suas submitterent ceruices.

Hoc in conflictu de nostris principalioribus desiderati D. Karuischi, D. Passoriti, & quidam alij; de vulgaribus numerum mille non excessit: Ex Cosacchis etiam aliquot centenaria fortiter interiere. D. vero Poloschi enormiter vulneratus, iacet moribundus.

Die septima Septemb. pauidus siluit Turca, suaque ita constrinxit castra, vt quæ prius tres colles occuparent, modo pauco spacio continerentur.

Die octaua Septemb. Generalis noster vniuersum exercitum ordinatum in aciem eduxit; dumque integro die prælium expectaremus, nullus ex castris Turcarum comparuit.

Die nona Septemb. pauidus siluit Turca, summo mane castra Cosacchorum inuadit, ab eisque animose retruditur, iterum, atque iterum cum suo exercitu ingenti excitato clamore proruit. Sustinent aliquantum tantam molem impauidi Cosacchi, quos ita periclitantes Generalis noster peditibus Germanis, & Polonis auxiliatur, viribusque coniunctis exercitum Othomanicum reprimunt, itemque de ordine D. Generalis nostri hastatorum equitum cohortes in aciem conflicturæ

progre-

progrediebatur, cum esse, ijs conspectis, Turca quantocyus ad castra sua regreditur; nostri vero non impigri exinde animosiores effecti, hostem insequuntur, eumque ad sua castra honoris causa comitabamur, quo die tantam Barbarorum occisionem fecimus, vt ij campi cadaueribus tantum cooperti conspicerentur.

Relatum habemus ex Turcarum exercitu his conflictibus ad centum millia cecidisse; Eo die & immensi pulueres nobis victoriam sequi praeripuere. Certe in hisce praelijs singularem Dei omnipotentis gratiam habuimus, qui enim aliquando crederet, vt tam parua nostrorum manus, sine vllius Principis Christiani debito auxilio vim tam numerosi exercitus Othomanici, cuius vires omnes alij orbis Principes contremiscunt, sustinere deberet? Videbatur Deipara Virgo semper associata sanctorum multitudine nobis pugnantibus superstetisse. Sed iam ecce classica sonant, Calamo hoc proiecto, armis accincti in aciem progredimur, Die 10. ex castris Polonorum ad flumen Niester.

Postea vero ex litteris Varsouiæ sub die 24. Septembris habitum est, Polonos victoriam completā de Turcis reportasse. Et denique quod Turca conditiones pacis acceperit, prout Sigismundo Regi ipsi Turcæ dare placuit.

24 Sic Deus auxiliatur Principibus, qui suis, nec corporis, nec animi viribus præfidunt, & gloriantur. Hinc sane laudandus alalagmus, & inuocatio, qua in hæc vsq; tempora Poloni in prælijs suis vtuntur. Nimirum omnes ante prælium contentissimis

vocibus inclamant salutare IESV nomen, vt est in Polonico Liuonicæ victoriæ, quæ an. 1605. die 27. contra hæreticum Sudermannum contingit, libello. Ille item, quo Dei ipsius amici, tutelaresque sancti ante prælium inuocantur. Serarius. [b]

b, *in lib. Iudic. c. 7. q. 22.*

25 Non ita laudandus mos, quo in congressibus, aut victorijs, victorialibusque alalagmis, gentilitia inclamantur nomina, *España, España; Francia, Francia, &c.* Cumque *non in multitudine exercitus victoria belli sit; sed de cælo fortitudo* [c]; sunt nihilominus, qui non tam Deo, quam suę virtuti victorias suas attribuant. Quos quidem oporteret sacri illius elogij meminisse; *si putas in robore exercitus bella consistere, superari te faciet Dominus ab hostibus* [d]. De quo argumento plura Ioan. Osorius [e], qui hanc inter plures infausti exitus considerationes ad gentem Hispanam gloriæ cupidam Hispanus auctor adstruit. Si victoria, inquit, parta esset, quid diceret humana; & maxime Hispana superbia? *Manus nostra excelsa, & non Dominus fecit hæc omnia* [f], quo poterat resistere Angli tantæ potentiæ? &c. Iacob. Pintus. [g]

c, *Mach.* 3. 19. d, 2. *Paral.* 25. e, *In tribus suis de reditu Hispanorum ex Anglico bello infecta concionibus.* f, *Deut.* 32. 27. g, *in suo de Christo crucifixo lib. 3. tit. 4. loco cit. num.* 10.

26 Resp. Veneta erigit pro labaro Leonem sancti Marci, his verbis, Pax tibi Marce Euangelista meus. Eius alalagmus, & inuocatio in bello, & in pace hęc est, Viuat Sanctus Marcus. Cuius nomine tituli lo-

co,

co, & cognominis sui ipsius vtitur ipsa; quia apud ipsam idem est dicere Sanctus Marcus præcipit, & iubet, ac si diceretur Resp. Veneta præcipit, & iubet. Eius corpus Alexandria Venetias translatum est sub Paschali Papa, Leone Armeno Imperatore, ac Iustiniano Venetiarum Duce, Deo misericorditer disponente, vt qui tunc totum orientem velut aureus lucifer illustrauerat, nunc per plagas occidui climatis præsentiæ suæ radijs enitescat. Per Ægyptum quippe sibi dedicat ortum; per Venetiam tenet occasum. Illic Alexandrię sortitus est Ecclesię solum; hic renascentis Aquileię nouum statuit principatum. Hęc Damianus in sermone de S. Marco.

27 Scripsit de officio Principis Christiani Card. Bellarminus opusculum ad Principem Vvladislaum Sigismundi III. Polonię, & Sueciæ Regis filium, in quo præter multa alia monita, hoc pręcipuum Prinpi Christiano exhibet, vt cognoscat, se quattuor agnoscere debere superiores, si vere Christianus dici, & haberi velit; Deum optimum maximum, Pontificem summum, Episcopum proprium, & proprium confessarium. Legatur ipse Bellarminus.

28 Sed quo maiora sunt beneficia Dei, vt loquitur summus Pontifex Vrbanus in ipsa Bulla, quibus Principes Christiani super alios locupletati affluenter abundant, eo magis seruire Deo, eiusque regnum in terris, quod est ecclesia, quacunque ratione possunt, defendere tenentur. Debet Rex Catholicus sui Principis Christi factis non minus, quam affectibus

LII æmu-

æmulator, opere, neque ipsa profiteri, se non sui causa, sed crediti populi a Deo summo omnium Principe, Regem esse constitutum; qui non tam sua, quam Christi in recte dominando quærat, ne peruersa voluntatis inclinatione in iniustam tyrannidis acerbitatem propendere videatur. Cũ teste etiam Ethnico philosopho [b] Tyranus in hoc a Rege vero differat, quod hic omnia, quæ meditatur, loquitur, & operatur, ad salutem populorum, vtilitatẽsque publicas referre soleat; ille vero non habens conscientiam, iustitiæ persecutor, & osor, omnia, salute subditorum neglecta, vtilitate Reipublicæ prostituta, in suas priuatas commoditates, ad explendas libidines, perturbato omnis pietatis, atque æquitatis statu transfundere. Seneca, si vis, inquit, omnia tibi subijcere, subijce te rationi, multos reges, si te ratio regat. Et Sanctus Isidorus recte faciendo, ait, Regis nomen tenetur, & peccando amittitur.

b, *lib.8.Ethic.*

29 Non tamen dicendum, vt dicebat Vvicleph, & Ioannes Hus, Dominos temporales per quodlibet peccatum mortale amittere principatum ipso facto, & ideo posse per suos subditos ad suum arbitrium corripi, quia hæc doctrina falsa, & vt hæretica damnata fuit in Concil. Constantiensi [i], vt illa etiam, quæ ex hac orta fuit, Regem tyrannice gubernantem posse occidi a quolibet subdito, vt videre licet in eodem Conc. [k]

i, *sess.8.* k, *sess.15.*

SE-

SECTIO LVII.

SYNOPSIS.

1. Reges non debent religionis, & Ecclesiæ curam abijcere. 2. Quid facient Reges erga Ecclesiam. 3. Formula iurisiurandi Imperatorum in manu Pont. Romani. 4. Reges promittunt se defensuros Ecclesiam. 5. Quo sensu dicat Baronius magno detrimento Ecclesiæ Principes se immiscere rebus sacris 6. & 7. Principi curæ esse debet, vt eius ministri sint boni, quia hæc est naturalis obligatio. 8. In magistratu virtutis maximæ haben da ratio.

PRÆCIPVE VERO FRATRVM NOSTRORVM EPISCOPORVM, ET SVPERIORVM ANTISTITVM PASTORALEM SEDVLITATEM, ET VIGILANTIAM ADIVVENT, ET A SVIS MAGISTRATIBVS, AC MINISTRIS ADIVVARI MANDENT, VT IMPROBORVM LICENTIA COERCEATVR, ET PROBORVM STVDIA EORVM REGIA OPE, ET GRATIA FOVEANTVR.

1 REges, & Principes Christiani non ita debent sua regna, ac prouincias administrare, vt omnem religionis, & Ecclesiæ curam abijciant, tanquam nihil ad se pertinentem, & vsurpent illud Donatistarum, *quid Imperatori cum Ec-*

 clesia?

clesia? quod tantopere reprehendit Augustinus. [a] Hoc enim est sacris litteris, & bonorum Regum exemplis, & rationi ipsi contrarium est. Laudantur in sacris litteris Dauid, Ezechias, Iosaphat, Asa, & Iosias, quod cultum, & religionem Dei vel promouerint, vel restaurarint. Eorum exemplum in nouo Testamento imitati sunt Constantinus Magnus, Theodosius, Archadius, Honorius, Carolus Magnus, Ludouicus, & alij. Contra vero, non solum reprehensi, sed etiam puniti sunt, qui religionem, & fidem contempserunt, vt Ieroboam, Acab, Aihas, Amon.

2 Sed quid facient Reges circa Ecclesiam, & religionem? dicam verbo cum Becano [b] debent illam tueri, ac defendere, non vt Domini, sed vt ministri, neque vt Iudices, sed vt executores. Hoc olim fecerunt Christiani Principes; hoc verbo testati sunt Carolus Magnus, vt alios omittam; apud Sigonium [c] sic ait, *si Ecclesiarum Dei seruis magnificentiam nostram impertimus, eorumque studijs libenter obsequimur; id nobis ad Augustalis excellentiæ culmen proficere credimus*. Si, inquit, obsequimur ecclesiarum Dei seruis, obsequium offert; non arrogat sibi primatum. Vult esse *minister* in defensione ecclesiæ, non *Dominus*.

a, *l. 2. contra litteras Petiliani c. 92.* b, *in suo Man. cont. li. 5. c. 19 quæst. 8.* c, *l. 4. de regno Italiæ.*

3 Idem Carolus cum a Leone Papa coronam Imperij accepit, hac formula iurisiurandi vsus est. In nomine Christi spõdeo, atque polliceor ego. N. Im-

perator

perator coram Deo,& B. Petro Apostolo,me protectorem, ac defensorem fore huius S. R. E. in omnibus; quatenus diuino fultus fuero adiutorio; prout sciero,poteroque. Refert Signius. [d]

d, *loco citato.*

4 Et iampridem vsu receptum in Francia, Hispania, Polonia, & alijs Regnis, vt simili iuramento obstringant se Reges, & nominatim promittant, defensuros se Ecclesiam, ac religionem, eiusque Prælatis debitam reuerentiam, & subiectionem præstituros. Neque hoc quidquam derogat ipsorum maiestati; immo per honorificum est. Recte Ambrosius [e] *quid est*, inquit, *honorificentius, quam vt Imperator dicatur filius Ecclesiæ? Imperator enim bonus intra Ecclesiam, non supra Ecclesiam est*. Et Theodoricus Italiæ Rex ad Ioannem Pontificem; *Sum quidem Iudex Palatinus, sed vester non desinam esse discipulus. Nam tunc ista recte gerimus, si a vestris regulis minime discedamus.*

e, *Epist. 32. ad Valentinianum Iuniorem.*

5 Et quando Baronius dicit, magno detrimento ecclesiæ immiscere se Principes rebus sacris, non dicit illo sensu; quo Mornæus, sed quo scribit Coquæus [f], quia Principum scilicet non est res sacras administrare, aut de fide, & religione iudicium ferre; recte tamen, & religiose contra sacrilegos hæreticos, & schismaticos leges condunt. August. [g]. *Quicunque legibus Imperatorum, quæ pro Dei verita-*

te,

te feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande supplicium. Vbi & respondet ijs, qui obijciebant, non petijsse a Regibus terræ Apostolos talia, vt scilicet leges ferrent pro religione aduersus illius hostes; Non considerant, inquiens, aliud fuisse tunc tempus, & omnia suis temporibus agi. Quis enim tunc in Christum crediderat Imperator, qui ei pro pietate contra impietatem leges ferendo seruiret?

f, *Antidoto contra progressum vndecimum*. g, *Epist*. 50.

6 Sed quia parum est Principem esse bonũ, si eius ministri sint mali; Princeps præcipue curare debet, vt idoneis mandet dignitates, & magistratus. Quocunque enim loco idonei, & boni viri præficiuntur, salus constat Reipublicæ. Maneat hoc certum, ac firmum, & nobile regnantium axioma; meliorem esse Rempublicam, in qua Princeps malus est, quam ea, in qua amici principis, magistratusque, qui in parte Rempublicam gerũt, mali sunt. Multos enim malos haud facile vnus bonus compescit; malus Princeps si bonos habeat administros, nequitiæ instrumentis caret.

7 Naturalis est, & summa Principis obligatio, vt bonos præsides prouinciȩ prȩfectosque tueatur, atque in officio contineat. Oritur hȩc obligatio ex iure Reipublicȩ, & priuati cuiusque, vt ait Adamus Cotzen *h*. Quemadmodum enim si Princeps medicum, & chirurgum sumptu Ciuitatis constituat, ex iustitiæ legibus obligatur, vt ne Demostratos, Marcos,

cos, Simones, Menophanes, Capitones, Phaidones, Socleas, Agelaos, Alexes, Agridas, Zopyras, Charinos, Gernaclios, Rhodones, Callignotos, velut pestes viuas, & efficaces ciuibus immittat, qui glorientur, vt ille apud Agathiam,

Nam & ego multas animas ad inferos deturbo,
Sed viros peritos, industrios, fidos, non quos
Spargunt mitris, floribus, atque coronis.

Sed nullo iure possunt populis raptores, & iniquos præponere. Nam culpam suorum præsidum, nisi ipsi prospiciant, præstare coguntur.

h, *cap. 7. lib. 7. Polit. §. 2.*

8 Virtutis ergo, ac morum probitatis maxime ratio in magistratu habenda. Requirit hoc Plato, i vt qui quærendi sunt iudices, ac magistratus, probitatis testimonium per singulas ætates habeant. In Romanis quoque legibus de magistratu hæc erant; *Hic ordo vitijs careto; ceteris specimen esto.* Cicero k, *Neque illud immerito; non enim regnant, sed sæuiunt, qui mali sunt.* August. l *Et vt oculi vitio aliquo laborantes perperam cernunt, ita male imperat anima, mala quæ est.* Plato m. Peruertit enim intellectum malitia, nec nisi a viro bono bona proficisci possunt Aristot. n

i, *lib. 3. de Republ. 6. de legibus in Alcibiade*, k, *3. de legibus*, l, *lib. 5. de Ciuitate Dei*, m, *1. de Repub.* n, *Ethic. 6. cap. 12.*

SE-

SECTIO LIIX.

SYNOPSIS.

1. Pretiosum Regis optimi munus, & officium. 2. Liberalitas virtus Principe digna. 3. Speciem liberalitatis suo Principi Machiauellus commendat. 4. Consilium Machiauelli nulli Principum bene cedet. 5. Peregrini Romam petentes vi Bulla Cœnæ proteguntur. 6. Quæ personæ excommunicentur in Canone X. Bullæ Cœnæ, & quæ actiones fieri probibeantur. 7. In antiquis Bullis Cœnæ excommunicabantur etiam offendentes peregrinantes in Hierusalem. 8. Probibetur peregrinatio ad sepulchrum Domini sine licentia Papæ sub excommunicatione. 9. & 10. An clerici peregrini sine superiorum licentia Romam petentes gaudeant beneficio huius Canonis. 11. 12. & 13. Locus Apostoli explicatus.

MAXIME AVTEM ERGA PEREGRINOS BENEFICENTIAM, ET LIBERALITATEM, CVRENTQVE, VT TVTIS INCEDANT ITINERIBVS, ET NVLLA HOMINVM PERDITORVM VEXATIONE PERTVRBENTVR, SED HOSPITALIBVS, DOMIBVS, ET PVBLICIS HOSPITIIS AMANTER EXCEPTI, ET COMMEATV, ET REBVS AD VITAM NECESSARIIS RECREATI SINE VLLA CONCVSSIONE, ET INIVRIA INSTITVTVM ITER LÆTI PERAGANT, ET CVM GAVDIO IN PATRIAM REVERTANTVR. HIS ENIM HOSTIIS REGES POTISSIMVM, ET PRINCIPES DEVM SIBI PLACABILEM REDDENT,

VT

VT DIV IN TERRIS, FELICES VIVANT, ET DEMVM IN ÆTERNA TABERNACVLA RECIPIANTVR AB ILLIS IPSIS PAVPERIBVS, ERGA QVOS MISERICORDIAM EXERCVERVNT, IN QVIBVS CHRISTVS PASCITVR, ET NVTRITVR.

1 PRetiosum Regis optimi munus, & officium; æternis remunerandum premijs est, vt scribit Mauclerus *a*, ad imitationem Christi, Cœli cum terra regnatoris, pauperes omni præsidio destitutos ab omnibus potentiorum, & iniquorum tyrannorum oppressionibus defensos eripere. Ad hoc venit Christus in mundum, vt regius Propheta toto pœne Psalmo trigesimoprimo copiose declarat; has in principio preces mysticas, & vota fundendo: *Deus iudicium tuum Regi da, & iustitiam tuam filio Regis*. Ad quid hoc. *Iudicare populum tuum in iustitia, & pauperes tuos in iudicio*. Hoc qui facit, non cum summis viris comparo, sed simillimum filio Dei Christo Domino, Regum Regi iudico, qui veniens in mundum, vt ipse Propheta vaticinando prædixit, *Iudicabit pauperes populi, & saluos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem*. Propterea *orietur in diebus eius iustitia, & abundantia*

Mmm pacis

pacis donec auferatur Luna. Quid prӕterea. *Et adorabunt omnes Reges terrӕ, omnes gentes seruient ei. Quare hoc? quia liberauit pauperem a potente; & pauperem, cui non erat adiutor. Parcet pauperi, et inopi, & animas pauperum saluas faciet, &c.* Hoc vere regnare est in afflictis, oppressisque pauperibus opitulando Christum sequi.

a, 4, *p.lib.9.cap.*1.

2 Digna Principe virtus est liberalitas, quam etiã Diocletianus primam dotem Principis vocabat. Regem enim armis, inquit Salustius [b], quam munificentia vinci minus flagitiosum est. Et ditare magis est Regium, quam ditescere, vt ait Plut. [c] Sed considerandum cum Valerio Max. [d] liberalitatis duos esse maxime probabiles fontes; *verum iudicium, & honestam beneuolentiam.* Nam cum ab his oritur, tum demum ei ratio constat, *Beneficijs enim si detraxeris iudicium, desinunt esse beneficia*, vt scribit Seneca [e], & Arist. [f] *Prodigus est*, inquit, *qui vbi non decet, & quantum non decet, & quando non decet, impendit; Auarus, qui non impendit, vbi decet, & quantũ, & quando decet; liberalis qui vbi, quantum, & quando decet, impendit.*

b, *in Iug.* c, *in Apoph.* d, *lib.4.cap.vltim.* e, *de benefic.* f, *magn. moral.*

3 Speciem liberalitatis, inquit Adamus Cotzen [g] re vera auaritiam suo Principi Machiauellus [h] commendat. Primo quidem non negat, fore optimum, vt liberalis Princeps habeatur; at sane prӕstat eum

esse,

esse,& haberi. Nisi enim vere liberalis sit, sed famam tantum aucupetur, in magna se, ac Rempublicam mala coniiciet, aut fronte duntaxat, & verbis liberalis homines ducet, atque ita odia incurret, & ipse sua beneficia differendo, corrumpet, aut modum non seruando, auferet bonis, quod tribuat indignis. Suadet etiam suo Principi ex alieno largum esse, dicens, quod autem non est tuum, nec tui populi, id liberalius conferri potest; vti a Cyro, Cæsare, & Alexandro factum constat.

g, *lib.3.cap.9.§.1.* h, *cap.16.*

4 At improbum hoc consilium, inquit Adamus, vt enim liberales videantur, raptores, & orbis terrarum prædones esse iubet. Verum nec Cyro, nec Alexandro, nec Cæsari opulentis latronibus res illa bene cessit, nec bene cedet vlli principum. Cęsar vndecies centena hominum millia extra bella ciuilia cõcidit, & bellorum causam fere auaritiam habuit; omnia demum illa suis vulneribus luit. Alexander breui male Partorum vsura conflictatus est, omnemque progeniem, vltioni gentium violatarum impendit. Cyri insatiabilis cupiditas, in humano sanguine contabuit.

5 Peregrini Romam petentes vi Bullæ Cęnæ proteguntur; ita enim habetur in Canone 10. ipsius Bullæ: *Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes, seu deprædantes Romipetas, seu peregrinos, ad Vrbem causa deuotionis, seu peregrinationis accedẽ-*

tes, & in ea morantes, vel ab ipsa recedentes, & in his dantes auxilium, consilium, & fauorem.

6 Canon iste non respicit Papam, aut Curiam, sed Vrbem Romam, vnde quamuis Papa cum Curia alibi esset, nihilominus tamen ligaret offendentes euntes ad Vrbem causa deuotionis. Personæ, quæ hic excommunicantur, quædam sunt principales, nempe interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes, seu deprædantes; & quædam sunt accessorię, quales sunt, auxilium, consilium, & fauorem præstantes. Personæ vero, quæ offendi prohibentur, sunt Romipetæ, seu Peregrini, ad Vrbem causa deuotionis, seu peregrinationis accedentes, & in ea morantes, vel ab ipsa recedentes. De actionibus denique sex prohibentur. Primo interficere. Secundo mutilare. Tertio vulnerare. Quarto detinere. Quinto capere. Sexto deprædari.

7 Hic canon, vt ait hic Alter, in omnibus videtur prorsus conuenire cum antiquis Bullis Cęnę, pręterquã in hac vnica re, quod olim hęc excommunicatio cõprehendebat peregrinantes, non solum ad Vrbẽ, sed illos quoque, qui proficiscebãtur in Hierusalem, sicut habetur in Bulla Martini V. quod annotauit etiam Caiet. i Ratio cur tunc extenderetur ad peregrinos euntes in Hierusalem, fortasse illa erat; Quoniã antiquo tempore vigebat Ordo, & Religio Fratrum militiæ Templariorum, & sic dicebantur, quia iuxta Templum Domini apud Hierusalem in Palatio Regio habitabant, instituti tempore Gelasij II.

Anno

Anno 1119. vt armis Peregrinos a Mahometanis tutos redderent, & per omnem terram sanctam circunducerent. Pt eodem fere tempore vigebat quoque Ordo Hospitaliorum B. Ioan. siue Rhodiorum Militum, qui hospitio excipiebat Peregrinos sicut ordo Theutonicorum, qui ex vtroque priorum admistus. Nam & ipsi hospitio excipiebant Peregrinos, & necessitate exigente etiam armis pro religione pugnabant. Sed ordo Templariorum a Clemente V. in Concilio Viennen. Anno 1315. ob nefanda quædam scelera, & opiniones quasdam prauas de religione ex toto orbe Christiano deletus fuit. Vnde paullatim verisimile est credere diminutum fuisse numerum Christianorum fidelium deuotionis ergo Hierusalem euntium, cum cessasset peregrinis auxilium horum virorum, qui illis adiumento maximo erant; tum excipiendo domi, tum defendẽdo a prædonibus; & ob eandem causam opinãdum est sublatam fuisse ex hoc Canone clausulam de peregrinis in Hierusalem, cum paucissimi essent, qui hoc iter suscipere nt, cum ante prioribus temporibus frequentissimi peregrinationem hanc in sanctam Hierusalem suscipere solerent.

i, in summa Ver. excom. cap. 13.

8 D. Antoninus[k] narrat iure prohibitum esse sub excommunicationis latæ sententiæ, ne quis ad sepulchrum Domini causa deuotionis sine licentia Papæ accedat, & absolutio reseruatur sedi Apostolicæ, aut summo Pœnitentiario; & inquit ipse D. Antoni-

nus,

nus, se legisse hanc excommunicationem in libro summi Pœnitentiarij.

k, 3.p.sum.tit.24.cap.30.

9 Explicantur omnia verba huius canonis a Suarez, ab Alterio, & a Duardo copiosissime, sicut etiam multæ difficultates soluuntur ad hanc materiam spectantes; legantur hi Doctores. Multa peregrinorum priuilegia enumerat Alter, & in primis, quod ipsi sub protectione sedis Apostolicæ securi consistunt. Duardus quærit, an Clerici peregrini sine ipsorum superiorum licentia Romam petentes, gaudeant beneficio huius Canonis, ita vt vulnerantes eos excommunicationem istam contrahant, & tandem negat, quoniam dum hi peregrinantur non habita ab eorum superioribus facultate, proculdubio mortaliter peccant, & maxime, si clerici sint in sacris, aut Religiosi intra monasterij septa viuentes. Quocirca non est verisimile, vt sub Apostolica protectione velint recipi, qui ecclesię præceptis contumaces sunt, & minime obtemperantes: eo quod frustra legis auxilium inuocat, qui cōmittit in legem. *l* Sed limitanda hæc conclusio, vt vera sit; vbi ecclesiastici scienter, ac dolose sine suorum Prælatorum licentia peregrinationem suscipiunt, scientes id non posse citra lethalem culpam; secus autem si ex probabili ignorantia existiment sibi licere, & non delinquere.

l, cap.fin.de immun.Eccl.

10 Si Clericus, qui Romam petijt sine licentia sui Episco-

Episcopi, ad lucrandas indulgentias, de sua contumacia pœnitentiam postea agat, & pia loca visitet, quamuis dum accederet beneficium huius canonis non fuerit potitus, nihilominus dum Romæ deuotionis causa moratur, & deinde ab ea recedit, arbitratur idem Duardus, eum non priuari dicto beneficio, atque adeo ipsum occidentes, aut mutilantes incidunt in excommunicationem nostri canonis: sicut etiam dicendum de his, qui infideles, hæreticos, schismaticos, interdictos, & suspensos, excommunicatos, ac irregulares, Romam peregrinantes occidunt; dummodo infideles peregrinationem susceperint, vt instruerentur in fide, & hęretici, & schismatici, ac excommunicati, vt resipiscerent, & prę- teritorum scelerum absolutionem reciperent.

11 *His enim hostijs, &c.* locus sumptus ex D. Paulo. *m* Hostias vocat Apostolus communionem, & beneficientiam; tum quia omnis actus bonus cuiuslibet virtutis relatus ad Dei honorem est actus religionis, itaque fit quasi hostia Dei; tum proprie, quia eleemosyna est quasi hostia non immolata, sed oblata Deo per manus pauperum, qui ex ea viuunt; gratissima autem est Deo, magisq; ei placet, quã sacrificium; adeo vt Deus sibi dari, & offerri æstimet id, quod datur pauperi; nã, vt Christus ait *n*, *quod fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mibi fecistis*; sic eleemosynam Apostolus, Græce vocat liturgiam *o*, simili modo idem Apostolus *p* eleemosynas Philippensium ad se missas vocat odorem suauitatis, hostiam

ſtiam acceptam, placentem Deo. Cornelius a Lapide.

m, *Heb.cap.13*, n, *Matth.25*. o, *2.Cor.9*. p, *Philip.4*.

12 Qui etiam reſpondet Caluino, & Bezæ calumniantibus, barbare, & male vertiſſe hic interpretem noſtrum, promeretur, quod nomen meriti inducat, cum illud non ſit in Græco; dicens, Græce eſſe εὐαρεστεῖται, id eſt, vt Chryſoſt. Theophil. Oecum. & Eraſm. vertunt, conciliatur, & placatur, ac conſequenter prouocatur, & inducitur Deus ad benefaciendum ijs, qui in alios ſunt benefici; quod quid aliud eſt, quam quod promereamur, ſiue conciliemus nobis Deum actiue, vel paſſiue, quod Deus hiſce promereatur, id eſt demereatur, & concilietur, vt annotauit Eraſm. eſt enim promereor verbum deponens, ac proinde tam paſſiue, quam actiue capi poteſt.

13 Sicut ergo muneribus promeremur, & conciliamus nobis Principes, vt nobis ſint amici, propitij, benefici; ita eleemoſyna, & bonis operibus conciliamus, & promeremur Deum, vt nobis magis fiat amicus, propitius, & beneficus; bona enim opera noſtra Deus habet loco beneficiorum, vt quot bona opera facimus, tot Deus ſibi a nobis collata æſtimet beneficia, quæ ipſe vti liberaliſſimus eſt remunerari, ſuaque gratia, & gloria compenſare, ijſque tanquam meritis mercedem ampliſſimam retribuere ſtatuit, & decreuit. Syrus vertit, ſcaphar, id eſt pulchreſcit Deus q. d. eleemoſyna noſtra Deo miræ

eſt

est voluptati, illa se pascit, oblectat, pulchrescit, hilarescit, & gloriatur.

SECTIO LIX.

SYNOPSIS.

1. Per personas in dignitate Ecclesiastica constitutas qui veniant hic in Bulla. 2. & 3. Quibus modis Bulla indictionis S. Iubilei offendatur. 4. Romanæ curiæ vsus describendi numerum annorum ab Incarnatione. 5. Vrbs Veneta deuotissima Mariæ Virginis, & eius conceptionis. 6. & 7. Semper libera, à Summus Pontificibus Christianissima vocata. 8. litteræ Pij II. ad Principem Venetiarum. 9. Cianus Princeps Othonem Friderici maritimo prælio vicit, & ad Alex. Pont. duxit. 10. Princeps Venetiarum quotannis annulo in mare iacto Adriaticum sibi despondet. 11. Victorelli Historia de XII. Iubileis Anni Sancti, opus Eruditione, & pietate refertus. 12. & 13. A quo die soleant numerari Anni Pontificatus. 14. Cur Apostolorum limina nominata sint.

VT VERO PRÆSENTES LITTERÆ AD OMNIVM FIDELIVM QVIBVSCVNQ; LOCIS EXISTENTIVM NOTITIAM FACILIVS PERVENIANT, VOLVMVS EARVM EXEMPLIS ETIAM IMPRESSIS, MANV NOTARII PVBLICI SVBSCRIPTIS, AC PERSONÆ IN DIGNITATE ECCLESIASTICA CONSTITVTÆ SIGILLO MVNITIS, EANDEM PRORSVS FIDEM HABERI, QVÆ HABERENTVR IISDEM PRÆSENTIBVS SI EXIBITÆ FORENT, ET OSTENSÆ. NVLLI ERGO OMNINO

HOMINVM LICEAT HANC PAGINAM NOSTRÆ INDICTIONIS, PROMVLGATIONIS, CONCESSIONIS, IMPARTITIONIS, HORTATIONIS, ROGATIONIS, ET VOLVNTATIS INFRINGERE, VEL EI AVSV TEMERARIO CONTRAIRE; SI QVIS AVTEM HOC ATTENTARE PRÆSVMPSERIT INDIGNATIONEM OMNIPOTENTIS DEI, AC BEATORVM PETRI, ET PAVLI APOSTOLORVM EIVS, SE NOVERIT INCVRSVRVM. DATVM ROMÆ APVD SANCTVM PETRVM, ANNO INCARNATIONIS DOMINICÆ MILLESSIMO SEXCENTESIMO VIGESIMO QVARTO, TERTIO KAL. MAII PONTIFICATVS NOSTRI ANNO PRIMO.

1 V*T vero*, &c. Sequuntur clausulæ generales apponi solitæ in omnib. Bullis Pontificum. Per personas in dignitate ecclesiastica constitutas hoc loco non intelligit Romanus Pontifex eos, qui beneficia obtinent, dignitatem habentia sine iurisdictione, vt Archipresbyter, Archidiaconus, Primicerius, Thesaurarius, siue Sacrista, & his similes, qui nomine tantum, iuxta loci consuetudinem dicuntur esse in dignitate; Sed per perso-

nas

nas in dignitate ecclesiastica constitutas intelligit illos, qui iurisdictionem habent ecclesiasticam, vt sunt Episcopi, Archiepiscopi, & alij Prælati maiores, ac eorum Vicarij maiores. Item Abbates, Priores, Præpositi, Guardiani, & alij Præfecti, qui toti conuentui, seu Collegio Religiosorum præsunt, habentes administrationem, curam, & iurisdictionem. Item Cancellarij Academiæ auctoritate Pontificia approbatæ, quia omnes isti habent iurisdictionem; & fungi possunt munere Iudicis delegati, & conseruatorum Apostolicorum Sic Duardus. a

a, *in Com. Bullæ Cænæ Domini circa finem.*

2 *Nulli ergo hominum &c Infringere, vel ei ausu temerario contrarie*, Hæc verba significant modos, quibus contingit Bullam istam indictionis sancti Iubilei offendi, offenditur enim primo eam infrigendo; Secundo eidem ausu temerario contradicendo. Per primum modum offenditur Bulla non solum ipsam frangendo, & conscindendo, sed etiam atramento, vel alia materia coinquinando, & cancellando; quia his casibus militat eadem ratio. b

b, *ar. tex. in l. illud ff. ad l. Aquil.*

3 Per secundum modum potest adhuc dupliciter offendi Bulla ipsa. Primo negando Romanum Pontificem habere potestatem cōdendi huiusmodi Bullam, & tunc, qui sic Bullæ huic contrairet, proculdubio esset hæreticus. Nam negaret Papam posse

Indulgentias concedere, quæ est hæresis manifesta. Secundo modo offenditur Bulla nostra, & denique impugnatur, cum quis credit Romanum Pontificem posse Anni Sancti Iubileum indicere, verum ipsam Bullam negligit, aut hortatur alios ipsam non recipere, aut non promulgare; non tamen hæreticus est iste, licet mereatur indignationem Dei, & Apostolorum, quæ verba denotant culpam, & pœnam, vt probat Duardus, & alij Doct. qui explicant Bullam Cęnæ Domini; Culpa erit lethalis; pęna vero excommunicationis; si credat Papam non posse Indulgentias largiri; secus arbitraria.

4 *Datum Romæ, &c.* An vero ad validitatem, & robur constitutionis necesse sit exprimere tempus, & locum, legatur hic Alter; qui hanc quæstionem diffusè pertractat; qui etiam respondet quæstioni, cur scilicet summus Pontifex dicat, *Anno incarnationis Dominicæ, Millesimo &c.* & non computet potius a Natiuitate Domini, dicens, hunc morem, & vsum retinuisse semper Romanam Curiam; vt in literis Apostolicis describat numerum Annorum ab Incarnatione, scilicet tribus mensibus elapsis a diç Natiuitatis. Hunc morem, & vsum retinet etiam mea Patria, Veneta Vrbs, quæ ab alijs præcipue in eo distat, quod a Christianis viris condita, pietatem orthodoxæ fidei semper est integrè complexa. Habuit enim diem natalitium suum Octauum Kalen. April. videlicet ipsissimam Incarnationis diem.

5 Hinc etiam orta est singularis illa huius Vrbis

deuo-

deuotio, ac filialis erga Mariam Virginem affectus. De hac deuotione vrbis Venetæ in Deiparam multa scribit Bernardinus de Bustis [c], & inter alia, quod hæc Vrbs semper fuerit Conceptionis ipsius Virginis deuotissima, & huic deuotioni præcipuę felicitatem eius, ac diururnitatem assignat. Sed quid mirum si Veneta vrbs semper crediderit, & asseruerit, Virginem Matrem sine originali peccato fuisse conceptam, cum & ipsa sine infidelitatis peccato concepta fuerit? Iure igitur semper libera, quia semper peccati expers; nam seruitus non nisi a peccato orta. Conditio enim seruitutis, ait D. Augustinus [d], iure intelligitur imposita peccatori. Proinde nusquam scripturarum legimus seruum, antequam hoc vocabulo Noe iustus peccatum filij vindicarit. Nomen itaque illud culpa meruit, non natura. Narrat idem Bustius, quod in Creta eius vrbis pro Veneta Republica Præses quendam concionatorem immaculatam Virginis conceptionem improbantem, è suggestu descedere iussit.

c, in Mariali. d, lib. 19. de ciuit. cap. 15.

6 Hanc Vrbis Venetæ libertatem agnouerũt Imperatores Orientis, & Occidentis, Nicephorus Patritius, & Carolus Magnus. Hi enim anno Domini DCCC. in Imperij diuisione, & fęderis conditionibus adiectum esse voluerunt, vt Venetiæ liberæ ab vtroque Imperio, Græco, & Latino forent. Honorius Romanus Pontifex Venetam Rempublicam christianissimam appellauit, vt scribit Baronius [a]

quo

quo insigni gloriæ titulo, non nisi de Romana ecclesia bene merẽtes solent exornari. Sed et præter egregium titulum quid præterea fuerit eadem Resp. Veneta virtutis merito ab eadem sede Apostolica consecuta, gloriose prædicat Gregorius Septimus, e sic scribens ad Dominicum Ducem, & populum Venetiarum. *Scitis enim, quoniam præ multis terrarum partibus diuina dispensatio terram vestram Patriarchatus honore sublimauit, cuius dignitatis eminentia, ex sui ipsius nominis, & officij prerogatiua adeo augusta, & rara est, cum non amplius, quam quattuor in toto mundo reperiantur.* Et paulo post, *Post Apostolicam sedem, omnibus, quæ sunt in occidente gentibus clariores extitistis.*

d, 8.*Tom. An. an.* 630. e, *lib.* 2. *epist.* 39.

7 Pius II. in hęc verba pleno Consistorio alta voce prorupisse dicitur; Benedicti sint filij nostri Veneti, benedicta sit eorum tam pia, tam sancta intentio, benedicat Deus Christianissimam Rempub. & Senatum eorum adiuuet. Petrus Iustinianus f qui etiam recitat litteras eiusdem Pontificis ad Marcum Principem.

f, *lib.* 8. *Rerum Venetarum ab Vrbe condita.*

8 *Pius II. Episcopus Seruus Seruorum Dei, Dilecto Filio nobili viro Christophoro Mauro Duci Venetiarum salutem, & Apostolicam benedictionem. Quod iam pridem occulto concepimus animo, nunc in lucem venit, et omnibus patefactum est, æstate proxima in expeditionem contra Turcos exibimus, & Apostolicus sa-*

cer

cer Senatus comes erit; nec deerunt robustæ militũ cohortes, quæ nobis oratione pugnãtibus ferro dimicent. Decretum nostrum publice lectum est, XI. Kal. Nouemb. in auditorio nostro; quod promisimus, fauente altissimo perficiemus, neque irrita inuenientur verba nostra, quanto per facultates licebit, tanto fortiores in bellum proficiscemur; comitabitur & nos, Deo propitio, dilectus filius Philippus Burgundiæ Dux, ex alto Francorum genere natus, quem validas, & expertas in armis copias adducturum non dubitabimus. Spem non paucam in eius exercitu collocabimus; nec minorem in classe tua, quam paullo ante in Peloponessum nauigare iussisti; cuius egregia facinora, & priscis æquanda mirabilibus referuntur, perseueraturam hanc in bello contra Turcos nobiscum, & cum præfato Duce, fiduciam gerimus; quoniam cum oratore tuo ita conuentum est; nec dubium nos habet, quin totis conatibus hoc bellum adiuues, quod pro fide catholica suscipitur. Hæc quamuis magna sint, prosperitatemque haud dubiam promittere videantur, multo tamen & maiora, & clariora essent, victoriæque certiorem spem præseferent, si tu ipse in bellum ires, teque nobis adiungeres, Reip. Venetæ ductor, & Princeps. Multum in rebus bellicis auctoritas valet, & Maiestas, ac gloria Principum; terrenturque sæpe magnis nominibus hostes; & fama magis, quam re ipsa dissipantur; multum (crede nobis) affert terroris inimicis nostris magni Burgundiæ Ducis præsentia; nos quoque propter Apostolicæ sedis dignitatem hostilem metum non nihil augebimus,

quod

quod si tu pariter accesseris Bucinatoria naui, & Ducalibus sublimis insignibus; non Grecia solum, sed Asia quoque, & omnis exterrebitur oriẽs; nec dubium, quin simul iuncti pro sancto Euangelio, proque gloria nostri Dei, auctore ipso res clarissimas gerere valeamus. Hortamur igitur nobilitatem tuam, vt nostro in hac parte desiderio satisfacere non postponas; accingere huic bello, atque res tuas ita disposito, vt nobis mare ingredientibus præsto adsis apud Anconam te nobis coniungere; erit Reip. Venetæ valde gloriosum, & Reip. Christianæ admodum salutare; tu vero æternæ vitæ præmia consequeris. Scimus apud Venetos non esse nouum, vrbis Principem in classem descendere, ac bellum gerere; quod si vmquam licuit, nunc maxime licet, quando pro religione certamen adest, & Christi Saluatoris causa geritur. Veni ergo fili, neque laborem recuses, quem nos sponte subimus; neque te senem dixeris, tamquam propter ætatem debeas excusari. Philippus quoque Senex est, et multo lõgiorem, quam tu ipse facturus est viam, & nos etiam senectus inuasit, annos duos de sexaginta natos: accedunt morbi, qui nos dies, ac notes vrgent; nec tamen detractamus in bellum ire: noli tamquam senem, aut debilem huic tam sancto, & tam necessario bello te subtrahere, consilium tuum, & auctoritatem quærimus, non lacertorum robur, aut alias corporis vires, quod Philippus in bello præstabit; hoc ex te desideramus, Cura, vt uenias; tres erimus Senes, in Trinitate Deus gaudet; Trinitatem nostram cælestis Trinitas adiuuabit, & ante oculos nostros conteret hostes.

Expe-

Expeditio ista senum appellabitur, quia senes bello praerimus; iuuenes tamen brachia exercebunt, & pugnam conferent, atque hostem conficient; verum consilio, ductuque nostro. Praclara res est, ad quam te inuitamus; fac, ne desis. Nec mortem metuas, quæ vitam tribuit meliorem. Moriendum est etiam omnibus in hoc seculo; nec quidquam melius est, quam bene mori, nec honestius mori licet, quam in causa Dei. Veni ergo, & consolare nos: aut cum victoria reuertemur, præstante Domino: aut si aliter in cęlo decretum fuerit, eam sortem feremus, quam dabit diuina pietas. Male nobis esse non poterit, voluntatem nostram cęlesti beneplacito subijcientibus. Dat. Romæ. Anno Incarnationis Dominicæ M.CCCCLIII. Octauo Idus Nouembris.

9 Sciebat Pontifex, Cianum Principem, Classe ingenti comparata, Othonem Friderici maritimo prælio vicisse, & ad Alexandrum Pontificem duxisse. Vnde mox fracta Imperatoris peruicacia, cum & ille ad Pontificem supplex Venetias in ędem Diui Marci auream venisset; pace conciliata, & vtrumque mox abeuntem Cianus Princeps deducens, Imperatorem Rauennam vsque, Pontificem aliquanto vlterius, nauatæ operę illustria monumenta ab optimo Pontifice retulerit, tubas argenteas, vmbellam, auratamque sellam, puluinum aureum, & vexilla sex versicoloria, Pontificium pręterea, Imperatoriumque tantum munus plumbo signandi litteras ius. Egnatius. g

g, *De exempl. illustr. vir. Veneta Ciuit.*

Ooo In me-

10 In memoriam huius naualis victoriȩ Princeps annulo in mare iacto quotannis Adriaticum sibi despondet. Pontifex enim Ciano Principi annulum de manu sua detractum obtulit, dicens. Auctoritate mea hoc annulo fretus Oceanum tibi subijcies; & quotannis tibi, posterisque eo die, quo hanc victoriam, pro Ecclesiȩ defensione obtinuisti, despondebis mare; vt sciant omnes, maris tibi dominium concessum, quia Sedis Apostolicæ tuendæ curam, & studium fideliter suscepisti. Sit hoc tibi, quasi pignus benedictionis, & secundæ sortis in futurum. Sic ex Sabellico Delrio [h]. Vrbanus Octauus Indulgentias ab Alexandro III. concessas Ecclesijs Sancti Marci, S. Iacobi, & Charitatis, in præsenti etiam Anno Sancto Iubilei, non obstante omnium Indulgentiarum suspensione, in gratiam serenissimȩ Reipublicȩ tam de S. R. E. bene meritæ, ad suum pristinum robur reuocauit.

h, *Mag. disq. Tom. 2. lib. quæst. 6. sect. 3.*

11 De suspensione Indulgentiarum, quæ solet fieri durante Anno Sancto multa supra diximus, nonnulla etiam circa id modo legi apud Victorellum in sua Historia Iubileorum celebratorum, tempore Bonifacij VIII. Clementis VI. Vrbani VI. Bonifacij IX. Martini V. Nicolai V. Sixti IV. Alexandri VI. Clem. VII. Iulij III. Gregorij XIII. & Clementis VIII. quam Historiam Dominus meus Illustrissimus, & Reuerendissimus Ioan. Theopulus Patriarcha modo mihi legendam tradidit, ab ipso Auctore

Roma

Roma sibi redditam. Vtinam antea mihi licuisset eam videre, sic enim mea hæc Commentaria multo locupletiora prodijssent Multa notabilia affert hic eruditissimus, & pijssimus Auctor in hac sua Historia, quæ summam, & eruditionem, & pietatem redolent, & sapiunt. Scribit ex Scriptoribus rerum Polonicarum Nicolaum V. ad intercessionem Sbignei Cardinalis Cracouiensis, concessisse pro vniuerso Regno Poloniæ, & Magno Ducatu Lusitaniæ annum Iubileum, qui a mense Decembri ad finē Augusti durauit; & eundem Pontificem Cracouiæ, Gneznæ, Leopoli, & Vilnæ, eiusdem anni Iubilei gratiam, ad spatium vnius anni, post peractum Romanum, largitum fuisse.

12 Posset tandem quis quærere ob illa postrema verba, quæ summus Pontifex addit nempe, *Pontificatus nostri anno primo*, a quo die enumerari soleant Anni Pontificatus, nimirum an ab electione, quando creatur Papa, vel ab ipsa consecratione, & coronatione. Ad hanc quęstionem respondet Alter, summum Pontificem, statim ac canonice, & legitime est electus, accipere summam auctoritatem a Deo; illamque exercere, & administrare posse erga omnes fideles, & omnia gesta per ipsum ita esse valida ante coronationem, sicut si fierent post coronationem; hoc manifeste definitum habetur a Clemente Sexto. Et ita sentit Felinus ab ipso Alterio citatus, dicens, Papam ante coronationem appellari Episcopum, Seruum Seruorum Dei, neque vocari ele-

ctum, sed Papam. Imperator vero ante coronationem appellatur electus, vt etiam hic in Bulla a summo Pontifice, & ab ecclesia in diuinis officijs; sed tamen ex electione plenum ius Imperij consequitur, & administrare potest omnia, quæ ad Imperatoris iurisdictionem spectant, quia est verus Imperator, cui ex coronatione nihil noui Iuris accedit. Ita Alter, licet Felinus [f] oppositum sentiat; Extat textus. [g] vbi Glos. & Bald. tenent Imperatorem ante coronationem non habere plenitudinem potestatis, licet habeat generalem administrationem, & dies coronationis dicitur ortus Imperij, nec dicitur Imperator, nisi corona suscepta, [h] sicut nec Archiepiscopus, nisi recepto pallio, vt inquit Glos. [i]

f, *in cap. eam te num. de rescript. in Extrauag. Quia nonnulli. de sent. excom. & est postrema inter omnes extrauag. communes.* g, *l. fin. in fin. C. de quadrien. præscripti. ibi. & ex quo Imperiales suscepimus Infulas.* h, *l. ante pen. ff. de milit. Testam.* i, *in fi. lib. 6. Decret. super Data Ver. Pontificatus.*

13 Sed licet hæc verissima sint, & nemo inficiari debeat, Romanum Pontificem ab electione facta a duabus partibus Cardinaliũ Pontificatum assumere; Tamen non idcirco oportet negare quæ a Glos. referuntur de stylo, & consuetudine, quam dicit seruare Romanam Curiam in exprimenda Data in litteris Apostolicis, ante coronationem Papæ, [l] cum inquit, Ante coronationem Datam ita describi solere, scilicet. *Data suscepti a nobis Apostolatus officij Anno &c.* similiter Papam nõ subscribere se Episcopum,

pum, sed electum Episcopũ; & tandem non vti Bulla pro sigillo integra, sed mediata, nam ex vna parte habet capita Apostolorum Petri, & Pauli, ex alio latere, vbi describitur nomen, est plana, & nullam habet impressionem, sed dicta Glos. tantum intendit ostendere consuetudinem Romanæ Curiæ, ex qua non sumitur argumentum ad probãdum, Non licere Romano Pontifici ante coronationem efficere quæcunque liceat post coronationem, ex defectu potestatis, sed tantum voluntatis; nempe quod velit, ante quam agrediatur fungi munere Apostolicæ dignitatis, seruare omnes sollemnitates, & sacras cærimonias ab ecclesia institutas ad implorandam opem diuinam, vt in Apostolicæ dignitatis apice constitutus Deo in omnibus placeat, ita Alter, qui etiam aperit sensum illius Extrauag. citatæ. [m]

l, *in fin. lib. 6. Decret. tit. de reg. iur. Verb. Pontificatus*. m, *quia nonnulli, de sent. excom.*

14 Audiant igitur omnes fideles Apostolicam, atque paternam vocem, & tubam cum tanta animi reuerentia excipiant, vt per cęlestem sonum illius, omnium corda fidelium ad efficiendum, quod ab illis significatum est, efficaciter impellantur. Veniant ad Apostolorum limina, quæ sic frequentabantur a fidelibus, & præcipue ab Episcopis, qui ea quotannis visitabant, ex decreto Anacleti, & Zachariæ [n], & innuit Gregorius. [o] Cur vero Apostolorum limina nominata sint, Baronius [p] causam refert ad reuerentiam, obseruantiamque religiosam, quia moris

erat

erat adeuntibus eorum Basilicam, ante illius ingressum ad limina procumbere, postesque deosculari, & ibi preces fundere. Sidonius q testator se ipsum liminibus Vaticanæ Basilicæ affusum, omnem protinus sensisse membris male fortibus explosum esse languorem. Imperatores ipsi etiam post mortem extra Apostolorum vestibula Cõstantinopoli sepeliri volebant, fierique piscatorum hac ratione ostiarij, vt scribit Chrysostomus r; vt omittam Reges, maxime Anglos, ac principes, qui sibi domicilium, ac fixam sedem prope templum Petri, vbi perpetuo degerent, velut quidam, vt vocant, mansionarij, ac æditui, constituerunt.

n, *d.cap.sanctorum.* o, *lib.1.epist. 9.* 70. p, *in notis martyrol.18. Nouemb.& Tom.1. Annal.an.69.* q, *lib.1.epist.5. cum Scholiaste Sauaron.* r, *Homil.quod Christus sit Deus.*

LAVS DEO, INTEMERATA VIRGINI, ET P. MEO D. HIERONIMO.

Tibi vero, ò pia, & veneranda Mater S.C. & A. Ecclesia Romana, hoc quidquid est libelli, censendum, iudicandumque offero, & subijcio.

BVLLA S.D.N. D. VRBANI
DIVINA PROVIDENTIA
PAPÆ VIII.

Suſpenſionis Indulgentiarum, & facultatum abſoluendi in Anno Iubilei.

VRBANVS EPISCOPVS SERVVS Seruorum Dei ad futuram rei memoriam.



CVM nuper ſancti Iubilei celebrationem a vigilia Natiuitatis D.N. Ieſu Chriſti anni proximè vent. inchoandam, & vſque ad finem eiuſdem anni duraturam, vniuerſo populo Chriſtiano de Ven. Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium aſſenſu indixerimus, ac omnibus vtriuſq; ſexus Chriſti fidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis, qui beatiſſimorum Petri, & Pauli Apoſtolorum Baſilicas, & Sancti Ioannis Lateranen. ac Beatæ Mariȩ Maioris de Vrbe Eccleſias viſitarent, pleniſſimam omnium peccatorum ſuorum indulgentiã, remiſſionem, & veniam conceſſerimus, prout in noſtris nuper deſuper confectis litteris plenius continetur. Cupientes, vt Chriſtianæ nationes ex omnibus terrarũ orbis locis in Alma Vrbe noſtra in fidei, ac religionis vnitate congregatæ, eodem pietatis, ac deuotionis ſpiritu Baſilicas, &

Ecclesias prædictas, quo maximo fieri poterit concursu, durante eodem Iubileo, visitent, & frequentent, multorum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum exemplo adducti, omnes, & singulas indulgentias, etiam perpetuas, & peccatorum remissiones, ac facultates, & indulta absoluendi etiam in casibus Sedi Apostolicæ reseruatis, etiam in litteris die Cœnæ Domini legi solitis contentis quibusuis Ecclesijs, Monasterijs, Hospitalibus, etiam Sancti Ioannis Hierosolymitani, Domibus, Militijs, Ordinibus, etiam Mendicantium, Congregationibus, Confraternitatibus, etiam laicorum, Vniuersitatibus, & pijs locis, illorumque Ordinibus, Capitulis, Conuentibus, Magistris, Superioribus, & tam secularibus, quàm quorumuis etiam Mendicantium Ordinum Regularibus personis, Coronisque, Granis, Imaginibus, & Numismatibus ex metallo, seu quacumque alia materia confectis, tàm singulariter, quã vniuersaliter per quoscunque Romanos Pontifices prędecessores nostros, ac etiam Nos, etiam ad instantiam Imperatoris, Regum, Ducum, & aliorum Principum; aut ipsis, etiam Imperatori, Regibus, Ducibus, & Principibus, vel alijs quacumque alia mundana, vel Ecclesiastica dignitate, etiam speciali nota digna fulgentibus, etiam ad instar Iubilei, aut alias quomodocumque, & ex quibusuis causis, & occasionibus sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac aliàs quomodolibet

con-

concessis, quorum omnium tenores, formas, derogationes, & decreta præsentibus pro expressis haberi volumus Apostolica auctoritate, de eorumdem Fratrum consilio, & assensu, ac Apostolicæ potestatis plenitudine suspendimus, & suspensas esse declaramus, easque & ea, eodem anno durante, nulli prodesse, aut suffragari debere, irritum quoque, & inane decernimus si secus super his a quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca per præsentes auctoritate Apostolica præcipimus, & mandamus, ne interim aliȩ, quàm indicti a Nobis prȩdicti Iubilei indulgentiȩ, siuè publicè, siuè priuatim quouis prætextu, vbiuis locorum, & gentium sub excommunicationis, eo ipso incurrendæ, alijsque arbitrio Ordinariorum infligendis pœnis publicentur, vel nuncientur, aut in vsum demandentur. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon Ecclesiarum, Monasteriorum, Conuentuum, Ordinum, Congregationum, Hospitalium, Confraternitatum, Vniuersitatum, Collegiorum, & locorum, aliorumq; prædictorum etiam iuramento confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoq; exemptionibus, & indultis Apostolicis illis, eorumque Superioribus, & personis, ac alijs quibuscumq. per eosdem Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac Nos, & dictam sedem, eiusque Legatos, sub quibuscumq; tenoribus, & formis, ac cũ quibusuis clausu-

lis, & decretis, & ex quibusuis causis concessis, confirmatis, & innouatis, quibus omnibus etiamsi in illis caueatur expresse, quòd sub similibus, vel dissimilibus suspensionibus nequaquam comprehendãtur; nisi de illis specialis, & indiuidua mẽtio fiat, illis aliàs in suo robore permansuris ad effectum præmissum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrarijs quibuscumque. Et quia difficile nimis esset præsentes, quocumque, vbi illis opus fuerit, præferri, Volumus earum exemplis etiã impressis Notarij publici manu, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ obsignatis, eandem prorsus fidem in iudicio, & extra vbique locorum adhiberi, quæ adhiberetur præsentibus, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ suspensionis, declarationis, decreti, præcepti, mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo sexcentesimo vigesimo quarto Sexto Non. Maij Pontificatus Nostri Anno Primo.

I. DAT.

Fantinus Rentius.

A. Gaillot.

Registrata in Secretaria Breuium.

Anno à Natiuitate D. N. Iesu Christi Millesimo sexcentesimo vigesimo quarto, Indictione septima, die vero 17. mensis Maij, Pontificatus Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Vrbani diuina prouidentia Papæ VIII. anno primo, supradictæ litteræ Apostolicæ publicatæ, & affixæ fuerunt ad valuas Basilicarum Sancti Ioannis Lateraneñ, Principis Apostolorum de Vrbe, ac Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ dimissis ibidem earundem litterarum originalibus appensis per aliquod temporis spatium, & exinde amotis, deinde dimissis earundem litterarum copijs affixis, vt moris est, per nos Camillum Fundatum de Cesis, & Brandimartem Latinum S.D.N. Papæ prælibati Curs.

Octauius Spada Mag. Curs.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.



Ontificia sollicitudo, quamuis omnium Christi fidelium saluti prospiciat, præcipue tamen spiritualibus Sanctimonialium profectibus, paternæ charitatis affectu, studet prouidere; ipsæ enim sunt filiæ, quæ oblitæ populum suum, & domum patris sui, animi splendore cœlestem regem oblectant: ipsæ sunt prudentes virgines, quæ lampades suas, charitatis flamma succensas, prouidè aptantes, meliorem partem elegerunt, & dum vitam cælitus petitam ducunt, non modo sibi ipsis ad cęlum viam sternunt, sed ieiunijs, vigilijs, & orationibus cæteris quoque Christi fidelibus eam aperire student. Quare summoperè optandum est, vt vitæ rationem, quæ eas Angelis quodammodo æquat, constantissimè retineant, ac dent operam, vt sicuti præclaros hic agunt de carne in carne triumphos, ita post huius vitæ certamina in cœlesti patria feliciter coronentur. Quoniam autem consimile vitæ genus quamplurimi Anachoretæ, atque Eremitæ, vt supernarum rerum contemplationi securius vacent, laudabiliter elegerunt, spiritualibus quoque ipsorum incrementis, paternis visceribus, maximè ducimus consulendum. Cum igitur tam ipsi, quàm prædictę

Sancti-

Sanctimoniales perpetua viuant clausura mancipatæ, necnon multi, vt accepimus, vtriusque sexus Christi fideles, partim carceribus detenti, partim verò diuturna infirmitate præpediti, non solùm in Alma Vrbe nostra, & Italia, sed alijs etiam regionibus, prouincijs, & locis reperiantur, qui, & quæ respectiuè impedimentis huiusmodi remotis, pro percipiendis præsentis anni Iubilei fructibus ad Almam Vrbem nostram omnino venirent, & Basilicas, Ecclesiasque ad id deputatas, benedicente Domino, indubitanter visitarent, ob prædicta impedimenta, ad Vrbem huiusmodi minimè venire, neque respectiuè Basilicas: & Ecclesias ipsas visitare valeant: Nos pro pastoralis officij nostri debito, paternaque charitate, illorum omnium animarum saluti, quantum cum Domino possumus, prospicere volentes; Omnibus, & singulis Sanctimonialibus, necnon Anachoretis, atque Eremitis huiusmodi, necnon vtriusque sexus Christi fidelibus, tam carceratis, quàm infirmis prædictis tantùm, & qui aliàs impedimentis longæ carcerationis, ac diuturnæ infirmitatis cessantibus ad hanc Almam Vrbem pro thesauris spiritualibus huiusmodi consequendis venturi fuissent, verè pœnitentibus, & confessis, quòd in locis vbi eos esse contingerit, pia Christianæ pietatis, & charitatis opera, iuxta formam ab Ordinarijs locorum, seu Sanctimonialium, & Anachoretarum, Eremitarumque huiusmodi Superioribus, vel de eorum mandato, à prudente Confessario; in Alma verò

Vrbe

Vrbe a dilecto filio nostro Vicario, seu eius Vicesgeren. tantum, præscribendam, pro cuiuslibet statu, & conditione, ac loci, & temporis ratione habita, exercendo, & alia nostris in litteris Indictionis Anni Iubilei contenta adimplendo, omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones, etiam plenissimè consequantur, & eorum quilibet consequatur, quas consequerentur, & consequi possent, si in hoc præsenti anno Iubilei, diebus ad id statutis, quattuor ad id deputatas Basilicas, & Ecclesias Almę Vrbis, & extra illius muros, pro quibus visitandis Iubileum, & indulgentiæ prædictæ concessæ sunt, personaliter visitarent, & eorum quilibet visitaret, eisdemque Sanctimonialibus, & Christi fidelibus impeditis huiusmodi, vt ad effectum præsentium, Confessarios presbyteros seculares, vel cuiusuis ordinis regulares, ab eisdem Ordinarijs locorum ad id probatos, qui confessionibus eorum diligenter auditis eos, & eorum quemlibet a quibusuis peccatis, criminibus, & delictis quantumcumque grauibus, & enormibus, etiam Apostolicæ Sedi reseruatis, etiam in Bulla Cœnæ Domini contentis, iniuncta eis pœnitentia salutari, absoluere possint, eligere valeant, auctoritate Apostolica, tenore præsentium concedimus, & indulgemus. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrarijs quibuscunque. Volumus autem, quod præsentium litterarum transumptis etiam impressis manu Notarij publici subscriptis, & sigillo

alicuius

alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prosus vbique fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die xxviij. Ianuarij M. DC. XXV. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

V. Theatin.



Qqq IN-

INDEX RERVM MEMORABILIVM, QVAE HIS COMMENTARIIS CONTINENTVR.

A



Animæ

D

E

Fabu-

F

G

I

L

M

trans-

N

Sabba-

S

F I N I S.

ADDITIO

ad num. 7. Sect. 18.



VMMVS Pontifex in Bulla tenet, vti vidimus, quod exules in Anno Iubilei Patriam repeterent. Et iure quidem. Nam Leuit. 25. sic ad Moysen Deus. *Sanctificabis annum quinquagesimum, & vocabis remissionem cunctis habitatoribus terræ suæ; ipse est enim Iubileus. Reuertetur homo ad possessionem suam, & vnusquisque rediet ad familiam pristinam;* idest, ad domos proprias, à quibus exularunt. Nec valet quod dicit hic Tostatus, quod exules non perdiderunt familiam, quia et si non perdiderint ipsam quoad gentilitium cognomen, tamen extorres facti, perdiderunt eam quoad fructum, carẽdo scilicet per totum tempus exilij dulcissima parentum consuetudine.

Confirmatur ex illo Isaiæ 61. *Spiritus Domini super me, eo quod vnxerit Dominus me, ad annunciandũ mansuetis misit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, & clausis apertionem. Vt prædicarem annum placabilem Domino;* idest, Annum diuinæ beneuolentiæ, placationis, propensæ in homines voluntatis, & liberalitatis, qualis erat Annus Iubilei, in quo omnes serui fiebant liberi, omniaque debita, & onera condonabantur, atque

Ttt exules

exules in proprias familias, patriasque restituebantur. Ait enim ipse Propheta, *& clausis apertionem*, quales sunt in carcere detenti, vt erant apud Hebræos exules, qui tanquam in carcere detinebantur clausi in ciuitatibus refugij. Debebat enim, vt ait ipse Tostatus, exul perpetuo manere in Vrbe refugij, quia lex hoc iusserat, & ideo si exibat, poterat occidi.

Addamus, quod Annus Iubilei erat Annus remissionis, & ideo quinquagesimus, qui, teste Ambrosio, in Apoleg. Dauid c.8. remissionis, & Indulgentiæ numerus est. Et hæc remissio erat plena, vt scribunt Doctores, quæ tamen non fuisset, si tantũ debita, & non etiam exilij pœna relaxaretur.

Nauar. com. de Iubileo notab. 2. In Iubileo, inquit, plena remissio præstabatur; & constat ex eo, quod illo anno serui libertate donabantur, debita relaxabantur, & prædia diuendita ad antiquos possessores reuertebantur, immo & exules quoque in patriam, & pristinam libertatem redibant, iuxta illud Leuitici, *Sanctificabisque Annum &c.* Huius sentẽtiæ est etiam Lyranus, vti diximus, & multi alij Doctores; ac nouissimè eam amplectitur Pintus in suo Crucifixo lib. 5. Tit. 5. loco 7. num. 4. dicens, quod hæc Iubilei remissio, atque libertas in seruis potissimum Israelitis cernebatur, quos Iubileus libertate donabat, & exules in proprias familias, patriasque restituebat.

Et postea, licet lex de exulum liberatione ab refugii

fugii vrbibus, & exiliis in Pontificis morte litteralis fuerit, tamen, nisi aliqua typica intercessisset significatio, periculosa fuisset, & ipsi quidem Pontifici exitialis, alijs vero, ad malum ille celebrosa. Nam Pontificis mortem optassent, ac forte machinati fuissent aliqui, vt suo quam citissime ostracismo defungerentur, ad suosque redirent. Hanc enim ob caussam iure vetitum canonico videmus, ne certi Ecclesiastici beneficij expectatio sit; & ad parricidia interdum, fictasque lacrymas hæreditatum inuitat cupiditas. Vnde dicendum est, hanc legem potius fuisse propter typum, & significationem latam, & toleratam, quam propter exulum liberationem. Ergo ipsorum exulum liberationi lex magis specialis, & propria suffragari debebat, quæ alia esse non potuit, nisi illa plenissimæ remissionis in Anno Iubilei.

Concludendum igitur est, exules bis redijsse ad patriam, & familiam, & in morte Pontificis, & in Anno Iubilei. Bongus in suo de Numerorum Mysterijs, num. vij. huic sententiæ. & ipse subscribit; Fuit quidem, ait, septenarius apud S. Moysen remissioni, & indulgentiæ consecratus. Septimo mense cuiuslibet anni, & septimo quoque anno fiebant remissiones. Et post quadratum septenarij cuiusque obligationis remissio condonabatur; quippe si quis possessionem distraxisset, recipiebat: si liber seruitutem incidisset, iterum libertatem assequebatur; indulgentiam debitor accipiebat; exùl in patriam redibat, vt in Leuitico legitur.

Et

Et sic in hoc anno quinquagesimo nullus erat seruus, nullus captiuus, nullus debitor, nullus exul, omnes liberi, vt omnes possent iubilare, ac lætari. Sed quomodo exules iubilare, & lætari potuissent, si in anno Iubilei non rediissent in patriam, cum miserum valdè sit, seruile, ac morte æquale, a natali solo abesse?

Erratorum correctio, ad quam difficultate occurrente recurrendum est.

Prior numerus paginam, posterior lineam indicat.

2	25		Adde. num. 54.
28	17	Camigetatæ.	Famigeratæ.
27	6	ea.	ex.
	23	Bimatum.	Primatum.
33	11	Bursus.	Rursus.
65	10		Adde, Veri sque vero clangentibus vniuersus populus conuocubatur.
68	1	ελευθειαν.	ελευθεριαν.
73	12	inuinxisse.	iniunxisse.
	24	clauis.	clauus.
77	6	perp ctæ.	perfrictæ.
119	28	Non.	Nam.
120	4	delicta.	debita.
136	26		Namque dabantur agri tunc pauperibus. Textus.
133	8	sicut.	siue.
142	1	iumenta.	iumento.
143	8	armis.	aruis.
149	11	fluminis.	flaminis.
164	23	in an. 1440.	1350.
183	14	vult.	vt vult.
	23	Concilius.	Cornelius.
198	18	imminut.	imminuti.
206	20	Ecclesia.	Ecclesia Romana.
231	17	verus.	versus.
235	4	Primo.	Immo.
250	2	pietas.	pictas.
253	26	induxit.	indulsit.
254	29	emiserint.	emeserint.
268	9	Senico.	Sertiio.
275	7	n. 30. & 31.	suo loco ponendi.
288	29	ecco.	quo.
300	8	quid.	quibus.
310	22	retulisse.	retudisse.
321	26	totum.	situm.
338	17	esset.	cesset.
341	22	&.	est.
343	24	&.	ex.
391	4	D. Pauli.	D. Petri.
417	17	&	ex.
418	12	sunt,	an sint.
	15	ad hanc.	ob hanc.
422	13	quoque.	quaque.
430	23	ογιοτης.	οσιοτης.
444	6		Adde, Regum posteritati.
452	1	carsa.	causa.
449	1	esse.	ecce.
457	7		Sed viros peritos, industrios, non quos. Textus.
	9	sed.	sic.
472	21	Marcum.	Maurum.
477	9	Lusitaniæ.	Lituaniæ.
479	5	sed.	Nam.

Nomina propria sic corrigenda. Antoninus. Fridericus. Mancleius. Berzonius. Lerinus. Cerizen. Barradas. Turrianus. Pigna. Tannerus. Bouerius Rappelius. Cotonius. Bernagasius. Melchiades, non Meluades. Massæus, non Masseus. VVindeckius, non exmdenius. Alterius, non Alter. Nicolaus Papa Primus, non Nicolai Papæ Primi.

Notata sunt solum errata, quæ sententiam grauius offendunt, alia minutiora lector ipse videbit, & festinationi condonabit.

